COMMENTARII Ioannis Arborei Laudunenſis, Doctoris theologi, in Proverbia Salomonis,

***

Iam recens nati, & quanta maxima diligentia fieri potuit, editi, non ſine indice rerum locupletiſsimo.

Ad Henricum II. Galliæ Regem Chriſtianiſsimum.



PARISIIS
Apud Ioannem Roigny, via Iacobea ſub inſigni quatuor Elementorum.

M. D. XLIX.

Cum priuilegio Regis.

Extraict du priuilege du Roy.

IL eſt permis a Iehan Roigny Libraire iuré de l'vniuerſité de Paris, imprimer ou faire imprimer & vendre vn liure intitulé, Commẽtarij Ioannis Arborei Laudunenſis Doctoris Theologi in Prouerbia Salomonis, veu & viſité par deux docteurs de la faculté de Theologie audict Paris, iuſques a ſix ans prochainemẽt venãs, ſans que a nul aultre ſoit loiſible en imprimer ou vendre d'autres que ceulx dudict Roigny, ſur peine de cõfiſcation deſdictz liures, & d'amende arbitraire, comme plus aplain apert es lettres ſur ce ottroyees audict Roigny.

Chriſtianiſsimo Franciæ regi Henrico

Ioannes Arboreus doctor theologus S D.

MAgnum & graue apud illos veteres ſapientiæ nomen fuit, Rex auguſtiſsime, quo diuinarum humanarumque rerum cognitionem complectebantur. vnde nemini mirum videri debet ſi tam pauci in ſapientum numero aſſcripti fuerint, cum apud Græciam ingeniorum & doctrinæ principem, artiumque laudandarum inuentricem, tantum ſeptem inuenti ſint, qui σοφοὶ haberentur & nominarentur, etiam heroicis illis ætatibus Vlyſſes & Neſtor vix ſapiētes ſint iudicati. Itaque Pythagoras non vulgarem laudem omnium iudicio meruit, qui tam graue nomen ſibi aſſumere & arrogare noluerit. primus enim ſe non σοφὸν putauit, ſed φιλόσοφον, hoc eſt ſapientię ſtudioſum. Quis eſt enim ita perſpicax, & Muſarum afflatu inſtinctus, tamque alta mente prędıtus, vt in illam abditam & reconditam rerum omnium tam humanarum & pręſertim cœleſtium cognitionem, depulſa omni ignorantiæ caligine, quæ etiam in animis doctorum offuſa eſt, poſsit penetrare? præſertim cum vita humana tam exiguis finibus & regionibus tam anguſtis ſit circunſcripta, & tot caſibus exerceatur, quos eſt ſapiētis perferre, nec humani generis imbecillitatem fragilitatēque extimeſcere. Verùm nos hoc tempore non illam veterum ſapientiam, quam merito Paulus dicit eſſe ſtultitiā apud deum, commentamur nec exquirimus: ſed illam, quam Salomon rex ſapientiſsimus literarum monumentis mandauit: quod opus, quantum in nobis ſitum fuit, commentariis quibuſdam illuſtrauimus, quos nominis tui amplitudine non indignos iudicauimus. Itaque cū ſuperioribus annis commentarios in Eccleſiaſten Salomonis emiſiſſem, & nomini tuo nuncupaſſem, eos tam hilari alacriq̄ue animo excepiſti, vt has nouas lucubrationes noſtras in Prouerbia eiuſdem Salomonis tibi conſecrauerim: qui ex eius ſapientię fontibus largiſsimè exhauſeris in tenēdis huius regni florentiſsimi gubernaculis. Nam cum bellorum quidam fluctus vndique & domi & foris excitarentur, eos ſingulari tua ſapientia ſedaſti & tranquillaſti: maximeque in hoc elaboras, vt cum effrenata impia & ſcelerata hæreticorū audacia θεομαχίαν more Gigātū gereret, & hoc malū ſerperet lati⁹, lōgiūſque propagaretur, ſeueriſsimis iudiciis coercere voluiſti. Qua in re à patre tuo Franciſco nuper Franciæ rege Chriſtianiſs. nō degeneras, qui in hoc incumbis, inuigilas, ne zizania huiuſcemodi inter lilia radices agant. Quod vnum, mihi crede, tibi gloriam & nominis immortalitatē non ſolum apud tuos, ſed exteras etiam gētes cōparabit, regnumque Galliæ, quod adhuc non tam armorum viribus, quàm religionis ſanctitate effloruit, aduerſus omnes hoſtium inſidias incurſioneſque tutum & incolume reddes. Itaque cum viderem omnes hoc nouo regni initio tibi gratulari, & optimum quemque aliquod ex rebus ſuis munus offerre, non exiſtimaui eſſe mei officij, te illaudatum & indonatum opibus meis, quæ exiguæ ſunt, præterire. Vale.

1. ad Cor. 10.

IOANNIS ARBOREI LAVDVNENSIS, DOCTORIS Theologi, in Prouerbia Salomonis Præfatio.

QVI recta inſtituendę vitę pręcepta ſcripris reliquerunt,& toto ſtudio ac omni diligẽtia conati ſunt tutiſsimum nobis ad capeſſendas ipſas virtutes aditum facere,maximam apud viros bonarum literarum ſtudioſiſsimos gloriam ſibi compararunt,quòd primùm perquiſierint quæ ad nanciſcendum veram animi culturam ſummopere conducere viderentur,quę denique efformandis hominum moribus forent vtiliſsima.Deinde quòd accuratè docuerint quid nobis proſequendum eſſet,quid etiam ſugiendum , vt bene beateq́ue viueremus , & ſemper eſſemus parati reddere vnicuique noſtræ vitæ rationem.Quo ſanè laudis genere Pythagoras excelluit, qui optima componendæ vitæ documenta ad hominum vtilitatem , viuendiq́ue rationẽ mirè conducentia,ex ſanctioribus Philoſophiæ promptuariis deprompſit,quibus Philoſophos,id eſt ſapientię ſtudioſos mõnet vt frugalitatem amplexarentur , & vnctiora edulia lautioreſque popinás tanquam peſtem deuitarent.Idem diſcipulos ſuos nihil peræque edocebat,quàm linguam intra vallum dentium coercere,& diutino ſilentio philoſophari.Ab eodẽ illa Græcorum parœmia defluxit,κοινὰ τὰ φίλων .Id eſt,Omnia amicorũ cõmunia:quoniã diſcipulos inſtituens, omnes facultates in medium dare pręcipiebat,vt eſſent omnibus omnia cõmunia, coireturq́ue ſocietas inſeparabilis,atque conſortiũ quod priſco vocabulo κοινόβιον appellatur.Socrates etiam mortalium omniũ ſapientiſsim⁹,& morũ ac literarũ præceptor optimus,dicere cõſueuerat,Cõmuni conſilio opus eſſe qua ratione quamoptimi efficiamur.Et in primis habendã animę curam, ſemperq́ue ad ipſam reſpiciendũ: quæ ſi ſeipſam noſcere velit,prudentiã & cætera virtutũ ornamẽta habeat neceſſe eſt:nihilq́ue purgatis affectibus pręter diuinã ſapientiã, vtpote ſelectiſsimũ diuitiarũ omniũ theſaurum,exoptet.Quid dicã de ipſo Platone,quem diuiniſsimũ fuiſſe Philoſophum nemo eſt qui addubitet?Ille ſiquidẽ ad pueritiã rectè educandã arbitrabatur plurimũ referre vt pueri dũtaxat in rebus honeſtis ocium collocarẽt,ne fœda voluptate ineſcati,turpiſsimam agerent vitã,neve ſuis immerſi deliciis,& abiectiſsimarũ cupiditatũ pedicis irretiti,à trãquillo Philoſophię ſtudio auocarẽtur.Aiebat & ſanitatẽ verã eſſe animi philoſophiã,cæterasverò facultates nõ tã philoſophiam q̃ ornamẽtavideri.Nihil ſanę mẽti ſuaui⁹ eſſe quàm vera dicere & audire. Veritate enim nihil vel melius vel durabilius,nihil deniq; rerum diuinarum cognitione nobis optabilius & iucundius,qua mens à ſenſuũ carcere ſoluta,ad ſuperna cõſcendit,& ad deũ rerum omniũ authorẽ prouidẽtiſsimũ cõuertitur,eiq́ue perpetuo obſequio & ſummo amore adhæret.Porro hanc cõtemnendo vitã, ſum⁹ in melius domiciliũ tranſituri:vt idem præclarè docet in Axiocho.Nos etenim anima ſum⁹ animal immortale,mortali incluſum monimẽto.Hoc autẽ tabernaculum non ſine malo nobis circũdedit natura,cuius læta quidem abſtruſa ſunt,pluribuſque doloribus admixta: triſtia verò improuiſa,diuturna,prorſúſque vacua gaudiorum,valetudines nempe,ſeniẽtiũ membrorũ vlcera,morbi interni : quibus neceſſariò quoniã per corporis meatus ſparſa eſt condolens anima,cœleſtem & cognatũ deſiderat æthera,ſititq́ue cupidè ſupernę illius cõſuetudinem gaudiaq; vitæ.Diſceſſus itaque è vita,mali cuiuſdam eſt in bonũ cõmutatio.Oſtendit & Seneca libro primo Naturalium Quæſtionũ,de honeſta morum educatione recte ſentiens,non ſatis eſſe vitia effugiſſe, niſi te ad cæleſtium cognitionem parauerís.O quàm,inquit,cõtempta res eſt homo,niſi ſupra humana ſe erexerit?Quandiu cum affectibus colluctamur,quid magnifici facimus?etiã ſi ſuperiores ſum⁹,portenta vincim⁹. Quid eſt cur ſuſpiciamus noſmetipſos,quia diſsimiles deterrimis ſumus? Nõ video quare ſibi placeat,qui robuſtior eſt valetudinario. Multum intereſt inter vires & bonam valetudinem. Effugiſti vitia animi,non eſt tibi frons ficta, nec in alienam voluptatem ſermo compoſitus , nec cor inuolutum auaritia,quæ quicquid omnibus abſtulit,ſibiipſi negat. Nec luxuria pecuniam turpiter amittens , quam turpius reparet : nec ambitio quæ te ad dignitatem niſi per indigna non ducet. Nihil adhuc conſecutus es.Multa effugiſti,te nõdum.Virtus enim iſta quam affectamus, magnifica eſt,non quia per ſe beatum eſt malo

caruiſſe,

caruiſſe,ſed quia animum laxat,ac pręparat ad cognitionem cœleſtium,dignumque ef-
ficit,qui in conſortium dei veniat. Tunc conſummatum habet plenumque bonum ſor-
tis humanę,cum calcato omni malo petit altũ,& in interiorem naturę ſinum venit. Nec
ſilentio ſupprimere poſſum quæ ſcite & eleganter ſcripſit Plutarchus de liberis educandis,
Sicut,inquit,infantium membra ſimul ac nati ſunt, formari componique debent, vt re-
cta,minimeque obliqua fiant ,ita puerorum mores principio apte concinneque finge-
re conueniet.Illa nanque nouella ætas ad fingendum facilis & tenera eſt,& ipſorum ani-
mis dum molles adhuc extant,diſciplinæ melius inſtillãtur:difficilius autem quę dura ſunt
molliuntur.Quemadmodum enim ſigilla mollibus imprimũtur ceris,ita & doctrinę,dũ
puerilis adhuc animus eſt,inſculpuntur.Monet & idem author grauiſsimus vt pueris re-
cte à parentibus educatis pręficiatur pædagogus,qui ſit & dicendi pariter ac faciendi du-
ctor,cuius vita nullis ſit obnoxia criminibus,irreprehenſi mores,& optimũ experimentũ
Honeſtatis enim fontem ſimul ac radicem eſſe liquet legitimam conſequi diſciplinam: ac
veluti coloni ſepes arbuſculis circumponũt,ita & æquiſsimi præceptores conſona pueris
inſtituta & admonitiones inſerunt, vnde rectiſsima morũ germina pullulent. Nec liberi
his adiuti præſidiis,operis perfectionẽ rite obire poſſunt,niſi natura,diſciplina & exerci-
tatione fulciantur.Siquidem ex iſtis arctiſsimo nexu copulatis abſoluta virtus compara-
tur.Sin iſtorum pars vlla defecerit,neceſſe erit claudam eſſe virtutem.Nam ſicut in agro-
rum cultura bonam in primis eſſe tellurem oportet,tum ſerẽdi peritũ agricolam,dehinc
optima ſemina,eodem modo telluri naturã,agricolę pręceptorem,ſeminibus ſtudiorum
inſtitutiones ac pręcepta cõferes.Quòd ſi prophanę Philoſophię pręceptores doctiſsimi,
& qui naturali duntaxat lumine perfuſi fuerant, in inſtituendis hominum moribus & tra-
ctandis humanæ vitæ officiis magnã ſibi gloriam apud viros clariſsimos parauerint,mul- 3.reg & 4.
to maiorem ſibi parauit Salomon,non ſolum regum,ſed & mortalium omnium ſapien-
tiſsimus in componendis ac ſedandis fidelium ac Chriſtianorum omnium affectibus.Il-
le ſiquidem diuino numine & cœleſti genio afflatus,abunde docet in luculentiſsmo ſua-
rum parabolarum opere,quanam ratione inſani & rabidi cupiditatum motus reſtingui
debeant,& vehementes perturbationum fluctus ſedari,& omnem mentis & rationis intẽ-
tionem in deum noſcendum amandumque defigendam eſſe, vt ei ſanctitate, religione
ac perpetuo amore adhęreas.Audies non ſine maxima tui animi voluptate in hoc pręcla
riſsimo Prouerbiorum volumine Moralem Philoſophiam,tuæ vitæ ducem ac morũ ma-
giſtram optimam,virtutum denique conciliatricem, & vitiorum omnium expultricem:
cuius veſtigia qui ſectantur,neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinant,neque huc
neque illuc more Euripi rapiuntur,ſed recto calle incedentes virtutem quocunque ſe cõ
tulerit,comitantur,ſibique Temperantiam in moderandis cupiditatibus,regendiſq; ani-
mi motibus adhibent: Prudentiam,qua quid agendum,vitandum ve fuerit,animaduer-
tent:Fortitudinem,qua interrito animo aduerſa quęque tolerabunt& perferent:Iuſtitiam
vero,qua ius vnicuique pro dignitate tribuent.His exornati virtutibus ad Sapientiã om-
nium bonarum rerum matrem, qua nihil à diis immortalibus florentius,nihil denique
præſtabilius hominũ vitę datum eſt,contendent & aſpirabunt,ſeque totos contemptis re-
bus humanis,& negociis omnibus omiſsis in rerum diuinarũ cognitione collocabunt,de-
umque inquieto meditationis ſtudio cõtemplabuntur, & chriſtiana religione ſuſpicient.
Hanc autem σοφίαν cunctis opibus precioſiorem, & cui nihil conferri poteſt,te docebũt
lepidiſsima Salomonis Prouerbia, quorum lectio plena eſt eruditionis non quidem pro-
tritę neque triuialis,ſed recõditę,& quæ in arcanis rerum diuinarum myſteriis poſita eſt,
& clauſa in interiore literarum ſacrario,cuius abditiſsimam intelligentiam & vberrimum
fructũ qui conſequentur,ſapientiſsimi euadent,& ſpretis huius ſeculi honoribus,volupta-
tibus & diuitiis, nocte ac die in lege dei meditantes,ad beatorum tandem inſulas demi-
grabunt.

INDICIS RATIO.

Animaduerte lector, in hoc indice, A maiuſculo anticam folij partem ſuperiorē indicari, a minuſculo inferiorem: quēadmodum & B maiuſculo poſticam ſuperiorem, b minuſculo inferiorem.

A

Abelis dona deo grata. 18 A.
abiectio bona 66 A.
abigailis prudentia 54 a. 58 .a. 89.1.b
abrahę fiducia 87 A.
abſalonis diſsimulatio aduerſus fratrem ſuum Amon 49 b. Eiuſdem exitus miſerabilis 44 a. 65 b.
abſinthiū, olim apinthiō, vnde dictū 54 B.
abundantia iuſtitiæ quæ ſit 58 b. & dein.
acceptio perſonarū, malum peſsimū 70 b.
accuſator ſui prior iuſtus 71 b.
aceruus Mercurij quid 91 b. & dein.
acetum dentibus noxium 41 B.
achab rex ſacrilegos reprobatus 63 A.
achimelech ſacerdotis cędes 81 b.
actiones oēs humanæ bonū appetūt 79 a.
adæ poſt peccatum timor 5 b.
adagia aliquot eiuſdem ſenſus 43 B.
adam auctus Manichæi diſcipulos 27 b.
adoleſcens qui ſit 5 A.
adoleſcentum perturbationes 105 b.
adoniæ cædes 99 b.
aduerſa æquanimiter ferenda 13 B.
adulatorū genus perniciosiſsimū 72 a. 79 b.
adultera cur cenſeatur extranea 59 a.
adultera domo eiicienda 75 b.
ab Adultera haud facile ſe quis explicat 16 A.
adulterarū blādimenta 52 A. Earūdē impudentia 102 b
adulterij ſuſpectæ vt probarentur apud Hebræos 47 B.
adulteriū ex ſe malū eſt 15 B. 50 a.
adulterorum pœna 15 B.
Aegyptiorum textilia 31.B
ænigma quid ſit 5 B.
ænigmatū viſus in futuro ſeculo euacuabitur 1 B.
æquitas re ipſa à iuſtitia nō diſsidet 4 b.
æquus quis propriè dicatur 4 b.
æther quis dicatur 54 b.
Affectionū perturbationes iudiciū noſtrū corrumpunt 79 B.
affectus ſuos expugnaſſe maius eſt quàm vrbes cepiſſe. 66 b.
in Agona victores vt honorarentur 7 A.
agricolæ diligentis opulentia 48 a.
ahias propheta palliū ſuum ſcindens in duodecim partes, quid portēderit 96. A
ain 107 b.
ἄκακος quis 5 A.
alea à Platone damnata 82 a.
aleatorum inſania 43 A.
aleph 105. a.
ἀλήθεια 56 b.
alexandrum pueritiæ vitia in ſenium vſque proſecuta 82 a.
aliena, id eſt adultera, fugienda 15 b. 85 b.
aliena quadra viuendum nō eſſe 25 B.
alieni filij, iniuſti 79 b.
aloe 51 b.
alter alterius onera vt portemus 26 a.
aman impij inſidiæ in ipſum retortę 80 b.
amaritudo animæ peccantis 55 A.
amaſæ cædes 40 a 93 b.
ambitioſi, ſtulti 11 B.
ambulare in tenebris qui dicantur 15 a.
ambulare ſimpliciter quis dicatur 59 a.
amicus bonus non deſerendus 70 A.
amicus familiaris, optimum in neceſsitate refugium 94 A.
amicus idem & proximus 6 B.
amicus infidelis denti putrido & pedi laſſo comparatus 89.1. A.
amicus magis diligendus q̄ diuitiæ 51 A.
amicus non prudendas 20 A. 44 b.
amici delicta arcana inuulganda nō ſunt 68 a.
amici probatio 26 a.
amici ſimulati 44 a. B. 78 A.
amicitia perfecta bonorum eſt 70 A.
amicitiæ commodum 69 A. a.
amicitiæ conciliatrix ſimilitudo 72 b.
amon cur à fratre ſuo Abſalone occiſus 49 b.
amor ciuium inexpugnabile regibus munimentum 65 a.
amoris definitio 57.b
amore magis quàm auſteritate cōtinentur ſubditi 65 a. 79 A.
ancillę apoſtoli 55 b.
ancillarum quarundam ſuperbia 103 A.
angeli mali, primi apoſtatę 18 A. 68 a.b.
animę vera ſcientia 73 a.
aīa hoīs, ſpiraculū 78 b., p homine 89.1 b.
animam deus non habet 28 a.
animarum cura 46 b.
aīalia medię naturæ, ſeu ſemifera 27 a.
animus aduerſis non deiiciendus 87 A.
animus triſtitia roditur 89.2.a
animū ſuū vt homo præparare poſsit 62 B
antiochi regis ſuperbia, & miſer exitus 18 B. 65 B. 99 a.
antiquus dierum, pater æternus 34 B.
apes, medię naturæ 27 a.
apoſtata quis dicatur 28 A. a
apoſtolorū priuilegiū 5 a. fortitudo 81. A
aqua viua quę ſit 25.b
aquilæ natura 105. B
aquilo vnde dictus 89 2 B
arbor vitæ in paradiſo quid prodeſſet 19 .a
arcana amici detegenda non ſunt 44 .b
arcana ſacræ ſcripturæ non paſsim prophanis iniulganda 88.b
argētū reprobū, & argentū probū 85.a
archipiratæ iuſtitiā etiā quandam obſeruant 64.b
arcus triumphales 78.b
ardua cum conſilio tractanda 49.A
arietis natura 104. A
ariſtoteles Alexandri magni præceptor 82.a
ariſtoteles reprehenſus à Seneca, defenſus ab authore 49.a
arma contra diabolum 8.b
arma homini innata 68. A
armatura noſtra cōtra hoſtes noſtros 55 A.
arrogans deo ingratus 63.B
arroganter incedere quis dicatur 59 a
ars 4. A
Aſpidis morſus ſomnū lethalē affert 96.B
Aſſentator maledicenti ſimilis 94 a
aſſentatorum peſtis 66 b. 79 b
aſſueti vitiis mala exquirunt 93.B
Aſtutia 5. A
aſtutus qui ſit 53. A
ἀσύμβολος 85.a
Attoniti oculi quid indicent 66.b
Auaritiæ deteſtatio 9 a. B 61. B
Auarorum ſtultitia. 11. B 51 A, cęcitas 94.B
Audacium ac peruerſorum hominum ſtudia 82. A
auguſti Cæſaris comitas 74 a.
aura popularis Chriſtiano captanda non eſt de iuſtitia ſua 15 b.
aureola martyrii 7 A. 66 A.
auri & argenti probatio, ignis 40 b.
in Auro ſummum beatitudinis ponebat Caligula imp. Ro. 43 A.
Authores ſibi ipſis malorum 93 A.

B.

Baaſa regis domus euerſa 55 A.
Balaam mors 93 A.
Bargulus Illyricus latro. 64 b.
Barbariſmus 40 a.
Battologia 40 a. 55 b.
Beatus ſpe 66 A.
Beati qui cenſeantur 35 A.
Bella vt ſint licita 10 B. 82 A.
Bella qui melius tractentur 78 A. 86 b.
Bellum, domini eſt 81 a.
Bellicorum tumultuum incentores 82 A.
Benedictiones iuſtorum 38 b. 41 A.
Benefacere neminē prohibere debemus. 20 A
Beneuolentia ac fauor vt maximè comparetur 82 B.
Beth 105 B.
Bethſabeæ cura de Salomone filio 104 B.
Bilingues auerſandi 35 A 71 A.
Boni ciuis commodum in rep. 98.b
Bona malorum ſępe bonis cedunt 96 .b
bona palàm an clàm facienda. 13.b. 14. A
bonum ſine adiutorio dei facere nō poſſumus 62 B.
bonus qui ſit 51 B.
bonorum abundantia 79 B.
bonis ſuis operibus nemo nimium fidat 47 A. a.
Boreas ventus. 89. 1 B.
Bos cæterarum pecudū princeps. 54 a.
boues aratro adhibiti. 54 B.
Brutis etiam cōpatimur crudeliter tractatis. 57 B.
Byſſus. 107 a.

C.

CAEcitas impiorum. 82 b.
Cæcitatis triſtitia. 62 A.
cæſaris ſuperbia. 52 a.
Cain oblatio deo ingrata. 18 A.
calculus qui intelligatur. 77 b.
calculorum valor vt mutetur. 91 A.
caligula ī auro beatitudinē ponebat 43 A.
callidus quis cēſeatur. 54 b.
canicies ſenum veneranda. 79 A.
canis ad vomitū reuerſus. 98 a.
canticum canticorum, hebraice Sir Haſirim. 1 a.
caph. 107 A.
caprea & damula idem eſt. 27 a.
caprearum oculos habere, quid. 87 a.
caprarum lac cibis vtile. 95 B.
carbones ſuper caput inimici congregare quid ſit. 89. 2 a B.
cardines cæli qui ſint. 34 a.
caſtigatio domini patienter toleranda. 18 a. B.
caſtitas laudabilis quæ ſit. 106 B.
cauſarum multitudo in plures iudices diſtribuenda Moſi exemplo. 33 B.
cenſores iniqui. 68 a.
carui ſerpentibus exitio ſunt. 26 A.
ceruorū inter ſe mutua auxiliatio 26 a.
ceruiſia zurbum. 105 A.
chanaan gentilium pater. 107 b.
charitatis bonum. 30 B b.

Chœro

Chœrogryllus animal. 103 B.
chriſtus parabolis peculiariter delectatus. 1. b. & quare. ibi. & 2 A.
Chriſtus, Salomon pacificus. 3. A. tributis non obnoxius. 50 b.
chriſti fratres ſumus. 6 B.
chriſtus foris & palam prædicauit. 10 b.
chriſti dilectio erga nos. 33 B.
Chriſti diſcipulis licet pericula vitare 81 B
chriſti deſcenſus de cælo, & aſcēſus. 101 A.
chriſtianæ religionis ſumma in quo conſiſtat. 107 A.
chriſtiani quando dici cœperint. 37 B.
chriſtianorū athletarū præmium. 7 A.
chriſtianorū timidorū pauor tēpore perſecutionis. 81 b.
cibus ſtultorū qualis eſſe debeat. 74 A.
in cibis toxica ſunt cauenda. 84 B.
cinnamomum. 31 b.
ciſterna quæ intelligatur. 25 B.
ciuium amor regem optime munit. 65 a.
ciuitas vt optime gubernetur. 44 B.
ciuitas dei, eccleſia militans. 36 A.
Clementia quæ ſit. 45 a.
Cœlibis vitæ commendatio. 80 A.
cœnę platonicę vel poſtridie iucūdæ. 67 B
Cogitans mala, duobus ſignis deprehendi poteſt. 66 b.
cogitationes fraudulentæ aduerſus amicum, deo inuiſæ. 28 b.
cogitationes malæ deo inuiſæ. 61 a.
cogitationes noſtræ bonæ an malæ ſint, difficile eſt cognitu. 79 B.
cogitationes ſe inuitis nobis quædā erūpunt. 92 b.
color purpureus vnde. 107 a.
colubri natura. 102 B
commercia ęqua eſſe debent. 77 B.
comeſſationes vitandæ. 85 A.
comminatio dei aduerſus impœnitentes. 12 A. a.
communicare cū malorum infructuoſis operibus non debemus. 28 B
conciliū generale legitime cōgregatū dei ſapientia non deſtituitur. 33 A.
cōcionatores ſua mercede digni. 85 B.
cōcionator bonus vnde cēſendus. 3 B 11 A.
concordiæ bonum. 72 a.
confeſsionis neceſsitas. 72 A. 97 A.
congregari & conuocari differūt. 25 a.
coniugium honorabile. 25 b.
coniugatorum ſolicitudo. 44 A.
conſcientia hominis vt æſtimāda. 88 a.
cōſciētię malę pauor. 53 B. 80 B 95 b.
conſilium rectum vnde proficiſcatur. 15 a.
conſiliorum bonorum fructus. 45 A.
conſiliorū euangelicorū perfectio. 59 A.
conſuetudo non facilius quàm natura ipſa mutatur. 22 b. 82 a.
conſultatio quorum ſit. 4 A.
contentionis malum. 76 a. B 91 B.
contētum ſuis rebus eſſe, maximę diuitię. 67 a.
continentia à domino datur. 16 B.
cōuerſio fit etiam deſperatiſsimorū 70 B.
conuerti differre non debemus. 93 a.
conuertitur prius ad nos deus, quàm nos ad illum. 11 B.
conuiuialia præcepta. 84 A.
cooperatio dei cū homine in bonū. 62 b.
coph. 108 a.
cor à labiis diſsidere non debet. 30 b.
cor Regis voluntate dei mouetur. 79 a.
cordis paſsiones ī vultu agnoſcūtur. 59 b.
cordis ſanitas 57 B.
è corde quæ exeant praua 41 a.
corda hominum deo cognita 59 b.
corona gloriæ pro defenſione fidei datur 22 a.
corona iuſtitiæ 56 b.
correctio fraterna. 20 b. 29 a. 36 B. 47 A. 53 a. 88 A. 89 B. 93 B. 99 A. 104 a.
Craſtini cura quō Chriſtianis interdicta 27 b.
craſtinum nemo ſibi polliceatur 93 a.
creata omnia ſunt bona a deo 63 B.
creatio dupliciter ſumitur 34 a.
credulorum leuitas 55 B.
Crocides qui ſint 7 a.
Cuniculi ex leporum genere 103 a.
cupiditas auarorum & laſciuorum inſatiabilis 94 a. b.
cupiditas, radix omnium malorū 46 a.
crudelitas quæ ſit 45. a B.
cupiditatis malum 9 B. 61 B. 79 b.
cura animarum 46 b.
curuum dorſum habere quid ſit 39 b.

D.

DAleth 105 b.
Damæ feræ dici an poſſint 27 a.
dānatis nulla ſpes ſupereſt 43 b.
dāni aut mali illati excuſatio friuola 92 B.
danielis ſapientia 52 a. 52 A.
dauid ex Beth ſabee quatuor filios naturales ſuſtulit 28 B.
dauidis vnctio in regem 33 a. Eiuſdem fortitudo 50 b. victoria aduerſus Goliath 54 a. luctus in morte filii ſui Abſalonis 65 a. mirus aſpectus 74 a. fuga à Saule 81 b.
declinare ad dextram aut ſiniſtram quid ſit 23 B.
decoctores 43 a.
defunctorum laus 39 A.
delatores non audiēdi principibus 99 A
deliciæ ſtultum non decent 73 b. & dein.
delicta proximi non temere propalanda 89 1 B.
delinquentes corrigendi 93 B.
delphini, mediæ naturę 27 a.
demerita ſua homini reddētur 48 B. 55 a.
demonſtratio quorum ſit 4 A.
deſperatio peſsima 87 A.
det ſor erudiendo tuō eſt 36 a.
detractionis malum 87 b.
detractor deo odibilis 23 a. 87 b.
detractori triſtis facies exhibēda. 89 a. b.
deus, pater eſt credentiū ꝑ adoptionē 6 B.
deus reproborum orationes non exaudit 18 B. b.
deus propter ſe omnia condidit 63 A.
dei ſubſannatio & irriſio quæ intelligatur 82 B.
dei auxilio maximè niti debemus 17 B. b
dei pręcepta ſemper in animo habēda 83 A
dei quō dicatur anima eſſe 28 a.
dei iram vt placare poſsis 65 b
dei ira quàm ſit metuenda 74 a
dei prouidentię aut conſilio reſiſti nō poteſt 81 a.
dei nomen ineffabile 101 a.
deo optima & præſtantiſsima offerenda ſunt 18 a
deo iuuante nihil impoſsibile homini 22 b
deo omnia nuda & aperta ſunt 62 b.
deum diligentibus in bonum omnia cooperantur. 29 b.
dextra ſapientiæ quæ ſit 28 b
dextrę malæ non ſunt, ſed declinatio in eas 23 b
diabolus fruſtra Chriſtum tentauit 8 b. & 9 A.
diabolo quomodo maxime reſiſtatur 8 b.
diabolus mendacii pater 28 B. 93 A.
Diaconi non ſorte ſed electione apoſtolorum ordinati 8 a.
Dicæarchi, id eſt iuſtitię præfecti 43 B.
dies quare dicantur mali 60 A.
dierum longitudo, ęterna gloria 16 B.
digito loqui 28 A.
dilectio Chriſti erga nos 33 B. b.
dilectionis dei fructus 19 B. b.
Dionyſij Cartuſiani opinio de prouerbiis Salomonis, à quo edita ſint 2 b
diſciplina q̄ intelligatur 3 b. ei⁹ fruct⁹ 28 B.
diſciplina domini, dilectionis illius ſignū eſt 18 B.
diſcordiarum ſeminator inter fratres, deo odibilis 29 A.
diſponere viam ſuā hominis eſt, dirigere verò dei 64 A.
diſsimulator irę, callidus 49 b.
diues vt fieri poſsis, labora 38 B. 51 B.
diues qui ſit 52 A.
diues & pauper vt ſibi debeāt obuiare 81 b.
diuitis ſuperbi faſtus 73 A
diuitum amici 56 A.
diuitum arrogantia 82 a ſuperbia 96 b.
diuitum confidentia, diuitiæ 40 A.
diuitibus quàm deferatur 73 B.
diuitię facile pereunt 18 b.
diuitiæ Chriſti 33 b. & deinceps
diuitiæ malę partę nō proſunt 38 A. 51 A.
diuitiæ cur dicantur mammona iniquitatis 38 a. 71 a.
diuitiæ quomodo expēdantur 43 A 51 A. vt parentur ibidem b.
diuitiæ nec amandæ nec appetēdæ 46 a.
diuitiarum effuſio 43 a. earū vanitas ibi.
diuitiarum præſtātiſsimus vſus 52 A.
diuitiæ & paupertas auerſandæ 101 B.
diuinatio frequentius in malū quàm in bonum accipitur 64 a.
diuini, vates gentilium 64 a.
diuinorum curioſus ſcrutator cui cōparandus 89. a. b.
diuinorum peritus recti⁹ gubernet 41 A.
diuortij lex an permiſſa 7 B.
doctrinæ bonæ gratia 53 A.
doctrina impiorum mala 59 B.
doctrina ſapientiæ in principio aſperauidetur &c. 83 A.
doctrina & vita conformari debet 48 A.
doech Idumęus diſcordiæ ſator 66 b.
dolus in authorem ſuum frequenter retorquetur 9 A. a. 80 b.
δῶμα τος quid ſit 80. A
domeſticos noſtros turbare nō debe. 46 B
dominandi poteſtas à domino datur 33 a.
domini boni erga ſeruos ſuos officium 48 A. & contrà 94 a.
domus Chriſti, eccleſia 35 B.
domus magnorum virorum propter peccata euerſæ 55 A.
domus vt optimè inſtituatur. 86 B 88 A.
dorcas, Caprea cur dicta 27 a.
dorſum curuum habere quid ſit. 39 b.

E

EBrietatis mala. 76 A. a.
ebrioſi à cœtibus honeſtis arcēdi 103 A.

eccleſiæ authoritas 9 b. eius cuſtos Chriſtus 81 b.105 a.
eccleſia, mater noſtra eſt 6 b.81 b.℣.vlt.
eccleſiæ paſtores negligentes arguuntur 10 a. B.
eccleſiæ & ſynagogæ differentia 25 a. 62.99 a.
eccleſia, domus Chriſti 35 B.36 A.
eccleſiaſticorũ principũ munus 93 b.95 A.
eccleſiaſtes, Coeleth hebraice 1 A.
electionis aut reprobationis diuinæ nulla eſt cauſa 63 A.
eleemoſyna quib. & de quo facienda 13 b. 18 A.19 b.20 A.80 a.
eleemoſyna peccata abluit 52 A.61 B.68 A.
eleemoſynę fructus 80 a.
eloquentia à deo petenda 14 b.
emptorum vaframentum 77 B.
epiſcopatus deſiderium licitum 46 b.
epiſcopis ac prælatis etiam malis & indoctis honor deferendus 91 A.
epularum pericula 74 B.
epulones in egeſtatẽ facile vergunt 80 B.
Equi & aſini qui intelligantur 91 a.
eryſiton manducus 85 A.
Euangeliſtę ſua mercede digni 85 B.
euchariſtiæ ſacrificium 35 b.
Excuſatio damni illati ab intentione nõ nocendi 92 B.
expectatio iuſtorum 41 b.
Exechiæ regnum feliciſſimum 33 a.
ezechiæ vita prolongata 41 B.96 A.
ezechiæ meritis ſeruata Hieruſalem à Sennacherib 44 b.71 a.
ezechię boni regis filius peſſimus Manaſſes 76 b
ezechielis prophetæ ænigma 5 B.
ezechielis exordia velata 88 b.

F.

FAcies de homine indicat 69 B.
facies triſtis detractori exhibenda 89 2 B.
falſi prophetæ maximè cauẽdi 7 A.
falſus teſtis deo odibilis 28 b.
famę bonę precium 62 A.81 B.
fame non vexatur anima iuſti 38 a.
fameliceis etiã amara videntur dulcia 93 b.
familiam ſuam nemo deſerat 93 b.
famuli vt tractandi 98 B. vide Serui.
fatui ingenium verſatile 53 A.
feræ cur ſeulant 49 B.
fermenti vis 96 B.
fideiubendum facilè non eſſe 27 A.45 A. 83 b.94 A.
fideiuſſori veſtis auferri poteſt pro pignore 77 b.
fidei eſt ſalus & iuſtificatio 47 a.
fidelis, rara auis 76 b.
fideles in promiſsis ſuis, deo grati 50 B.
fidelium merces 30 b.
fiducia noſtra potiſſimũ in deo eſſe debet 17 B.b.
filius maledicẽs patri, dignus morte 78 A
filius modeſtus paternas correctiones lubens accipit 51 a.
filius mortis, dignus morte 38 b.
filius ſapiens patrem lætificat 60 a.
filius ſtult° cur matris ſuę mœſtitia dicatur 98 A.
filij virtus, honor patris 85 B.
filij vitia patri maximè dolent 74 a.
filij alieni, iniuſti 79 b.
filij caſtigandi 53 b.84 b.85 A.
filij dei ſumus per adoptionem 6 B
filij filiorũ in tertiã & quartã genera 67 b
filij iuſtorum, qui ſint 77 A.
filij ſępe à parentibus degenerant 76 b.
filie iũ dec°, claris paren. ortos eſſe 68 A.
filiorũ probitate maxia delectãtur par. 8.38 A.
filiorum quãta cura eſſe debeat patribus. 62.99 a.
Fœminarum aſpectus an illicitus 29 a B.
fœnus liberale quod ſit 96 B.
fœnoris malum 81 a.
Fons aquæ viuæ 25 b.
fons aquarum omnium, oceanus 19 a.
fons vitæ, lex ſapientis 53 A.
Formicarũ induſtria ac labor 27 B.103 a.
fornicatorum pœna 15 B.
fornices ſeu arcus triumphales 78 b.
fortia in eccleſia quæ dicãtur 106 b.
fortes qui cenſendi 49 B.
foueã fodiens in eã ſæpe ipſe incidit 93 A.
fortium victoriæ 50 b.
fraternæ correctionis vtilitas 68 a.
fratres Chriſti ſumus 6 B.
frugales minimis cibis cõtenti 53 b.
frugalis menſæ iucunditas 60 A.67 a.
frumenta abſcondentes in annonę caritate maximo ſupplicio digni 46 A.
fundamentum terrę 34 b.
furentium indicia 49 A
furioſi & maniaci vitandi 83 B.
furi multis modis participatur 59 b.
furum pauor 95 b.
furum oblatiores deo ingratæ 18 A.
furtũ adulterio cõparatũ, nõ eſt grãdis culpę 30 A.a.
furti pœna 30 A.
futilitatis malum 93 a.

G

GArrulitas meretricum 31 a.
garrulitas diũ cordis ĩ facie relucet 59 b.
gedeonis prudẽtia ĩ teſtã õdẽdo, 8 a 23 A.
geneſeos exordia velata 88 b.
gentiles à Chanaan oriundi. 107 b.
gentium vocatio ad fidẽ. 36 A.
gigantes qui intelligãtur in ſac. lit. 80 B.
gimel. 105 b.
glorioſus quis dicatur. 48 A.
gratia dei & hominũ qualiter appetẽda. 81 B.
gratia dei, fortis nomine à pſalmographo appellata. 8 b.
gratia habitualis, gratum faciens, & gratis data. 64 A.
gratia pro gratia, quæ ſit. 7 A.
gratia quatenus defendenda. 84 A.
gratiam ſubditorũ vt magis promereatur princeps. 79 A.
greges, pecorũ propriè dicũtur 25 a.
gulæ malum. 80 b.
guloſi & epulones in egeſtatem ferè delabuntur. 80 B.85 A.

H.

HAbitus ſubiectũ in quo eſt denominat. 66 A.
hęreditatum captatores. 78 A.
hæreditatũ opulẽtarũ decoctores. 80 b.
Harpocrates. 84 A.
hæreticorum prætextus in traditionibus ſuis. 57 a.
hæreticorum ſimulatio. 44 B. ſordes. 45 b. oc excatio. 108 a.
He. 106 A.
heli filios ſuos nõ caſtigãs à deo reprehẽſus. 53 b.
helizei maledictũ ĩ pueros illuſores. 91 a.
helluones, inſatiabiles. 85 A
herodis mors. 44 a
heſter encomium. 45 A
het. 106 B.
Hieroboam domus euerſa. 55 A.103 A.
Eidem decem tribus datæ. 96 A.
hilaritas in beneficiis aut eleemoſynis cõferendis commendatiſſima. 20 A.
hinnire, proprium equorũ eſt. 26 a.
hinnuli qui dicantur. 26 A.
hirũdines, mediæ naturę. 87 a.
Holofernis exitus. 61 a.
homo ex ſe bonũ facere nõ poteſt. 61 B.
homo ad laborem natus. 66 B.
homo mala cogitans duobus ſignis cognoſci poteſt. 66 b.
homo à lege alienus & iudicio, animaliũ omnium iniquiſsimũ. 68 A 93 B.
homo per ſe beatitudinem conſequi non poteſt. 78 B.
homo quatenus timẽdus. 100 A.
hominis honor, quia ad imaginẽ dei creatus. 24 b.
hominis poteſtas & auctoritas in cęteras animantes. 104 A.
hominum probatio. 67 B.
hominum ſceleratorum conſortia vitanda. 86 a.
homicidę deo inuiſi. 18 b.
homicidæ deteſtabiles. 8 B.b 28 b.
homicidium priuatis illicitũ. 82 A.
homicidio grauius, ſeminatio diſcordiarum inter fratres. 29 A.
homouſion nouũ nomẽ. 37 B.
honor, virtutis præmium. 91 A.
honorare dominum quis dicatur. 30 B.
honorãtis deũ, præmium. 30 b.
hoſtes noſtri, caro, mundus, diabolus. 23 A.
hoſtiæ deo abominabiles. 81 A.
Humana infirmitas. 47 a.
humanę ſapientiæ faſtus. 84 a.
humanarum virium imbecillitas. 17 b.
humilitatis vis, ac laus 42 b.62 a.99 b.
humilium eſt ſapientia. 43 b.
Hypocritę & tyrãni cur permittãtur à deo regnare. 53 B.
hypocritarum fraus. 44 a.
hypocritarum generatio. 101 b.

I

IActabundorũ ac glorioſorum ſtultitia. 92 a.
iactantia bonorum operũ ſuorũ à Chriſtiano aliena eſſe debet. 83 b.
Ieiunia venerẽ reprimũt. 16 B.
iezabelis nequitia. 54 a.
Ignis probat aurum & argentum. 40 B.
Illicitum aliquid eſt perfectis, & aliquid omnibus. 20 B.
illiteratus & ſtolidus ſæpe honoratiorem locũ obtinet. 91 A.
illuſor quis dicatur. 81 A.
Imago aut ſimilitudo noſtra ad deum vbi conſiſtat. 24 b.25 A.
impatientię furor. 75 A.
imperium durabilius quod amicitia geritur, quàm quod vi. 65 a.
Impietatis mutatio. 47 a.
impij ſimpliciter qui ſint. 43 b.
improborũ conſortia fugienda. 22 B 87 b
impiorum memoria cito deletur. 47 b.
impiorum monumẽta quæ ſint. 48 a.
impiorum timor. 41 a.95 b.
impiorum ſupplicia quò proſint. 63 A.

impiorum

Impiorum vita breuis. 41 B.
Impiis corridendum nõ eſſe. 18 B.
Impiis pax non eſt. 51 b.
Impoſsibile hominibus, deo poſsibile eſt 22 b.
Inaurium ornatus. 89.1.b.
Increpatio nõ auerſanda. 47 A.
inculpata vita hominis etiam inimicos illi conciliat. 63 b.
indignatio in bonum. 99 b.
Indocti qui ſint. 40 b.
indulgere peccata glorioſius quàm vindicare. 50 A.
Induſtriæ commendatio. 83 b.
inexperti & improuidi in pericula incidunt. 94 A.
infamia viro probo metuenda. 62 A. 81 b.
infantiæ vitia difficilè eluuntur. 82 A
infatuati à mulieribus viri præſtantiſsimi 93 a.
infernus inſatiabilis. 93 a
infernus, ſiue ſepulchrum, viuentem abſorbet. 7 b.
infernus quã variè ſumatur. 60 b. & dein.
ingenia etiam tarda vinci poſsũt. 74 b.
ingratitudo Iudæorum. 9 b. 10 A. a.
ingratitudinis maximę nota. 68 A.
inimicus familiaris, pernicioſiſsimus. 10 a.
inimicus paſcendus 89.2 a.
inimicis etiam benefaciendũ. 78 a. nec eorum ruina lætandum. 87 b.
iniuſti iuſtos lapſos proni ſunt denigrare. 89 2. b.
iniuſtorũ tenebrę. 79 B. pauor 80 B. 95 b. vltio. 80 b.
innocens qui dicatur. 55 B.
innocentes deus cuſtodit. 52 A.
innocentiæ veſtis recèns baptizato datur ab eccleſia. 107 b.
Inobedientia Saulis. 61 b.
inſidiæ impiorum in caput ipſorũ retorquentur. 38 B.
inſidiæ ſcribarum & Phariſęorum aduerſus Chriſtum. 7 B. b.
inſidiatores ſuis ſæpe laqueis implicantur 9 A
Intellectus qui ſit. 5 A.
intellectus humani imbecillitas vnde cognoſcatur. 75 A.
interpretes librorũ, eorũ authores dicendi non ſunt. 2 b.
inuidiæ deſcriptio. 57 B. b.
Ioab fraudulentũ oſculũ. 40 a. 49 b. 93 b.
ioannis apoſtoli ſapientia. 3 a.
Ioannes Ruellius medicus. 24 B.
iob vexatio. 38 a. 57 a. 87 a.
iod litera. 106 b.
ioſeph à deo cuſtoditus. 58 A.
ioſeph vnde tanta gratia in Aegypto 46 a. 52 A.
Ira laudabilis. 49 b.
ira ſtulti grauiſsima. 92 B.
iræ affectus maximè teter. 49 A.
iræ diſsimulatio. 49 b.
iræ impetus quàm vehemẽs. 93 B.
iræ malum 60 a. 81 A. 99 b.
iracundus cur ſe vlciſci velit 92 B.
iracundorum conſortia vitanda. 83 B.
iraſcentium ſigna. 49 A.
Iſmael reprehenſus quòd Godoliam interfeciſſet. 69 b.
ἰταλοὶ olim dicti boues 54 a.
iuda & Iſraelis dilanſio. 60 a
iudas proditor. 72 a. B. 28 b. 93 A.
Iudæi Romanis tributarii. 50 b
iudæorum diſsipatio. 99 a.
iudęorum ſynagoga. 25 a.
iudęorum ingratitudo. 9 b. 10 A a. 68 a.
iudęorum vocatio ad fidem. 36 A.
iudæorum inſidiæ aduerſus chriſtum 7 b.
iudices ad quid conſtituti. 20 B.
iudices iniqui maledicti. 83 B.
iudices quid præ oculis habeãt. 64 a.
iudiciũ dei futurum quàm ſeuerũ. 46 b.
iudicium illicitũ multis cauſis. 20 b.
iudicii futuri terror. 45 b.
iudicii noſtri corruptio. 48 b.
iudicium cuſtodire quid ſit. 4 b.
iudicio inuicem contendentes difficilè amicitiam ſeruant. 20 a.
iudicia forenſia an inter Chriſtianos licita. 20 a. B
Iudicia in lege Moſaica in portis vrbium fiebant. 11 a.
iuſtitia legitima quomodo dicatur in ſe virtutes omnes continere. 4 b.
Iuſtitia cũ miſericordia cõiũcta 56 B 80 b.
iuſtitiæ encomium. 43 B. 58 b.
iuſtitiæ prefecti de quo maximè gaudeãt. 80 B. Eorundem leopus. 43 B.
iuſtitiæ vis. 84 b.
iuſtitiam facere quid ſit. 4 b.
iuſtus ſui ipſius accuſator eſt 81 A.
Iuſtus ſepties in die cadit. 87 B.
iuſti anima fame non vexatur. 38 a.
iuſti bona peccatorum hæreditant nõnũquam. 53 b.
iuſtorũ afflictio in hoc mundo. 46 b.
Iuſti conſtantia. 42 A. confidentia. 95 b.
iuſtorum filii a malis ſaluantur. 45 B
iuſtorum hæredes. 53 B. filii. 72 A.
iuſtorum orationes deus exaudit. 61 b.
iuſtorum ciuiũ meritis ciuitates proſperè agunt. 44 B.
Iuſtorum ſtudia. 80 A.
iuſtos lapſos iniuſti facilè denigrãt. 89 2. b.
iuuentutis perturbationes. 102 B.
iuuenum laus ac cõmendatio 79 A.
κακία malitia. 5 A.

L.

LAbiorũ demorſus quid indicet. 66 b.
labiorum peccata quæ ſint. 48 B.
laborãdũ, cum per ętatẽ licet. 88 a.
laboris fugientes, egeſtoſi fiũt. 38 B.
labore quiſque ſuo viuat. 25 B.
labori nati ſumus. 66 B.
lac renans in Chriſto in Occidentis eccleſiis propinatur. 85 B.
Lætitia, corporis ſanitati commoda. 69 B.
Lamed. 107 A.
Lamuel qui ſit. 104 B.
lapides viui. 64 B.
laqueis ſuis impii comprehẽduntur. 43 B. 44 a.
largitionis bonę fructus. 45 b.
laſciuiæ cæcitas 11 B. 15 b.
laſciuię meretriciæ nos in brutam naturã conuertunt. 24 a.
latronũ cõſortia vitãda. 8 A.
latronum inter ſe leges. 64 b.
laus ſui ipſius ſordeſcit. 93 a. B. 94 B.
laudis ſeu auræ popularis Inanitas. 18 B.
lectio diuina regibus commoda. 64 a.
lectorum ornatus apud antiquos. 89. b 1.
legati fidelis munus. 13 A.
lentuli auguris diuitiæ. 9 B.
leonis natura. 103 b. & dein.
leporum natura. 103 a.
lex euangelica clemens, Moſaica ſeuera. 108 A.
leges diuinæ obſeruatio quàm fructuoſa. 16 B.
legum & regum origo eadem. 64 B.
Liber ſcriptus intus & foris, ſignat' 89 A.
liberalitatis fructus. 46 A.
liberales artes, doctrinales. 4 B.
liberorum maxima cura habenda. 99 a.
liberum arbitrium. 21 b. 14 a. 23 B. b. 24 A. 47 A 48 B. 64 A.
ligni vitæ mira vis. 89 A. 46 a. B.
lingua ignis eſt. 66 B.
lingua mendacii quæ ſit. 50 a.
lingua, vitæ & mortis arbitra. 72 a.
linguæ cuſtodia. 81 B. 62 b.
linguæ damnatę ſupplicium. 42 a.
linguę immoderatæ malum 80. b.
linguæ mũditia, cordis puritatem arguit. 82 B.
linguæ vitium peſsimum. 23 a.
linguæ vis. 23 a. 39 A. 58 B.
litigantes difficilè amicitiam ſeruare poſſunt. 10 a.
Locuſtarũ turmæ quàm pernicioſę. 103 B.
loquacitatis vitium. 40 a. 84 a.
loquendum tarde. 71 B.
lucerna ſeu lux ĩpii, proſperitas illi'. 52 a.
lucis iucunditas. 62 A.
ludens feci, quorũ reſponſum. 41 A. 91 B.
ludus ſapientiæ diuinæ. 35 A.
lumen ingenii humani diuina luce illuſtratur. 78 b.
lunares obſeruationes paganiſmũ ſapiũt. 31 b.
luxuria quid ſignificet. 76 A.
luxuriæ pœnitentia dubia. 29 b.
luxuriæ merces 53 B.
luxuria cauenda 24 B.
luxus deteſtatio 67 a.
luxurioſorũ cõuiuiorũ infelices exit' 60 a

M.

MAceria lapidũ deiecta q̃ ſit 88 B.
magica ſecreta 37 a.
magiſtratus prudẽtis vtilitas in ciuitate 45 A.
maieſtatis ſcrutator cui cõparãdus 89. 2. b.
maledictũ quod ſit peccatũ mortale 91 a.
malefactorũ ſupplicia quò proſint 75 B.
malitia diei quæ ſit 60 A.
mali malis applaudunt 96 A.
malorum conſortia vitanda 25 B. 86 B.
malorũ experientia miſereri docet 75 a.
malorũ ĩquietudo 22 b. ĩopia 79 B. pauor 80 B.
malorum præſidentia & timor 41 a.
malos quatenus perſequi poſsimus 23 a.
malum malo non retaliandum 50 A. 78 a.
malum, quatenus malum, nemo nec appetit, nec facit 79 a. 80 a.
malum vt deſideret impius 80 A.
manaſſę deſperatiſsimi conuerſio 70 B. ſcelera 96 b.
mandata dei in opere quomodo abſcondenda aut publicanda 13 b 14 A.
manſuetudinis bonum 21 a 79 A.
manus dei, potentia illius 11 a.
mare eſt meretrix 24 b.
maria virgo ab omni peccato præſeruata eſt. 77 a.
maris termini 34 b
martini b. liberalitas 81 b
matathię zelus 96 A.
mater de virtute filiorum exultat. 85 B.

matris cõtẽptor q̃b° dign° ſit. 75 B. 102 B.
mathias apoſtolus quare ſorte elect°. 8 a.
maturitas negociis adhibenda. 73 a.
mellis dulcedo. 87 a.
mellis nimium comeſti malum 89. 2. b.
Mem litera. 107 a.
membra plus peccantia, plus cruciabuntur. 77 b.
mendaces odibiles. 28 B b. 50 B
mendacis teſtis malum 87. 1. A.
mendacium an ſit aliquando licitũ. 28 b.
mendacii malum. 75 a.
mendicitas probata. 101 B.
mens, diuiſũ quiddã eſt. 3 a.
mens potius quàm lingua excolẽda 73 b.
mentis humanæ inquietudo. 60 B.
menſa cæleſtis conuiuii. 35 b.
menſæ principalis monita 84 A.
menſuræ iniuſtæ deo inuiſæ. 42 B.
mercenarii paſtores taxantur. 95 a.
mercurius 98 A.
merendi locus poſt hanc vitam nullus eſt. 43 b.
meretricis amor inferno cõparatus. 24 b.
meretricis vilitas. 29 B.
meretricii amoris vis. 26 B.
meretricũ aucupia vt vitare poſsis. 54 a.
meretricum vincula, ac pericula. 85 b.
meretricius congreſsus, mortale peccatũ. 24 b.
merita ſua homini reponentur. 48 B.
meritis iuſtorũ ſeruãtur ciuitates. 44 B.
meſsis bonæ ſementis bona, malæ mala. 82 a. B.
mœſitum mollities. 32 A.
miſericordia charitatis mater. 50 b.
miſericordia & fides tuogendæ. 16 b.
& iuſtitia. 56 B.
miſericordiæ commendatio. 17 A. a. 45 a. b. 56 a. 80 a. 81 B
miſericordiã quàm ſacrificiũ quomodo intelligatur deus malle. 17 A.
mitis, tractabilis. 65 b.
modeſtia quæ ſit. 82 A.
modicum bene partum gratius eſt, quã diuitiæ multæ fraude comparatæ. 65 b.
Mœchia omnis diuinis legibus vetita 15 B.
mollis educationis malum. 90 B.
mollis ſermo iracundiam mitigat 89. 1 b.
monumenta impiorum quæ ſint. 48 a
morborum & ægritudinũ vtilitas. 79 A.
mors pro defenſione fidei nonnunquam oppetenda. 82 b.
mortis hora incerta. 93 a.
mortis ſupplicium ſamiam luituris vinũ exhibebatur. 105 A.
morti iniuſtè adiudicati, liberandi 87 A.
moralis philoſophia 5 B
moralium virtutum finis. 81 A.
mortali peccato implicati hinc diſcedẽtes nullam pœnitentiæ ſpem habent. 43 b.
mortuis an ſit ſpes, & quib°. 43 b. 8 44 A.
morum ſimilitudo conciliat amicitiam, diſsimilitudo odium. 100 a.
moyſi mã uetudo. 31 a. peritia. 33 B. victoria 8 b. priuilegia. 100 b.
mulier bona theſaurus magnus. 72 B.
mulier pulchra & fatua cui comparata. 41 b.
mulier rixoſa tectis perſtillantibus ſimilis 74 a. B. 94 a.
mulier ſapiens domum ſuã ædificat. 54 A.
mulieris fortis encomium. 105 a B.
mulieris garrulæ mala. 80 A.
mulieris honeſtæ conſtantia. 47 a.
mulieris intuitus naturalis. 29 a. B.
mulieris pudicæ commendatio. 45 A.
mulieris ſuperbæ inceſſus. 23 a.
mulierum conſortia vitãda. 15 B. b.
à mulierib° infatuati viri præſtantiſs. 31 a.
multiloquii vitium. 40 a.
mundi corde quid ſperent. 82 b.
munera iudices excæcant 61 B. 69 B 81 B.
mutuum gratuito dandum 96 B.
myrrha, grecè ſmyrna 91 B.
myſteria arcana nõ paſsĩ diuulgãda. 88 b.

N.

NAbal auaritia 54 a.
naboth cædes 47 b.
nabuchodonoſor tribus pueris Hebræis vt ſit conciliatus 63 b.
nabuchodonoſor, plaga filiorũ Iſrael 79 a
eiuſdem humiliatio 65 b. 89. 1 b
natura paucis contenta 95 B.
nauis via in mari quàm incerta 102 b.
in nauibus percuti quid ſit 39 b.
neapolitan° morb°, Veneris merces 53 B.
neronis in matrẽ ſuã crudelitas 60 B.
b. Nicolaus tres pueros de morte liberãs 57 A.
nihili ſunt homines impiĩ 40 B.
nimium prudentes in oculis ſuis 92 a.
nitrũ vbi, & eius natura 89. 2. A.
nis æſtam intempeſtiua 91 A.
nomen dei ineffabile 101 a.
nominis boni cura 62 A. 81 B.
nomina noua rebus nouis indita 37 B.
nõ declinare ad dextrã neque ad ſiniſtrã quid ſit 23 b. 24 A.
non noui vos, quid ſit 23 b.
noſcito teipſum, prouerbiũ obſcurũ 1 a.
noſſe aut non noſſe dei quod ſit 83 b.
noſtra oĩa deo nuda & aperta ſunt 68 b.
nouale quod dicatur 53 b.
nouitates verborũ prophanæ vitãdæ 37 B.
nubes vnde naſcatur 19 B.
nubes & ventus, & pluuia non ſequens, qui intelligantur 89. 1. b.
nugacitas, battologia 40 a.
nun litera 107. B.

O

OBedientiæ virtus 61 b.
orationes noſtræ quales eſſe debeant 18 A.
oceanus fontium ac fluminũ pater 19 a.
ocium ſomniferum 74 b.
ocii mala 14 B. 27 B. b. 48 a 97 a. B.
oculi nimio vino læduntur 86 A.
oculi ſublimes, ſuperbi 28 B.
oculorum cohibitio 23 a B
odium occultũ tandẽ erumpit 92 b.
odii mala 30 B.
oder agri pleni 106 a.
onera alter alterius vt portare debeam° 16 a.
opera dei admiranda 101 A.
operibus ſuis bonis nemo nimium fidat 47 a.
operarii ſerũcũ habitũ, delectabile 60 B.
operarius mercede ſua dignus 71 a.
opes cito partæ, cito dilabuntur 32 B.
opus hominis illi redderur 48 B
orationes quæ & quorũ à deo exaudiãtur 81 B b.
orationũ & lachrymarum vis 41 B
origenis error 43 b.
oris cuſtodiæ bonum 51 B.
oris iuſti fructus 48 B.
oris lubrici futilitas 93 A.
oſculum amoris ſignum 88 A.
oſculum fraudulentum 40 a. 93 b.

P.

PAιδεία diſciplina ſeu eruditio 6 a.
panis vnus cur pciũ ſcorti dicatur 29 b
parabola vnde & quæ dicatur 1. A. B.
parabolarum vſus. 1 B 65 A. 89. 1 A.
parabolarum aliquot è ſacris literis catalogus. 2 A. b.
parabolæ Salomonis à quo editæ. 2 b. 88 B. earundem vtilitas. 3 A.
parabolæ & ænigmata quibus innoteſcãt. 5 B.
paraſitorum fraus. 44 a.
parœmiæ definitio. 1 a.
parſimonia, magnum vectigal. 67 a.
parentes liberis proſpiciunt, non contrã. 74 B.
parentes maxime delectantur filiorum virtute. 38 A.
parentum afflictor, infelix. 75 B. 101 b. 102 B
parẽtũ honeſtas in liberos demanat. 76 b
participatur cum furibus nouem modis 99 b.
paruæ res negligendæ non ſunt. 94 b.
paruuli ἄκακοι 5 A.
paruuli, ſenſu tardiores 11 a. 13 A. 55 B.
paruulorum protector deus. 84 b.
paſchæ die euchariſtiam recipientes laſciui, ſtatim ad vomitũ redeũt. 31 B.
paſsio & propaſsio differunt. 29 B
paſsionum vehementiorum iudicia vultu produntur. 49 a.
paſtores eccleſiæ negligentes arguuntur. 10 a. B. 95 a.
paterna caſtigatio. à filiis libenter recipienda. 18 a. ea nimium auſtera ne ſit. 74 b.
patris gloria, videre filios filiorum. 67 b.
patres debent filios ſuos quàm optimos reddere. 6 a.
patres, filiorum virtute maxime delectãtur 38 A. 85. A.
patrum diſsimiles liberi. 76 b 80 a
patres ſenes filii ne deſerant aut contemnant. 85 a.
πάθος & προπάθος differunt 29 a.
patientia dei quàm magna. 12 A a
patientiæ virtus. 57 a. 66 b. 89. 1. b.
pauli apoſtoli ſolicitudo. 44 A.
pauper pauperẽ calũniãs, peſsimus. 96 A.
pauperem calumniant, exprobrat factori eius. 57 b
pauperum pauor, inopia. 40 A.
pauperum ratio habenda. 18 A 56 A. 57 b. 83 a. B 98 A.
paupertas euangelica 101 B.
paupertas reprehenſioni acerba 52 a.
paupertatis virtus. 73 A. 81 a. 96 a.
pax colenda 50 a.
pax cũ noxiis affectibus non eſt 16 B.
peccandi pronitas in nobis, vnde 87 a.
peccãtium ſine timore, exitus 16 b. 54 b.
peccatum ab Adam propagatum 87 a.
peccatum deus non creauit 63 B.
peccati malum. 53 B. 58 A. 95 b.
peccatum, lucerna impiorum 79 B.
peccatum pœna peccati 63 a.
peccato ſum° omnes obnoxiĩ 36 B. 77 A.
peccata labiorum quæ ſint 48 B.

peccata

peccata mortalia & venialia quãtũ diffẽr, 43 b. quomodo abluantur 61 b.
peccatorum profundo immerſus, cõtẽnit 70 B.
peccatorum ſtipendiũ, mors æterna. 56 a.
pecunia peſsima 85 a.
pedes veloces in malũ, deo odibiles 28 b.
pennati qui intelligantur 8 b.
percuti in naribus quid ſit 59 b.
perfectus non licet ſua in Iudicio repetere. 50 b.
periculis exponere nos nõ debemus 81 b.
perſecutio vitanda 98 A.
perſonæ reſpectus 70 b. 88 A.
perſonarum diſtinctio in diuinis 34 B.
peſtilens qui cenſeatur 59 b.
petri apoſtoli diuina ſapientia 3 a. prædicatio 60 B b. eiuſdẽ liberatio 44 a lapſus ac flet⁹ 81 a. zelus 96 a.
phalaris crudelitas 45 B.
pharaõis fortitudo 50 b. obduratio 79 a.
pharisæorũ inſidiæ aduerſus Chriſtũ 7 B.
pharisæi parabolas Chriſti de ſe, intelligebant 2 B.
phe litera 108 A.
phidias 3 b.
philoſophis cõmittenda reſpublica 3. B.
philoſophorum occæcatio 108 2B.
phinees zelus 96. A.
phyſionomiæ coniectura 77 a.
pietatis commendatio 82 B.
Piger formicæ exemplo laborare diſcat. 27 B. b.
pigri egeſtas 76 B. ignauia 82 b. 82 b. 92 a.
pigri nuncii faſtidium 41 B.
pigritiæ deteſtatio 27 B. 88 a.
pignus auferre licet à fideiuſſore 77 b.
pilæ à pinſo dictę, vt & pilum 94 b.
pinguedo bona 46 A.
platea, à latitudine dicta 65 b.
plenilunij obſeruatio 31 b.
pluuia meſſi incommoda 91 A.
pœnitentiæ inſtitutũ 78 A.
pœnitentis hominis triſtitia 50 b.
polycletus 3 b.
πολυλογία peccato obnoxia 47 a.
polypus piſcis 7 a.
pompeij ſuperbia 52 a.
pondera debent eſſe æqua. 48 B. 77 a
ponderandi modus antiquorum 64 B.
populo numerando peccatum contraxit Dauid 57 a.
in portis vrbium fiebant olim Iudicia 11 a 83 B 107 B.
poteſtas regũ & principum à dñ o eſt 35 B.
potius particula, quid ſignificet 31 A.
Præcepta dei diligẽter obſeruare debemus 6 B. 29 A. 58 b. ea noſtris ſolis viribus implere nõ poſſumus. 17 B.
prædeſtinationis nulla eſt cauſa 63 A.
prædicator bonus vnde cenſendus 32 B. b.
prædones & ſicarij fugiendi 7 a.
prælati etiã mali honorandi 91 A
principes lex viua & animata 68 A. ab ei⁹ cõſpectu nemo debet triſtis diſcedere 34 a
pricipis boni cædes q̃ reprehẽſibilis 69 b.
principes quatenus timendi 31 A.
profeſſores diſciplinarum vnde iudicentur 47 b.
promiſſa, ſeruanda ſunt 50 A.
prophetæ falſi 64 a.
prodigi filij conuerſio 78 A.
propinquis ſuccurrẽdum 45 a.
proſperitas malorũ, ſcãdalo multis eſt 13. a
prouerbij definitio 6 a.
prouerbiorũ Salomonis vtilitas. 6 a B. 3 a 4 A. B.
prouerbia aliquot eiuſdẽ ſenſus 45 B. vide Parabola.
prouidentia diuina 58 B.
prudẽs pro ſapiẽte ſæpe ĩ prouerbiis ſumitur 66 a.
prudentis officium 4 A.
prudẽtes nõ cõtinuo ſunt ij qui ſapientes ſunt 3 A.
prudentia 4 a. 15 a. 60 B. 100 b.
proximus idem & amicus 68.
proximus nimis frequenter non inuiſendus 89 1. A.
proximi peccata tibi cognita, alioquĩ ſecreta, ne temere diuulges 89. 1. B.
pſeudoprophetæ maxime cauendi. 7 A.
ptiſanę vſus quàm commodus 94 b.
publica aiaduerſio ad quid inſtituta 93 B.
puraſcere in malitia quid ſit 5 A.
pueri ſtudia de illo iudicant 77 a. 85 A.
puerorum aſtutia quæ ſit 5 A.
puerilis ætatis vitia indurata difficile corriguntur 81 A.
pupilla oculi nihil deſiderabilius 31 A.
pupillorum tutor deus 84 b.
purgatorij expiatio 43 b.
purpuræ piſces 107 a.
purum putum 47 B.
puteo anguſto ſimilis adultera 85 b.

R.

RAdis immortalitatis 48 B.
Rapſaces cõtumelioſus 48 b.
Raptorum pernicies 79 b.
Ratio de ſpe noſtra qui reddi poſsit 83 a.
Recte ſibi conſcius, in quo gloriari poſsit 37 A.
regna à domino dãtur 33 a
regna ſine iuſtitia, latrocinia 64 B.
Reipublicę onera quibus imponẽda 93 A.
reprobatio negatiua 65 a.
reprobi 18 b. 13 a.
religioni aut monaſterio offerẽdi qui ſint 18 a.
repulſi, orare deſiſtere non debemus 22 b.
res, hebraica litera 108 a.
reſpõſionis mollis ac opportunæ vis 58 a. duræ item incommodum, ibi.
reuelare deo opera noſtra, quid ſit 63 A.
reuerti ad deũ ex nobis nõ poſſum⁹ 16 A.
rex terrenus 57 a. 64 A. B. 65 A. 74 A 76 a 79 a. 87 b. 89 a. 99 a.
regis & tyranni differentia 98 B.
reges vinolenti ne ſint 104 b. vt optime regnent. 33 a. Eorum comitatus. ibi.
regũ domus propter peccata euerſæ 55 A.
regum origo 64 b. comitatus 82 B.
regulus ſerpens, qui & baſiliſcus 86 A.
riſus fletu excipiendus 41 A. 55 a.
rixæ comprimendæ ſunt 92 B.
Roboam regis immanitas 98 B.
ruina alterius gaudendum nõ eſſe 67 b.

S

SAbæa Regina Salomonem venit audire 52.
ſacerdotia quã temere ſæpe conferãtur 70 b 95 A.
ſacerdotiorum aucupes 42
ſacrificia quibus deus placatur. 17 A. 59 a 79 B.
ſacrę ſcripturę verba dulciſsima ſunt 66 a. eis nihil addendum 101 a
Sade litera 108 a
ſalomonis libri tres 2. A. 6. B.
ſalomon, Chriſti typus, Dauidis filius 3 A. a. 21 B. 60. a. Ei⁹ appellatiões 100 B.
ſalomonis ſapientia 14 B. docilitas 33 a. fortitudo 50 b. infatuatio 85. b 100 b.
ſalomonis regnum diſciſſum 96 A.
ſalonij dialogi ad prou. Salomonis 2 b.
ſalus damnatis nulla ſupereſt 43 b.
ſamaritani miſericordia 56 a.
ſamech litera 107 B.
ſanctorũ merita ac preces nos iuuãt 17 B.
ſanguinarij homines 45 B.
ſanguis purpureus Homero 107 a.
ſanitas quæ ſit 50 A.
ſanna quid ſit 88 a.
ſanſonis problema 5 B.
ſapiendũ ad ſobrietatẽ 89. 2. A.
ſapiens non ægrè fert ſe argui 56 B. quid dicat, præmeditatur 58 B & 66 a.
ſapiens verè cenſendus qui ſit 96 a.
ſapientis oratio omniũ oculos ad ſe rapit 58 B.
ſapientis vita, diuina 3 a.
ſapientes non ijdem & prudentes 3 A.
ſapientes præeſſe deberent 46 B 96 b.
ſapientũ conſortia, ſapienteis faciũt 53 a.
ſapientia quæ vocetur 3 A. a. B. b.
ſapientia à deo poſtulanda 52. 14 a B. b.
ſapientiæ contemptæ malum 63 A.
ſapientia genita, dei filius 14 b.
ſapientiæ encomium 18 b. 81 B. ac a. B. 33 A a. 80 b. 88 b.
ſapientia pro doctore ſapiente 22 A.
ſardanapali libido 38 A.
ſaturis etiã dulcia videntur amara 93 b.
ſaul 18 B. 41 a 46 a. 50 A. 67 b. 99 A.
ſceleratos homines de⁹ nõ exaudit 61 b.
ſchiſmatis ortus, fraternum odium 28 a.
ſchiſmatici deſcriptio graphica 68 A.
ſciens & non faciẽs quod debet, grauius punitur, quàm neſciẽs aut ignorãs 30 B
ſcientia 4 A. 5 A. 36 b. 73 a.
ſciolorum ſtultitia 92 a.
ſcortum alens, perdit ſubſtantiam 98 B.
ſcortorum technæ graphicè deſcriptæ 31 a. 85 b.
ſcribarum & Phariſæorum ſtultitia, & calumnia aduerſus Chriſtum 6 A.
ſcrutator maieſtatis curioſus cui conferendus 89. a. b.
ſeba Bochri filius ſeditionis author 66 b.
ſecreta amici nõ diuulgãda 44 b. 89. 1. B.
ſecreta doctrina ſæpe falſitatis ſuſpecta 37 a.
ſedechiæ regis domus euerſa 55 A.
ſeditioſorũ pernicies 64 B. 98 b.
ſeipſum laudare an licitum ſit 95 a. B.
ſemei maledictio 76 a.
ſementis malæ malus fructus 81 a.
ſemifera animalia. 27 a.
ſeminare diſcordias inter fratres 29 A.
ſeminis & zizaniorum parabola 2 A.
ſeneca Ariſtotelem reprehendit 49 a.
ſennacherib miſer exitus 47 a. 79. a
ſenectus venerabilis quę ſit 66 b. 79 A.
ſenectuti viaticum parandum 38 B.
ſenium patris nõ cõtemnendũ filio 85 a.
ſeptenarii perfectio 35 B. 87 B. 91 b.
ſequi aues volantes 38 B.
ſermo dei, ignitus 101 a.
ſermo noſter purus ſit & caſtus 61 a. tardus 71 B. 82 B
ſerpens æneus Moyſi deiectus 33 a
ſeruus vt domino tuo accuſetur 101 b.
ſerui dominos ſuos protegãt 94 a ne pri-

cipib⁹ dñminâtur 74 A. quatenꝰ dñis obediant 67 b. vt tractandi 48 A. 99 a. B.
ſeruorum inſolentia ad dignitates euectorum 103 A
ſeueritas paterna ne ſit nimia ī filios 6 a.
ſicarij fugiendi 7 a.
ſicera quæ ſit 105 A.
ſimilitudo, eadem & parabola. 1 A.
ſimilitudo amorem conciliat 72 b.
ſimilitudo & imago noſtra ad deū in quo conſiſtat 24 b. 25 A.
ſimilitudo nō p oīa ſemper reſpōdet 71 A.
ſimilitudo pulcherrima de mola & mente humana 60 B.
ſimon magus à D. Petro maledictus 91 a.
ſimoniacorū oblationes deo īgratæ 18 A.
ſimplicib⁹ arcana diuinę ſapiētiæ aperiuntur 21 a.
ſimplicitas ſine rectitudine, diſſoluta eſt 14 b.
ſimulati amici 44 a. B. Sin littera 108 B
ſiniſtra ſapientiæ quæ ſit. 18 b.
ſiniſtra via, mala 23 b.
ſocietatē cū īpiis & īiuſtis coire non debemus 2 :B. ſcoordiū bnim egeſtas 38 B.
ſocratis paticotia 74 A.
ſolicitudo duplex in ſac lit. 43 b. & dein.
ſomnolentiæ torpor 74 B. egeſtas 77 B.
ſomnus pauperū, q̄ diuitū, ſnauior 9 a.
ſophiſtarum tendiculæ 8 b.
ſororis à fratre ſtupratæ vltio 49 b.
ſors 8 A. a. B. 67 A. 72 a.
ſperare pro timere 99 B.
ſpes bonorum, & ſpes malorū 41 b. 87 a.
ſpei dilatio animam affligit 52 B.
ſpiraculum, hominis aīma 78 b.
ſpiritalia an emi poſsint 85 a B.
ſpiritus dei, potentia vlcionis 12 A.
ſpiritualis omnia iudicat 41 A.
ſpōdere non a preſto eſt 27. A. 45 A. 83 B.
ſtatera doloſa deo odibilis 42 B. 78 a.
ſtellionis natura 105. b
ſtragula, & Stragulū. 107 a.
ſtulti qui intelligantur 6 A. a 22 B. 53 a. 66 a. 86 b 94 B 104 a.
ſtulto qualiter reſpondendū 91 a. B 54 b.
ſtulto diuitiæ magis obſunt 48 a.
ſtultorum lætitia, ign ominia 21 a.
ſuo iumento ſibi malū accerſere 43 B.
ſubditorum amor vt maxime concilietur regi 65 a. 79 A.
ſubſanno, irrideo 12 a.
ſuperbia 28 a. B. 34 A 42 b. 65 b.
ſuperbire nemo debet de ſua ſapiētia 17 b
ſuperioribus quatenus obediendū 67 b.
ſupplicia malorum quō proſint 75 B. 91 a. 93 B.
ſurgere bene diluculo quis dicatur 46 a.
ſuſanna 45 B. 44 a. 87 a.
ſymbolum quid ſit 85 a.
ſymeonis gaudium de Chriſto 68 A.
ſynagoga, omnis congregatio 25 a.
ſynagogæ adulterium 103 A.

T

TAciturnitatis commēd. 69 b. 84 A
talenti defoſſor arguitur 40 b.
tapetum inuētores Aegyptij 31 B.
tempeſtas, diuturna non eſt 41 a.
temporalia qualiter curanda 27 b.
tēporis opportunitas obſeruanda 59 b.
tenebrarum triſtitia 62 A.
tentatio Chriſti à diabolo 9 A.
termini antiqui nō tranſgrediendi 83 b.
terra diligenter operanda 48 a.
terra pmiſsiōis lacte & melle abūdās 87 a.
terra viuentium quæ ſit 16 a.
teſtimonium perhibere licitum eſt, modò ne falſum 88 a.
teſtis falſus ac mendax deo odibilis 28 b. Eius vltio .B. b 81 A.
teſtis veracis ac fidelis bonū 50 A. 54 B.
thau litera 108 b.
teth litera 106 b. thamar ſtuprū 49 b.
theologi vita qualis eſſe debeat 48 A.
therſites loquax 84 A.
theſauri impietatis qui ſint 38 A.
theſaurizandum hic non eſſe 27 b.
timendus ſolus deus 30 b.
timor duplex, ſeruilis, & ſanctus 5 b 57 A.
timoris diuini fructus 5 b. cuſtodia 97 A
timotheus Athenarum princeps 67 B.
tobiæ libertas vnde data 81 b.
torques aurea, victoriæ ſignum 7 A.
tranſlatores librorum, authores eorū non ſunt 2 b.
tribulationum vtilitas 67 B. 79 A.
tributis ſubiecti 50 b.
triſtis faciei pudor 89 a. B.
triſtitia, 50 a. 51 A. 69 B. 89. a. a
turdus ipſe ſibi malum cacat 45 B.
tyrannus 33 B. 44 a. 97 A.

V

VAe quid ſignificet 86 A.
vanitas hoīs, & diuitiarū 45. a B
vapor vnde naſcatur 19 B.
vau litera 106 a.
vaſa iræ, & vaſa honoris 63 a
veloces ad loquendum, ferè ſtulti 99 P.
velocitas commodabilis 83. b.
vena quæ intelligatur 26 A.
vēditor a b emptore nō fallendus 77 B.
venialia peccata 43 b.
vētre nōnūq̄ mēs venit ī ſac. literis 79 A.
venus compta quàm ſortis 26 B.
veneris ſtimulos vt fugias 24 b.
Verbū dei propter perſecutiones nō reticendum 14 A.
verbū ſpiritale, & verbum ſenſibile. 14 b. 54 B. 101 a.
verba nona quæ admittenda 37 B.
veritas 16. b. 85. a. B.
verſipellis aſtutia 57 A. verſutus 50 B.
Veteris teſtamēti tres partes 83 a.
vexatione erudiēdi ſubditi rebelles 36 a.
via Chriſti. 102 b.
viæ duæ ī euāgelio, ſpacioſa, & arcta 25 A.
vicarij paſtorū eccleſiaſticorum 95 A.
vicini boni commodum 94 A.
victima Chriſtianorum 55 b.
victimę & ſacrifica quō deo placerent aut diſplicerent 59 a. 63 b. 79 B.
victoria belli à domino datur 81 a.
victus frugalis optimus 67 a.
victus cōcionatoribus ſuppeditādꝰ 85 B.
viduæ 31 B. 61 a. 84 b.
vincti terræ qui ſint 26 b.
vinolentiæ mala 9 b. 75 b. 80 B.
vinū ſāguis terrę 76 A. res luxurioſa 76 a homini venenum 86 A. 104 b.
vires cōſilio & prudētia inferiores 78 A.
viriatus Luſitanus 64 b.
virorum munus erga vxores ſuas 72 b
virtus. 47 a. 67 a. 70 A. 91 A
virtutum moraliū finis 81 A.
viſus cæteris ſenſibꝰ præſtantior 62 A.
vita cū doctrina conſentire debet 48 A.
vita præſens ſine pctō nō trāſigitur 87 a.
vita malorum breuiatur 41 B.
vitæ longæuæ promiſſio iuſtis 97 a.
vitia carnis maximā infamiā īcutiūt 30 a.
vitia ſpeciē virtutum habentia 55 a. 66 B.
viuæ vocis energia 59 A.
viui abſorpti in infernum 7 b.
vltionem affectare non debemus 78 a.
vlyſſes facundus 40 B.
vmbilicus qui intelligatur in ſac. lit. 17 b.
vnigenitus filius dicitur & de eo qui plures fratres habeat 21 b.
vniuerſitas ſeptenario deſignatur 92 b.
volūtas propter nimia cōſuetudine ī naturā cōuertitur 22 b.
voluptatis comites dolor & triſtitia 53 B.
voracium inſatiabilitas 54 A. 85 A.
votum, reddendum eſt 78 B.
vrbium ſalus & euerſio vnde 44 b. 45 A.
vrſę furor raptis catulis 68 B.
viura vt cognoſcatur 96 a. B.
vſurarii. 18 A. 83 A. 96 B.
vſus naturam inflectit 82 a.
vultu paſsiōes animi pdūtur 49 a. 69 B.
vxoris bonæ commodum 72 B. 74 B.
vxoris & viri inter ſe amor 26 A.

Y

ὑπερήφανος ſuperbus 34 A.

Z

Zadik 108 a. zain 106 a.
zambri domus euerſa 55 A.
zelotypiæ lex apud Hebræos 47 B.
zelus quid 30 a. 96 A.
zizaniorum & ſeminis parabola. 2. A.
zorobabelis ſapientia pręcoętaneis 84 B
zutham, quæ & ceruiſia 105 A.

FINIS.

ERRATA SIC REPONE.

Fol. 3. A. verſu 24. lege, operatricum. 8. a. verſu à fine 12. immineat. 14 A. 10. mediocre. 22. b. 51. mali intentat. 40 b. 36 poſtulat. 50. b. 51. ἀτιθέμενος 57. a. 31. tumore. 75. A. 1 co amore. 82 a verſu penult. peſſimę ſemētu. 89. b. 36. lege, nubeculis & ventis præſagiētibus. 99. a. verſu à fine 9. propheticis, fuiſſe diſſip.

ARGVMENTVM PRIMI CAPITIS.

PLVRIMVM *conducunt Salomonis Parabolæ ad nanciſcendam rerum diuinarum cognitionem, & ut optimis moribus inſtituti, Deum optimum & maximum ſyncerius, purius & perfectius agnoſcant, eiusq; ſapientiam ac ſublimem ſacrarum literarum philoſophiam ediſcant: quam ſine moralis diſciplinæ ſubſidiis & adminiculis ſibi comparare non poſſunt, nec abſq; uitæ ſanctimonia, morum probitate, prudentia & æquitate ad ſummum uirtutis faſtigium peruenire: ſibi perſuadeant, ſi Salomonis exhortationi obtemperare uelint, pulcherrima diuinæ ſapientiæ primordia ac feliciſſima auſpicia à timore domini dimanare: quem qui abiiciũt & aſpernantur, indigni ſunt ut ſapientiæ ſanctuarium ingrediantur, eiusq; fructum uberrimum percipiant. quòd ſi uolent aliquando dura calamitate afflicti, & procelloſa tempeſtate iactati, ad eam confugere, eiuſque auxiliũ depoſcere, non exaudientur, eò quòd eam exoſam habuerunt nec opportunè eius cõſilio aequieuerũt.*

CAPVT PRIMVM.

P*Arabolæ Salomonis filii Dauid regis Iſrael, ad ſciendam ſapientiam & diſciplinam, ad intelligenda uerba prudentiæ, & ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiã & iudicium, & æquitatem, ut detur paruulis aſtutia, adoleſcenti ſcientia & intellectus*) Similitudo ſiue collatio Græce dicitur παραβολὴ, ἀ παραβάλλω confero, cũ ſentẽtia metaphoræ inuolucro conueſtitur: vt diligenter annotauit Eraſmus in ſcholiis præfationis Hieronymi in librum Regum, vbi dicit Hieronymus Salomonem tres Hieronymus
libros habere, Prouerbia, quæ Hebræi Miſle appellant: Eccleſiaſten, id eſt Coeleth, quem Latini concionatorem vocant: & Canticum Canticorum, quem titulo Sir Haſirim appellant. Hæc eadem ſcribit præfatione in Prouerbia Salomonis. Iuxta L XX. interpretũ editionem in exordio huiuſce capitis Græce legimus, παροιμίαι Σολομῶντος, id eſt Parabolæ Salomonis. Nec inutile nobis videbitur, paucis ãnotare finitionẽ parœmiæ. Parœmia (definitore Donato) eſt accommodatum rebus temporibuſq; prouerbiũ. Diomedes autem definit hunc ad modum, Parœmia eſt prouerbij vulgaris vſurpatio, rebus temporibuſque accõmodata, cum aliud ſignificatur quàm dicitur. Alij & hoc pacto deſcribunt: Parœmia ſiue prouerbium eſt ſermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadã obſcuritate multam in ſeſe continens vtilitatẽ. Aut, ſi mauis, Prouerbium eſt ſermo rem manifeſtã obſcuritate tegens. Cũ enim dicimus protrito adagio, Noſcito teipſum, ſi ad elementa ipſa & verba proſpexerimus, nihil ipſis dilucidius, nihil deniq; apertius nobis innoteſcere poterit. ſi tamẽ abditiſsimam prouerbioli ſententiã penetrare voluerimus, & quidnã ſacri eloquij ſub tantillo verborũ velamento lateat, excutere nobis conceſſum fuerit, non addubito quin nobis admodum difficile erit ſcire quid adagiolum illud ſibi velit. An ſatis abunde ſeipſum nouerit homo, ſi citra fidei cognitionem, ius naturæ, quod omnibus à Deo optimo inſitũ eſt, agnouerit, & acerrimè tueatur: an potius, cum huiuſmodi æquitatem euangelicæ legi ſumma cum amicitia copulat & adnectit, vt ſemper planè cognoſcat rependo humi, ſe Chriſto perfectæ libertatis aſſertori optimo eſſe deuinctiſsimum, tametſi primam illam iuris naturalis regulam ſectetur, nihilque ſibi velit arrogare, & ſemp paratus ſit inſpecta humanæ naturæ imbecillitate, ſe diuinę miſericordiæ ſubmittere? Quòd ſi tuum velis conuertere ingenium ad perquirendã prouerbiorum antiquitatem, & antiquiſsimam dignitatem, nullũ ſanè doctrinæ genus reperies prouerbiis antiquius fuiſſe. In his ſiquidẽ ceu ſymbolis & oraculis tota ferme priſcorum philoſophia continebatur. In his deniq; perſuadendi vires, & orationis gratiæ ac virtutes, ob cõpendium breuitatẽq;, partim ob feſtiuitatẽ ac leporẽ florebant, ſuũq; ornamentũ retinebãt. Quibus tãtum honoris habitũ eſt, vt non ab homine profecta, ſed cælitus delapſa viderẽtur. Nec minus feſtiuiſsimis parœmiarũ formulis eruditiſsimi ac eloquẽtiſsimi authores oblectati ſunt, q̃ ſacrorũ myſteriis. Quòd ſi nihil aut parũ vtilitatis ineſſet prouerbiis, non tam denſe nec tam frequenter in ſacris ſcripturis citarentur. Vſus eſt parabolis Balaam cum Balach, quando loco maledictionis Iſraelitico populo benedixit. Iob Nume.23.

Iob.17. pariter aſſumpſit parabolam,cum iurauit domino ſe non loquuturũ iniquitatem, neq;
Pſal.48. mendacium,neq; ſuã innocentiam & iuſtificationẽ deſerturum. Frequẽs eſt etiam apud
2.Corin.5. pſalmographum parabolarũ lectio.Inclinabo,inquit,in parabolam aurẽ meã.Quandiu
1.Corin.13. enim ſumus in hoc corpore,& peregrinamur à domino, quem ſolùm per ſpeculum in
ænigmate videmus,in parabolã aures noſtras inclinamus, & ſanctiſsimis domini parœ-
miis auſcultamus, qui nos teſtaceo vaſe concluſos,tropis,ſchematibus,& parabolis pro
tantillo noſtri ingenij captu erudit.Quicquid enim cognoſcimus, ſi perfectiſsimæ bea-
Ibidem torum cõtemplationi conferatur,perpuſillum videbitur:ſiquidẽ ex parte cognoſcimus:
cum autem venerit quod perfectũ eſt,euacuabitur quod ex parte eſt.Et quicquid modò
Auguſtinus intelligimus,per ænigmata cõſpicimus, vt dicit Auguſtinus ediſſerẽs illũ pſalmographi
locũ,quẽ nunc protulimus. Verùm cum nobis concedetur intueri Deum facie ad faciẽ,
nullis parabolis & ænigmatib⁹ relinquetur locus. Et alibi dicit regius propheta de Chri-
Pſalm.68. ſto vaticiniũ texens,Et factus ſum illis in parabolã,id eſt in irriſionẽ,vt vult Auguſtinus.
Parabola autem dicitur, quando datur ſimilitudo de aliquo dum de illo maledicitur.
Sic ille,verbi gratia,pereat,quomodo ille: parabola eſt, id eſt comparatio & ſimilitudo
maledicti.Hæc ille.His pulchrè cohærent quæ dicit Paulus in epiſtola ad Galatas,Chri-
Galat. 3. ſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictũ:quia ſcriptum eſt,Ma-
Deuter.21. ledictus omnis qui pendet in ligno. Rurſum dicit dominus per eundem prophetam,
Pſalm.77. Aperiam in parabolis os meum.quem debemus aſsiduis precationibus interpellare, vt
ſicut in parabolis aperit os ſuũ,ita & nobis ſubobſcuras parabolas velit aperire.Meminit
& parabolarum Ezechiel,cui dixit dominus,Quid eſt ꝙ inter vos parabolam vertitis in
Ezech.18. prouerbium iſtud in terra Iſrael,dicentes, Patres comederunt vuã acerbam,& dentes fi-
Hieronymus liorum obſtupuerunt? vbi dicit Hieronymus,prouerbium & parabolam aliud in verbis
Ezech.20. ſonare,aliud in ſenſu tenere.Amplius,Ipſi dicunt de me,nunquid non per parabolas lo-
quitur iſte?ac ſi vellent innuere, Planius loquere:non intelligimus per parabolam quid
loquaris:aperto ſermone, Dei nobis pande ſententiam. Inſuper nobis compertum eſt
Chriſtum in euangelica philoſophia parabolis (quibus nihil eſt Chriſtianæ religioni
vicinius)peculiariter delectatum fuiſſe,qui confertiſsimæ turbæ multa locutus eſt in pa-
Matth.13. rabolis,dicens:Ecce exiit qui ſeminat ſeminare:& dum ſeminat,quædam ceciderunt ſe-
cus viam,& venerunt volucres cæli & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petro-
ſa,vbi non habebant terram multam,& continuò exorta ſunt,quia non habebant alti-
tudinem terræ.Sole autem orto æſtuauerunt:& quia non habebant radicem, aruerunt.
Alia autem ceciderunt in ſpinas,& creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea.Alia autem ce-
ciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum,
aliud triceſimum. Qui habet aures audiendi, audiat. Hic vides Chriſtum obſcuris ad-
miſcuiſſe perſpicua, vt per ea quæ intelligebant turbæ, prouocarentur ad eorum no-
titiam,quæ non intelligebant. Hæc autem ſacra parabolarum myſteria demirantes
apoſtoli dixerunt, Quare in parabolis loqueris eis? Qui reſpondens ait illis:Quia vobis
datum eſt noſſe myſteria regni cælorum, illis autem non eſt datum. Qui enim habet,
dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet,et quod habet, auferetur ab eo.Ideo in
parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque in-
Eſaiæ.6. telligunt: vt adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ, dicentis, Auditu audietis, & non in-
Matth.13. telligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hu-
ius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando videant ocu-
lis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos. Veſtri
autem beati oculi, quia vident: & aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico
vobis, quia multi prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt:
& audire quæ auditis, & non audierunt. Ne tamen diſcipuli acerbius & vehemen-
tius æquo dolerent, quòd huiuſce abditiſsimæ parabolæ ſenſum non caperent, im-
plicita explicuit, nodoſa enodauit, abſtruſa recluſit, & ſeminantis parabolam eis ediſ-
ſeruit, dicens: Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, &
rapit quod ſeminatum eſt in corde eius: hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Qui
autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, & cum gaudio
accipit

accipit illud:non habet autem in ſe radicem, ſed eſt temporalis. facta autẽ tribulatione & perſecutione propter verbũ,continuò ſcandalizatur.Qui autẽ ſeminatus eſt in ſpinis, hic eſt qui verbũ audit,& ſolicitudo ſeculi iſtius,& fallacia diuitiarum ſuffocat verbũ,& ſine fructu efficitur.Qui verò in terram bonã ſeminatus eſt,hic eſt qui audit verbum,& intelligit,& fructum facit,& aliud quidem centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud verò triceſimum.Aliam autem parabolã propoſuit illis,dicẽs,Simile eſt regnũ cælorũ homini qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo:cum autem dormirent homines,venit inimicus eius,& ſuperſeminauit zizania in medio tritici,& abiit.Cum autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias,dixerunt ei:Domine,nonne bonũ ſemen ſeminaſti in agro tuo?Vnde ergo habet zizania?Et ait illis,Inimicus homo hoc fecit.Serui autem dixerunt ei:Vis,imus,& colligimus ea?Et ait,non: ne forte colligentes zizania,eradicetis ſimul cum eis & triticũ. Sinite vtraq; creſcere vſq; ad meſſem:& in tempore meſsis dicã meſſoribus: Colligite primùm zizania,& alligate ea in faſciculos ad cõburendum,triticum autem congregate in horreum meum. Hanc autẽ ſecundã parabolam non ſtatim interpretatus eſt, eã tamen interiectis aliis diſſeruit.Tertiã eis propoſuit dicens,Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis,quod accipiẽs homo ſeminauit in agro ſuo,quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus:cum autem creuerit, maius eſt omnibus holeribus,& fit arbor,ita vt volucres cæli veniant & habitent in ramis eius.Aliam rurſus parabolam locutus eſt eis:Simile eſt regnum cælorum fermento quod acceptũ mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus,donec fermentatum eſt totum.Hæc omnia (vt narrat euangeliſta) locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas,& ſine parabolis non loquebatur eis:vt impleretur quod dictum eſt per prophetam dicentem,Aperiam in parabolis os meum:eructabo abſcondita à cõ- Pſalm.77. ſtitutione mundi. Tunc dimiſsis turbis venit in domum:& acceſſerunt ad eum diſcipuli eius,dicentes,Ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri.Qui reſpondens ait,Qui ſeminat bonum ſemen,eſt filius hominis.Ager autem eſt mundus.Bonum vero ſemen,hi ſunt filij regni:zizania autem, filij ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminauit ea , eſt diabolus.Meſsis verò conſummatio ſeculi eſt. Meſſores autem angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania,& igni cõburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi.Mittet enim filius hominis angelos ſuos,& colligent de regno eius omnia ſcandala,& eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis.ibi erit fletus , & ſtridor dentium. Planè cognoſcimus Chriſtum frequẽter habuiſſe in ore parabolas, propter vulgares & rudiores,quos rerum ſenſilium ſimilitudine cupiebat ad regni cæleſtis cognitionem accerſere:qui tamen propter incredulitatem & obſtinatum animum non merebantur parabolas ſibi explicari.Et cum illis propoſuiſſet ſimilitudinem regni cælorum in patrefa- Matth.20. milias qui diluçulo conduxit operarios vt ſuam vineam excolerent , murmurauerunt primi qui portauerant pondus diei & æſtus,quòd inæqualibus laboribus æqualia repẽderit præmia:nullam tamen eis fecit iniuriam , quia cum optimo & æquiſsimo patrefamilias denario conuenerant. Verùm vt dominus noſter Ieſus Chriſtus ſalutis omnium amantiſsimus,Scribas & Phariſæos ad ſui cognitionem etiã ipſis penè inuitis & reclamantibus adduceret,eis propoſuit parabolã patriſfamilias qui plantauit vineã, & ſepem Matth.21. circundedit ei,& fodit in ea torcular,& ædificauit turrim,& locauit eã agricolis, & peregre profectus eſt.Cũ autẽ tempus fructuum appropinquaſſet , miſit ſeruos ſuos ad agricolas,vt acciperent fructus eius:& agricolæ apprehenſis ſeruis eius,aliũ ceciderunt, aliũ occiderunt,aliũ verò lapidauerunt.Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerũt illis ſimiliter.Nouiſsimè autẽ miſit ad eos filium ſuũ,dicens:Verebuntur filium meum. Agricolæ autem vidẽtes filiũ,dixerunt intra ſe:Hic eſt hæres:venite occidamus eum,& habebimus hæreditatem eius.Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineã,& occiderũt. Cũ ergo venerit dominus vineæ,quid faciet agricolis illis?Aiunt illi,Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis,qui reddent ei fructum temporibus ſuis.Dicit illis Ieſus,Nunquam legiſtis in ſcripturis,Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic Pſalm.117. factus eſt in caput anguli:A domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris? 1.Petr 2. Ideo dico vobis,quia auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Eſa.28.

Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum,confringetur:ſuper quem verò ceciderit,conteret
eum.Et cum audiſſent principes ſacerdotú & Phariſæi parabolas eius,cógnouerút quòd
Hieronymus de ipſis diceret. Hæc exponens Hieronymus dicit:Quamuis duro corde eſſent, propter
incredulitatem,& impietatem in filium Dei,habentes tamen apertas propoſitiones,ne-
gare non poterant,& intelligebant contra ſe omnes domini ſententias dirigi. Locutus
eſt etiá Chriſtus aliquando cum ſuis diſcipulis in parabolis , vt euangeliú Ioannis indi-
Ioan 16. cat,in quo ſcriptum eſt,Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis:venit hora cum iam non
in prouerbiis loquar vobis,ſed palàm de patre meo annúciabo vobis.In illo die in no-
mine meo petetis:& non dico vobis,quia ego rogabo patrem de vobis, ipſe enim pater
amat vos,quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Exiui à patre , & veni in
mundum.Iterum relinquo mundum,& vado ad patrem. Dicunt ei diſcipuli eius : Ecce
nunc palàm loqueris,& prouerbium nullum dicis.Nunc ſcimus quia ſcis omnia,& non
opus eſt tibi vt quis te interroget.Cum velamento carnis obtegebantur diſcipuli,& car-
nalia ac terrena ſapiebant,eis loquebatur præceptor in parabolis,& rerum ac ſentétia-
rum inuolucris & myſteriis eos ad ſui patris & regni cæleſtis cognitionem attrahebat:
ſed poſito cæcitatis velaméto,& detecta carnis ac incredulitatis nube,palàm & dilucidè
cum eis colloquutus eſt,& quinquaginta diebus conuerſando cum ipſis, arcana regni
ſui patris eis detexit.

¶ Iam ſatis abunde docuimus quid ſit parabola,& cui potiſsimum vſui ſit códucibilis:
nunc perueſtigandú eſt à quo editæ ſunt huiuſmodi parabolæ , & quiſnam earum pro-
prius ſit autor. Si quid emunctæ naris habeat lector optimus,facilè ſibi perſuadebit,Sa-
lomoné in omni genere diſciplinæ peritiſsimum,has cópoſuiſſe parabolas:& nó ſolùm
ab exordio huiuſce operis,in quo ſcriptú eſt , Parabolæ Salomonis, ſibi huiuſce rei fidé
facie(tametſi id nonnihil habeat momenti)verùm etiam ex eo quod apud Eccleſiaſten
Ecclef.12. legit,in quo memoriꝫ proditum eſt:Cum eſſet ſapientiſsimus Eccleſiaſtes,docuit popu-
lum,& enarrauit quæ fecerat,& inueſtigás cópoſuit parabolas multas. Omitto quòd in
3.Reg.4. libris Regum de Salomone legimus,Locutus eſt Salomon tria milia parabolas. Fatetur
Hieronymus etiam Hieronymus pręfatione in Prouerbia Salomonis,ſe feciſſe interpretationé trium
voluminum Salomonis, quæ ſunt,Prouerbia,Eccleſiaſtes,& Canticum Cáticorú. Dicit
etiam in ſuis commentariis in Eccleſiaſté, Salomonem iuxta numerum trium vocabu-
lorum quibus vocatus eſt , tria volumina edidiſſe, Prouerbia, Eccleſiaſten , & Cantica
Canticorum.Aſſentitur & Auguſtinus Hieronymo,libro X V I I.de Ciuitate Dei,cap.
X X.dicens Salomonem propheraſſe in ſuis libris,qui ſunt tres recepti in authoritatem
canonicam,Prouerbia,Eccleſiaſtes, & Canticú Canticorú.Eiuſdem quoque ſentétiæ eſt
Salonius. Salonius vir eruditiſsimus,in ſuis ad hoc opus dialogis , vbi dicit Salomoné ex eo huic
libro parabolarum nomen impoſuiſſe,vt demonſtraret quia non iuxta literam, ſed ali-
Lyranus. ter & ſpiritaliter intelligere debemus quod dicit.Dicit tamen Lyranus ediſſerendo ſcri-
pturam illá,Locutus eſt Salomon tria milia parabolas,hunc parabolarum librú à Salo-
mone factú,nó quia ſcripſerit,ſed quia verba excellentia,&(vt dicit)notabilia,frequéter
diuerſis locis & téporibus dicebat, & aliqui ei aſsiſtentes & audientes conſcripſerunt, &
in ſcripta redegerút,& poſtea ex diuerſis ſcriptis fuerunt collecta.Et hanc viſus eſt ſequi
Dionyſius ſententiá Dionyſius Carthuſianus in ſuis ad hoc opus cómentariis,vbi dicit,Liber iſte
Carthuſianus. prouerbiorum Salomoni adſcribitur , non quòd ipſe immediate ediderit aut conſcri-
pſerit librum,ſed quoniam verba ab eo prolata miniſtri eius notauerunt, & conſcripſe-
runt inde in ſchedulis & membranis , quæ poſtea ab aliquo ſapiente in vnum collecta
ſunt,non tamen ab vno ſolo.Et iſtud coniicitur potiſsimum ex eo, quòd iſte prologus
Prouerb.25. capiti X X V.huius operis præmittitur, Hæ quoque parabolæ Salomonis , quas tranſ-
tulerunt viri Ezechiæ regis Iuda. Sed hæc ratio non cócludit, nec indicat Salomonem
hoc prouerbiorú opus non edidiſſe.nó enim qui transfert quodpiá opus, cenſendus eſt
autor illius operis quod vertit.Et bic quidam viri peritiſsimi,loco tranſtulerunt,legunt
tranſcripſerunt:Hebræi legunt,fortificarunt. Nec vetat Salomonem Hebraicè huiuſ-
modi parabolas protuliſſe , & ex earum numero viros Ezechiæ quaſdam communicaſſe
aliis gentibus, eas in ſuam linguam tráſferri cupientibus. Et ita dicédum eſſe exiſtimat
Dionyſius

Dionyſius Carthuſianus, tuendo hoc opus eſſe Salomonis. Et ꝙ Salomon in parabolis
locutus ſit, ſignificat dominum Ieſum Chriſtum, qui per parabolas locutus eſt turbis Iu-
deorum. Significat & nomen Salomonis, quod pacificus interpretatur, Ieſum Chriſtum.
Siquidem Chriſtus vere pacificus dicitur, qui poſt ſuam reſurrectionem pacẽ & concor-
diam ſuorum diſcipulorũ mentibus infudit, & de quo dicit apoſtolus, Chriſtus pax no- Ioan. 20.
ſtra, qui fecit vtraq; vnũ. Atque iterum, Pacificãs per ſanguinem ſuum, ſiue quæ in cœ- Epheſ. 2. Coloſſ. 1.
lis ſunt, ſiue quæ in terris. De hac re fuſius egimus in noſtris ad Eccleſiaſten commenta-
riis. Quòd autem Salomon fuerit filius Dauid, indicat XII. caput II. Regum. Quòd 2 Reg. 12.
verò Dauid rex fuerit Iſrael, teſtatur II. cap. III. libri, vbi dicitur, Dies quibus regnauit 3. Reg. 2.
Dauid ſuper Iſrael, quadraginta anni ſunt, in Hebron regnauit ſeptem annis, in Hieru-
ſalem triginta tribus.

¶ Parabolæ Salomonis ſummopere cõducunt ad aſſequendam ſapientiã & diſciplinã,
& vt homo ſingulari quadam prudentia res humanas gubernet. Hic ſapientiam voca-
mus ſcientiam diuinorum contemplatricẽ, quæ vt in altiſsima ſpecula cuncta digniſsi-
me proſpectat: cuius ſtudioſi propria negligẽtes cõmoda, & inuicta animi magnitudine
res humanas deſpicientes, ſolũ honorabiliſsima & ſcitu difficillima admirantur. Quam-
obrem rectè cenſuit Ariſtoteles VI. Ethicorum cap. VII. Anaxagoram & Thalem & ſi- Ariſtoteles.
miles, ſapientes eſſe, non autem prudentes. Nam propria commoda ignorabant, & vitæ
quidem ſuperflua, & difficilia cognitu, diuinaq; ſciebanr. Nec abſq; ratione ſummus ille
philoſophus dixit ſapientiã eſſe ſcientiarum omnium exactiſsimã, quandoquidem nõ
ſolum oportet ſapientẽ ſcire quę ex principiis cognoſcuntur, ſed etiã circa principia di-
cere verũ: quare ſapientia intellectus eſt & ſcientia, &, vt caput habens, ſcientia eorũ quæ
honorabiliſsima ſunt. Et qui præclariſsimã hanc virtutẽ poſsidet, eamq; exercet, omniũ
iudicio feliciſsimus cenſetur: nec ſyncera voluptate carere poteſt. Nam operationum
virtutum ea proculdubio iucundiſsima eſt, quæ per ſapiẽtiã prodit, vt vult idem philo-
ſophus X. Ethicorũ cap. VII. & à propria cõtemplatiuæ partis virtute enaſcitur. Et quia
mens eſt quid diuinũ, aut eorũ quæ ſunt in nobis, idipſum diuiniſsimũ eſt, ſapientis vita
quæ ab ea dimanat, diuina iudicabitur. Hæc autẽ vita ſummè expetibilis, & quæ à ſapiẽ-
tia proficiſcitur, hominis naturã ſuperat. Nõ enim hoc ipſo quò homo eſt, ita viuet, ſed
quò eſt quid in ipſo diuinum. Et qui mentẽ ipſam colunt, menteq; operantur, Deo, im- 10. Ethi. 8.
mortalibuſque cæli numinibus fiunt amiciſsimi. Sed dic, quæſo, quinã ad ſingularem &
omniũ votis expetendã Chriſti Dei equi dẽ optimi & maximi amicitiã propius ac vici-
nius vnquã q̃ ipſi apoſtoli acceſſerũt? qui è lympidiſsimis ſapientiæ fontibus viuã aquã
exhaurientes, ſecretiſsima rerũ diuinarũ arcana intellexerunt, quibus dominus aliquãdo
dixit: Vobis datũ eſt noſſe myſteria regni cælorũ. Nec aliã ob cauſam tãtũ muneris ipſis Math 13.
collatũ eſt, q̃ ꝙ relictis retibus, relictiſq; ſuis parẽtibus, & neglecta rerũ humanarũ cura,
ſuũ præceptorẽ, ſuumq; ducẽ & anteſignanum ſequuti ſunt, eiuſq; lateri adhærentes, ſe Math 4.
totos tranquillo ſapientiæ ac contemplationis ſtudio addixerunt, & in Chriſtiana ſui
præceptoris ſchola diſcẽtes eũ eſſe vitã æternã, vt cognoſcamꝰ patrẽ, & quẽ miſit Ieſum Ioan. 17.
Chriſtũ, eſſe verũ Deũ, corã ſæuiſsimis tyrãnis & infeſtiſsimis fidei hoſtibus ingenue cõ-
feſsi ſunt Chriſtũ eſſe filiũ Dei viui, & oĩm redẽptorẽ: quos ꝑ tantæ fidei ꝓfeſsione cõfi-
tetur corã patre ſuo q in cælis eſt. Quis neſcit Petrũ apoſtolorũ verticẽ & ducẽ primariũ, Matth. 10.
plurimũ profuiſſe eccleſię, quãdo interrogatus à Chriſto quid de ſe ſentiret, reſpõdit, Tu Matth. 16.
es Chriſtus filius Dei viui? Quis denique ignorat Ioannem euangeliſtã inter ſapientiſsi-
mos inſignem Aquilam, plurimũ eccleſiam militãtem iuuiſſe ad reuincẽdos hæreticos
cum dicit, In principio erat verbũ, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbũ? Perfecta Ioan. 1.
igitur diuinæ ſapiẽtiæ virtus eſt, cõfiteri Chriſtũ eſſe incarnatũ pro nobis, & paſſum ꝓ- Roma 4.
pter noſtra delicta, & reſurrexiſſe propter noſtrã iuſtificationẽ. Quapropter mihi rectè
viſus eſt Paulus dixiſſe Corinthiis: Nõ enĩ iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum 1. Corin. 2.
Chriſtum, & hunc crucifixũ. vbi plane docet hanc ſapientiã non eſſe in argumentis phi-
loſophorum, neque in perſuaſione rhetorum ſitã, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis,
quam (vt ait) loquimur inter perfectos, ſapientiã verò nõ huius ſeculi, neque principum
huius ſeculi qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam, in myſterio quæ abſcondita

eſt,quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit.Si enim cognouiſſent, nũquam dominum gloriæ crucifixiſſent.
Eſaiæ.64. Scriptum eſt,quòd oculus non vidit,nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus his qui diligunt illum:nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. In eadem epiſtola oſtendit Paulus nobis cauendum eſſe ne humanæ ſapientiæ deliciis capiamur & irretiamur, quam nemo neſcit in lepidiſsimo verborum ornatu conſtitutam eſſe,quo flectuntur auditores,& eorum aures mirè demulcentur:& qui hanc flexanimam eloquentiam didicerunt,plerũque inſoleſcunt,& elati in ſuperbiam,incidunt in
1.Corin.1. laqueos diaboli.Nõ enim,inquit,miſit me Chriſtus baptizare,ſed euangelizare, non in ſapientia verbi:vt non euacuetur crux Chriſti.verbum enim crucis pereuntibus quidem
Eſa.29. ſtultitia eſt,his autem qui ſalui fiunt,id eſt nobis,Dei virtus eſt.Scriptum eſt enim,Perdã ſapientiam ſapientium,& prudentiam prudentium reprobabo. Vbi ſapiens?vbi ſcriba? vbi inquiſitor huius ſeculi?Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius ſeculi? Nã quia in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum,placuit Deo,per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credentes:quoniam & Iudæi ſigna petunt,& Græci ſapientiam quærunt:Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum,Iudæis quidem ſcandalũ, gentibus autem ſtultitiam,ipſis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus:& quod in-
2.Corin.1. firmum eſt Dei,fortius eſt hominibus.Et alibi dicit, Gloria noſtra hæc eſt,teſtimonium conſcientiæ noſtræ,quòd in ſimplicitate cordis,& ſynceritate Dei, & non in ſapientia carnali,ſed in gratia Dei conuerſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.
Roma.8. Inſuper dicit in epiſtola ad Romanos, hanc carnalẽ & faſtuoſam ſapientiã, ambitionis quidem & iactantiæ plenam,eſſe inimicam Deo.legi enim Dei non eſt ſubiecta,nec poteſt. Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et huiuſmodi ſapientiam in amarulentis hominum cordibus regnantem, in quibus ſunt contentiones,iræ & rixæ,
Iacob. 3. vocat Iacobus terrenam,animalem,& diabolicam.Sed illa quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt,deinde pacifica, modeſta,ſuadibilis,bonis conſentiens,plena miſericordia,& fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Nec qui ſua immodicè iactant ſtudia,plurimumque literaturæ ſibi vendicant,ſuauiſsimum huiuſce ſapientiæ fructum indipiſcuntur,ſed duntaxat pauperes ſpiritu, & ſimplices, ac qui magna cum animi ſummiſsione ſua potius extenuant,quàm extollant.Idcirco rectè & ſapienter di-
Matth.11. cebat Chriſtus,Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapiẽti-
Hieronymus bus & prudẽtibus,& reuelaſti ea paruulis. Huiuſce loci ſenſum adaperiẽs Hieronymus dicit, Chriſtus gratias agit, & exultat in patre,ꝙ apoſtolis ſui aduentus aperuerit ſacramenta,quæ ignorauerint Scribæ & Phariſæi,qui ſibi ſapientes videntur,& in conſpectu ſuo prudentes.Nec hic de ſapientia diſſerimus, quam in artibus tranſlatitiè iis tribui-
6.Ethi.7. mus artificibus,qui in ipſis ſunt exactiſsimi. Phidiam enim,ſapientem ſculptorẽ lapidũ dicimus, & Polycletum ſtatuarium identidem ſapientẽ. Atque hic ſapientiam nil aliud intelligimus,ꝗ ipſius artis virtutem ſiue excellentiã,perfectionisq; apicem.Et de hac ſa-
Exod.31. pientia locutus eſt dominus ad Moyſen dicens, Ecce vocaui ex nomine Beſeleel filium Huri filij Hur,de tribu Iuda,& impleui eũ ſpiritu Dei,ſapientia & intelligentia, & ſciẽtia in oĩ opere ad cogitandũ quicquid fabrefieri poteſt ex auro & argẽto & ære & marmore & gemmis,& diuerſitatẽ lignorũ.Sed hic agimus de ſapientia ſimpliciter dicta,quæ partis contemplatiuæ abſolutiſsima eſt virtus, ſuiipſius gratia expetibilis: quam qui poſsi-
1.Metaphy.2. det,ſuprema principia,primaſque cauſas,& maximè vniuerſalia,ac quæ omnium diuiniſsima exiſtunt,intelligit.Sed plus ſatis de ſapientia, ad quam aſſequendã adminiculo ſunt Parabolæ Salomonis.

¶ Conducunt & huiuſmodi prouerbia ad comparandam diſciplinam, hoc eſt ad cognoſcendum ſaluberrima humanæ vitæ præcepta,quibus homines rectè educari debẽt & inſtitui,quibus deniq; Reipublicę ſtatus optime gubernari debeat, & hominum mores cõponi.Et hic appoſitè ſumetur diſciplina pro recta morũ inſtitutione,ſiue pro ſanctæ & puræ vitæ conuerſatione.Diſcere igitur diſciplinam,eſt cognoſcere qualiter vnũquẽq; rectè viuere oporteat,& quò debeat mentẽ animiq; intentionẽ inflectere. Primũ itaque

itaque te docebunt parabolæ quomodo recte credere debeas : deinde infixa tuæ méti Deuter.6.
fide,quoná pacto te debeas gerere erga deú & proximú:illum toto corde,tota mente,tota Leuiti.19.
deniq; anima diligédo,húc vero ſicut teipſum. Vnde dicit Ioánes, Et in hoc ſcimus quo- Mat.22. 1.Ioan.2.
niã cognouim⁹ eú,ſi mandata eius obſeruam⁹.Qui dicit ſe noſſe deú,& mádata eius non
cuſtodit, mendax eſt,& in hoc veritas non eſt.Nobis vellicat aurem Pſalmographus, vt
amplexemur diſciplinã,dicens,Apprehendite diſciplinã,nequando iraſcatur dominus, Pſal.2.
& pereatis de via iuſta. Dicit & Eccleſiaſticus,Audi me fili, & diſce diſciplinam ſenſus, Eccleſi.16.
& in verbis meis attende in corde tuo.Quòd ſi diſciplinæ leges & præcepta abieceris,exi-
ſtimes te breui fore infelicisſimum.Etenim in Sapientiæ libro ſcriptum eſt, Sapientiam Sapi.3.
& diſciplinam qui abiicit, infelix eſt.Sunt qui hoc in loco vocant diſciplinam, debitam
peccati correctionem : nec id abſurde dictum putes.Nam in hoc opere dicit Salomon,
Noli ſubtrahere à puero diſciplinam.ſi enim percuſſeris eum virga,nó morietur Tu vir- Prouer 23.
ga percuties eum,& animam eius de inferno liberabis.

❡ *Ad intelligenda uerba prudentiæ* .) Prudentis eſt officium, bene conſulere poſſe cir- 6.Eth.5.
ca ea quæ ſibi ſunt bona, ac proſunt:non aliqua ex parte, vt quænam ad ſanitatem vel
vires,ſed quænam ad bene viuendú omnino conducant. Argumento eſt id ita eſſe, eos
etiam qui circa aliquid verſantur,prudentes dici,cum bene ad finem ſtudioſum aliquem
excogitauerint ea quorum nulla eſt ars.quare & omnino prudens is eſt,qui ad conſultan
dum eſt aptus.Conſultat autem de iis nemo,quæ aliter ſeſe habere non poſſunt,aut de iis
quæ ipſe agere nequit.Quare ſi ſcientia quidem eſt cum demonſtratione(quorum autem
principia aliter ſeſe habere poſſunt, eorum non eſt demonſtratio,cuncta enim & aliter
ſeſe habere poſſunt)neque de his quæ ſunt neceſſario,conſultatio fieri poteſt:ipſa prudē-
tia profecto neque ſcientia neque ars eſſe poteſt.Scientia quidem,quia quod ſub actio-
nem cadit,aliter ſeſe habere poteſt:ars autem,quòd aliud actionis,aliud effectionis eſt ge
nus.Reſtat ergo ipſam prudentiam eſſe habitum agendi vera cum ratione,circa ea quæ
ſunt bona homini atque mala.Quòd ſi prudentiam humanarum actionum directricem
diu cõſeruare velis,te temperatam ac frugalem vitam agere oportebit.Enimuero vt pru-
dentiæ vires luxu franguntur,& intemperantia eneruantur,ita & temperantię regula cõ-
ſeruantur & ſtabiliũtur.Animaduerte prudentiam boni ſelectricem,& honeſti iudicem,
nos proxime ad nanciſcendas virtutes morales,& honeſta vitæ officia impellere, cuius
proprium eſt ac peculiare,quaque in actione ac re adminiſtranda metiri ac penſitare &
ſimul attendere quid agendum ſuſcipitur,& poſtquam ſuſceptum id eſt,quid vtile, quid
contrà inutile,quid ſequi,& quid vitare,tum in eligendo & decernendo,tum etiam in a-
gendo ac proſequendo debeamus,multo etiam antè proſpicere,quæ obeſſe, quæ contrà
prodeſſe valeant, quæ profutura ſint,quæve etiam offutura.Quocirca prudentia virtu-
tum omnium & dux & comes & magiſtra,à doctis viris ſemper habita eſt,& ore plenio-
ri à peritis imperitiſque pariter laudata. Verba prudentiæ,& quæ viro bono digna ſunt,
hęc accipe:Pietatem colere atque iuſtitiã: Deo,patriæ,parentibus,cognatis,amicis,& ipſi
hominum generi iuſta honeſtaque pręſtare:Laboribus atque ærumnis non cedere, neq;
ſuccumbere aduerſis:abhorrere à turpibus, ſequi honeſta,atque commendatione digna.
Nobis compertum eſt ex ſana Pauli doctrina,duplicem eſſe prudentiam,alteram carnis, Roma.8.
& alteram ſpiritus : illam dici mortem, noſque ad interitum ob ſolicitudinem & animi
inquetudinem perducere:hanc vero,vitã & pacẽ vere exiſtimari.Illã viis omnibus ſectan-
tur,qui in aula principum aut ſuis aut ſuorum caſsibus venantur ſacerdotia,nihilque no-
ctu diuque in animo pręter ſacerdotiorum aucupia verſant, & q̃diu hac inexplebili ſiti
aduruntur,quo maiori dignitate pręeminent & pręcellunt,eo auidius plerunque huic fal
lacisſimæ prædæ,&,ſi dicere liceat,tanq̃ vultures cadaueri, inhiãt:nec prius ſagaci mente
& æquo iudicio perpendunt ſi nam digni ſint vt ad tantos honores euehantur,& cæteris
pręficiãtur:&,quod maximè dolendum eſt,gaudent ſi dignioribus non dicam prædam,
ſed gloriam præripuerint : quorum ſtudia non tam in euoluendis ſacræ ſcripturæ libris
ſita ſunt,quàm in ambiendis & honoribus & dignitatibus.Huic denique prudentiæ ſub-
ſeruiunt voluptatum mancipia,& qui ardore libidinis accenſi,nihil quod non ſit obſcœ-
num & impudicum loquuntur:quorum venereę cogitationes,& turpisſima inuenta,ve-

re ſcorta ſunt & adulteria. Hanc etiam carnalem prudentiam colunt & ſuſpiciũt quæſtus
& inexplebilis auaritiæ cupidiſsimi, qui cum mane expergiſcuntur, potius ſua auaritiæ ſa
crificia q̃ deo litant, nihilque putant eſſe præſtantius & felicius, q̃ multas in aceruum vnũ
opes congerere, quibus tamen nihil eſt abiectius, nihil fugibilius & deploratius. Qui
vero prudentiam ſpiritus amant & colunt, non quęrunt quæ ſua ſunt, ſed quæ ſunt Ieſu
Chriſti: nec auram popularem venantur, nec facile voluptatum hamo ineſcantur: omnia
hæc terrena & vanitati obnoxia contemnunt, vt ſpiritum quem à deo receperunt, con-
ſeruent, & compoſitis ſuis affectibus æterna cum Chriſto pace fruantur.

¶ *Ad ſuſcipiendam eruditionem doctrinæ*) Vt ſcilicet iſtis vtiliſsimis parabolis facilius & cõmo-
dius ſanam doctrinam, ſacraſque literas duce tibi præceptore optimo perdiſcas, & manũ
ferulæ ſanctiſsimis & literatiſsimis præceptorib⁹ ſubmittas, qui nihil quod paganiſmum
aut captioſas ſophiſtarum argutias perſentiat, te doceãt, ſed quæ ad rectam morum edu-
cationem, fideique rudimenta faciunt plurimum: ſis quoque attentus cum tibi ſacræ ſcri-
Iob 29. pturæ Apophthegmata explicabuntur, iuxta illud Iob, Qui me audiebant, expectabant
ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum: verbis meis addere nihil audebant, &
ſuper illos ſtillabat eloquium meum: expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperie-
2 Timot 3. bant quaſi ad imbrem ſerotinum. Sis quoque memor illius Paulini ad Timotheum inſti-
tuti, Tu vero permane in iis quę didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris, & ꝙ
ab infantia ſacras literas noſti, quę te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quę eſt in
Chriſto Ieſu. Sunt qui in hoc loco aſſeuerant parabolas Salomonis nobis eſſe adiumento
vt artes liberales (quas ipſi vocant doctrinales ſcientias) nobis comparemus, eóque ten-
dere. Sed niſi cęcutieris, dices Salomonem voluiſſe vt prius Liberalibus diſciplinis, vide-
licet Grammatica, Logica, Phyſica & mathematicis literis imbueremur, q̃ ad ediſcenda
parabolarum myſteria accerſeremur.

¶ *Iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem*) Non hic contendimus de iuſtitia legitima, omni-
no completa & perfecta, quę in ſe virtutes omnes continet, vt præclare docet Philoſo-
5. Ethi. 2. phus in. V. Ethicorum, cuius munus eſt peculiare, vnicuique morali virtuti pręſcribere
quod iuſtum eſt, ſiquidem ipſę leges de omnibus dictant, coniectantes aut communẽ om
nium vtilitatem, aut optimorum, aut principum, vel virtute, vel aliquo alio tali modo.
Quare vno modo dicimus iuſta ea quæ felicitatem, eiuſque partes ſocietati ciuili efficiunt
& conſeruant. Pręcipit autem lex & ea agere quę ad virum pertinent fortem, vt non deſe-
rere locum in acie, non fugere, non abiicere arma. Et item ea quę ſunt temperantis, vt nõ
committere adulterium, non libidine vti. Et etiam ea quę ſunt manſueti, vt non pulſa-
re, non conuitia dicere. Et in cęteris identidem virtutibus atque vitiis, alia iubens, alia
vetans. Omiſſa igitur huiuſce vniuerſalis iuſtitię ratione, agamus de ea quę pars eſt vir-
tutis, quam vocant omnes habitum, quo homines apti ſunt ad res iuſtas agendas, & quo
iuſta agunt, & volunt iuſta: & hac inſigniti virtute, vnicuique pro dignitate quod ſuũ eſt
Luce 20. tribuim⁹, & quę ſunt dei deo, & quę ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt parẽtũ parẽtibus. Ci-
Cicero. cero in primo Officiorum, tantum laudis ipſi iuſtitię tribuendum eſſe cenſet, vt in ea vir
tutis ſplendorem eſſe maximum exiſtimet, ex qua boni viri nominantur, & in qua ſocie-
tas hominum inter ipſos, & vitę quaſi cõmunitas continetur. Beatum te putes, ſi prompto
animo & ſyncera voluntate pręclara iuſtitię officia exercueris. quod ſane indicat Pſalmo-
Pſal. 105. graphus dicens, Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciũt iuſtitiã in omni tempore. Et hũc
Auguſtinus. locum enarrans Auguſtinus, dicit, Is iudicium cuſtodire dicitur, qui recte iudicat: iuſti-
Eſa 56. tiã vero facere, qui recte agit. Amplius dicit dominus per Eſaiam, Cuſtodite iudicium, &
facite iuſtitiam, quia iuxta eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur. Beatus vir
qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet iſtud. Et illi potiſsimũ prę cęteris iuſtitia
pręcellere debẽt, qui ſummis imperiis pręſunt, & eo fine delecti ſunt & conſtituti, vt iudi-
cent orbem. Etenim dicit ſapientia, Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. ¶ Aequitas
reipſa non diſsidet a iuſtitia, vt aſſerit Philoſophus quinto Ethicorum cap. x. ſed eſt ha-
bitus quo quiſpiam æquus dicitur. Ille autem proprie æquus cenſetur, qui ex electione, le-
gem ea ex parte qua ab vniuerſali deficit, emendans, iuſta agit, & qui iuſtum cum non ſa-
tis exactum expreſſumque ſit, in deteriorem non exequitur partem, ſed imminuit, q̃uis
ad

ad exequendum in deterius legem adiutricem habere videretur. Venerabilis Beda expli- Beda.
cans hanc Salomonis ſententiam,dicit,In iuſtitia actio recta,in iudicio diſcretio boni &
mali,in æquitate verò rectitudo mentis intelligitur . Iuſtitia eſt in his quę ſecundum re-
gulam veritatis bene operamur: iudicium in illis quæ recta diſcretione cum proximis a-
gimus:æquitas in eo,cum ſyncera intentione deo ſoli in his quæ recte gerimus vel iudi-
camus,placere contendimus.

❨ *Vt detur paruulis aſtutia .*) Græce legimus ἀκάκοις ,ideſt ſimplicibus,& in quibus nulla eſt
malitia.κακὸς enim mal⁹ dicitur,& κακία malitia. ἄκακος igitur dicitur ſimplex,& ſine do
lo & fraude. Aſtutia, ſubtilitas eſt cautelæ,quæ rudibus & incipientibus neceſſaria eſt,qua
ſophiſtarum captiunculas deuitare poterunt,ne incauti falſorum argumentorum verſu-
tiis & technis,à cognitione veræ ſapientiæ abducantur,qui non minus à puero nugaciſ-
ſima ſophiſtarum deliramenta fugere debent,q̃ peſtilentiſsimam quandam contagioné.
De iſtis paruulis ſiue innocentibus loquitur Paulus dicens:Eſtote paruuli malitia , ſenſi- 1.Corin.14.
bus autem perfecti eſtote. Quem locum ediſſerés Theophylactus,dicit Paulum commo- Theophylactus.
nefacere Corinthios, vt nullam habeât prauitatis cognitionem,ſenſibus autem ſint per-
fecti,vt diſcernant quæ ſint ex gratia,aut præſtantiora,aut magis vtilia vel aliter.Illi nan-
que in malitia puerаſcunt, qui nil cuiq̃ ingerunt mali , & haud ſecus ſe habent q̃ pueri
ipſi,& officiunt nemini.Ille verò erit perfectior ſenſibus,qui non modò noceat nulli,ſed
proſit q̃ plurimis:neque ſolum nequitiam fugiat , ſed nequitiam ipſam ſectetur,caueatq́;
ne à præſentibus his & temporariis bonis aliquam in ſe iacturam admittat.Id verò perſi
mile eſt Euangelico dicto , Eſtote prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ. Mat. 10.
Optáda eſt etiã pueris aſtutia,vt naturalibus adiuti virtutibus ab ephebia,nocitura quæ-
que declinent,& auſcultantes regio Prophetæ dicenti,Declina à malo, & fac bonũ,in ſuis Pſal. 30.
rebus agendis virtutem ducem ſequantur.

❨ *Adoleſcenti ſcientia & intellectus.*) Adoleſcentem hic vocamus,qui nõ ſolum in fide & bo-
nis operibus proficit,ſed & in auditione ſapientiæ :qui denique valet iudicio, vt veritatũ
axiomata & ſcita percipere poſsit. Hoc agnoſcito diſcrimen inter intellectum & ſcien-
tiam.Intellectus eſt principiorum habitus , ſcientia vero eorum quæ ex principiis de- 6.Ethi 6.
ducuntur.

❨ *Audiẽs ſapiens ſapientior erit,& intelligens,gubernacula poſsidebit.*) Intellecta præfatione,q̃d nar
ret author,audiamus, ἀκούσας σοφὸς σοφώτερος ἔσται . Id eſt,audiens ſapiens ſapientior erit.
Qui ſanctiſsimo ſapientiæ ſtudio deum cognoſcit , ſacras euoluendo literas ſapientior
euadit,& cum ſe docilem,ac maximè attentum præſtat iis qui abditiſsima prophetarum
oracula,& abſtruſiora ſacræ ſcripturæ myſteria interpretantur,fit longe peritior, ſuamq́;
abunde ſapientiam ditat.Regina Saba audiuit Salomoné omnium ſapiẽtiſsimum,à quo 3.Reg.10.
edocta eſt omnia quę propoſuerat,& ſapientior rediit ,quæ dixit de incredibili & admi-
randa Salomonis ſapientia,Maior eſt ſapientia tua,& opera tua,quàm rumor quem au- Ibidem
diui.Beati viri tui,& beati ſerui tui , qui hic ſtant coram te ſemper,& audiunt ſapientiam
tuam.Et feruentiſsimum huiuſce prudentiſsimæ reginæ in diſcendo animum commen-
dauit Chriſtus,cum ait:Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & cõdẽna- Mat.12.
bit eam,quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis:& ecce pluſquam Salo-
mon hic.Daniel quoque præclaris ſapientię dotibus donatus eſt,qui poſtulando a domi-
no ſapientiam vt ſomnia Nabuchodonoſor interpretaretur,ſapientior effectus eſt,& ex-
tollendo dei beneficentiam dicebat,Dat ſapientiam ſapientibus,& ſcientiam intelligenti- Daniel. 2.
bus diſciplinam.Et huic perſimile eſt quod dicit Chriſtus in Euangelio:Qui enim habet, Mat.13 & 25.
dabitur ei,& abundabit:qui auté non habet,& quod habet,auferetur ab eo.Quòd ſi indi-
gueris ſapientia,poſtules ab eo,in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ,qui dat Coloſ.2.
omnib⁹ affluẽter,& nõ improperat,& tibi dabitur, ſi modò poſtulaueris in fide nihil hę- Iaco.1.
ſitando,& diſcas à Chriſto,qui mitis eſt,& humilis corde,& qui in pleriſq; locis ſacras li- Mat.11.
teras interpretatur,magiſq; cupias ex puriſsimis Bibliorum fontibus haurire ſapientiã,q̃
ex quorundam interpretum riuulis.

❨ *Et intelligens gubernacula poſsidebit.*) Quod paulò antè dixerat Salomon,Audiens ſapiens
ſapiẽtior erit,ad rerum diuinarum cognitionem ſpectabat:quod autem ſubnectit, Et in-

telligens gubernacula poſsidebit,ad vitæ rectitudinem pertinet.Qui præclaras ſapientũ
ſententias lubenter audit , vitam ſuam commodius regere poteſt,illiſque acquieſcendo,
quod præcipiunt, ſponte facit,& dignus eſt vt moderandis aliorum habenis præficiatur.
Plato Quamobrem circunſpecte mibi Plato viſus eſt dixiſſe,Aut pbiloſopbi rempublicam gubernare debent,aut gubernatores pbiloſophari.Siquidem pbiloſophi officium eſt diuina
noſſe,& humana gubernare.Et potiſsimum moralis philoſopbiæ cognitio ad gubernandam hominum vitam plurimum conducit,vt qui cæteris imperare vult,prudenter & pen
ſiculatim perquirat quaſnam leges ſuis ſubditis præſcribat,ne ſi duras & acerbas tulerit,
tyranni & crudelis notam incurrat:ſin vero pueriles,ridiculus habeatur.Qui verò nimis
de ſe præſumit,ſuaque iactat ſtudia,& ſapientum verba audire contemnit,vitam ſuam rite gubernare non nouit,indignusque cenſetur vt aliorum regimini præficiatur.

❡ *Animaduertet parabolam, & interpretationem, uerba ſapientum, & ænigmata eorum.*) Aenigma,quæſtio eſt obcura , quæ difficilè intelligitur, niſi aperiatur,vt eſt illud dubium & valde oc-
Iudi.14. cultũ Sanſonis problema,De comedente exiuit cibus,& de forti egreſſa eſt dulcedo. Pro-
Ezechie.17. poſuit & ænigma Ezecbiel domui Iſrael,dicens domini quidem iuſſu,Aquila grandis ma
Hieronym⁹. gnarum alarum,longo membrorum ductu,plena plumis & varietate,venit ad Libanum,
& tulit medullam cedri.vbi dicit Hieronymus,Nulli dubium eſt,& ænigma & parabolam
aliud præferre in verbis,aliud tenere in ſenſibus.Qui igitur ſuis affectibus imperauerit,
& ſapiẽtiæ verba perceperit,animaduertet quid ſibi velint parabolæ & ænigmata,quę nõ
paſsim nec omnibus innoteſcunt,illis autem aperiuntur,qui firmiſsimam de Chriſto fidẽ
habent,ab eoque ſine vlla animi hæſitatione efflagitant obſcura ſacrarum literarum
Mat.13. dicta ſibi detegi,qui ſuis diſcipulis parabolas ediſſeruit.

❡ *Timor domini principium ſapientiæ.*) Si velis deum tuæ menti infundere ſapientiam,timeas
regiã eius,& auguſtiſsimã maieſtatẽ offendere,quã ſi fragilitate tuæ volũtatis offenderis,&
poſt lapſum agnoueris te erraſſe,terrore futuri ſupplicij quod tibi imminet,perculſus,age
reſipiſcentiam,& ad vberrimũ diuinę miſericordię fontẽ confugito:qđ ſivt Cbriſtianum
decet,feceris,agnoſces tibi inſitum eſſe diuinæ ſapiẽtiæ igniculum.Quod de timore ſcri-
Pſal.110. bit Salomon,prius expreſſerat Pſalmographus dicens, Initium ſapientiæ timor domini.
Eccleſi. 1. & fuſius multo de huiuſce timoris vtilitate diſſerit Eccleſiaſtic⁹.Initiũ, inquit,ſapiẽtiæ timor domini:& cũ fidelibus in vulua cõcreatus eſt,& cũ electis fœminis gradietur,& cũ iu
ſtis & fidelib⁹ agnoſcetur.Et paulo poſt ſubnectit,Timẽti dominũ bene erit,& in dieb⁹ cõ
ſolationis illius benedicetur . Plenitudo ſapientiæ,timere deum,& plenitudo à fructibus
illius.Corona ſapiẽtiæ,timor domini,replẽs pacẽ,& ſalutis fructũ,& vidit,& dinumerauit
eam.Vtraque autem ſunt dona dei . Radix ſapientiæ eſt timere dominum,& rami illius
longæui.timor domini expellit peccatum.Nam qui ſine timore eſt,non poterit iuſtificari.Animaduerte vt plenius Salomonis ſententiam conſequi poſsis , duplicem eſſe timorem,ſeruilem ſcilcet,& ſanctum.Seruilis ex eo vocatur,quia veluti ſerui domino obtemperamus,ne ad tenebras exteriores detrudamur,& æterna miſerorum tormenta perfera-
Mat.10. mus.De hoc timore loquitur Cbriſtus in euangelio dicens,Timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gebennam . Timor ſanctus is eſt, quo timemus ne peccando
deum offendamus, etiã ſi nullũ nobis immineret ſupplicium.Quia enim deus fons eſt infinitæ bonitatis,ſapientiæ & virtutis,debemus extimeſcere ne eius maieſtatem & digni-
1.Ioan.4. tatẽ offendam⁹.Et huiuſmodi timor adauget charitatẽ.perfecta ſiquidẽ cbaritas foras mit
tit timorem ſeruilem:nec vnquã timor caſtus aut ſanctus excidet,quãdoquidem dicit re-
Pſal.18. gius propheta,Timor domini caſtus permanet in ſeculum ſeculi.Timor domini,non il-
Auguſtinus. le,inquit Auguſtinus,ſub lege pœnalis ,temporalia bona ſibi ſubtrabi perborreſcẽs,quorum dilectione anima fornicatur:ſed caſtus,quo Eccleſia ſponſum ſuum quanto ardentius diligit,tanto diligentius cauet offendere:& ideo non foras mittit conſummata dile-
Beda. ctio timorem hunc,ſed permanet in ſeculum ſeculi.Exiſtimat Beda,hunc Salomonis locum exponens,timorem ſeruilem eſſe principium ſapientiæ , quia quiſquis poſt errorem
delictorum ſapere incipit , primò timore diuino corripitur,ne ad tormenta ducatur.hęc
Gene.3. ille.Hoc timore percuſſus eſt Adam poſt peccatum inobedientiæ,qui cum audiſſet vocem
domini in paradiſo, timuit,eò quòd nudus eſſet,& abſcondit ſe.

¶ *Sapientiam atque diſciplinam ſtulti deſpiciunt.)* Illos hoc in loco ſtultos dici putes, qui ſuis
ſeruiunt affectibus,qui mundi delicias & voluptates ſectantur,qui denique honores am-
biunt,& ſuis victi perturbationibus,rationem ducem deſerunt. Huiuſmodi homines
carnalia, caduca & temporanea, ſpiritualibus & æternis præferunt, ſolum brutorum
more vident quod præſens eſt, nec penſiculatim perſpiciunt quæ ſibiipſis profutura
ſunt,aut obfutura. Nihil felicius nihilque optabilius ſibi contingere poſſe putant,quàm
diuitiis & deliciis affluere,ſummoſque ſibi (vt mundo appareant) comparare honores:
nec tam rerum diuinarum cognitionem,& moralem philoſophiam,ac rectam morum
educationem deſpiciunt,quàm illos odio habent, qui ſummo ſtudio & aſsiduis vigiliis
pulcherrima ſapientiæ ſtudia ac ſacras literas excolunt & illuſtrant. Tales erant Scribæ
& Phariſæi,& principes ſacerdotum,qui ſapientiam Chriſti calumniabantur & cõtem-
nebant:quibus cum Chriſtus dixiſſet,Soluite templum hoc,& in tribus diebus excitabo Ioan.2.
illud:vehemens animi perturbatio accidit,& dixerunt,putantes falſo dominũ in men-
dacium prorupiſſe,Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc, & tu in tri-
bus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Murmurarũt etiã
cum dixit,Ego ſum panis viuus,qui de cælo deſcendi.& hanc aſpernando ſapientiã, di- Ioan.6.
cebant Chriſtum eſſe filium Ioſeph. Et acerbè tulerunt cum ſublimi philoſophia dixit,
Ego & pater vnum ſumus.& ſe Deum eſſe confeſſus eſt. & vt ei obſtruerent os loquen- Ioan.10.
di,eique terrorẽ incuterẽt,vt ab hac veritatis profeſsione deſiſteret, ſuſtulerunt lapides
vt eum lapidarent. Et quoniam ſtolidi,imperiti,& elati in ſuperbiam, ſapientiæ doctri-
nam contemnunt,indigni erunt vt ſuauiſsimũ eius fructum deguſtẽt. Siquidẽ in male-
uolam animam non introibit ſapientia,nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Nec Sapi.1.
huic loco diſſentaneum eſt quod dicit Eccleſiaſticus,Quàm aſpera eſt nimium ſapiẽtia Eccleſ.6.
indoctis hominibus,& non permanebit in illa excors. Eſt etiam ſtultus,de quo diſſerit
Salomon,animalis homo,qui non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, 1.Corin.2.
& nõ poteſt intelligere,quia ſpiritualiter examinatur. Stultorum etiam numero aſſcri-
buntur illi qui cognouerunt Deum,non tamen ſicut Deum glorificauerunt: de quibus
dicit Paulus ad Romanos, Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Qui etiã ſua iacti- Roma.1.
tant ſtudia,& dicunt ſe ſcire,ignorant autem quomodo eos ſcire oportet: per ſtultorum
ſemitas ambulant. ſiquidẽ neſciunt plerunque quæ dicunt,neq; de quibus affirmant.

¶ *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.)* Quid ſuauius ac iucundius his verbis in Chriſtianorum animos influere
potuit? Quonam denique commonefaciendi ac perſuadendi genere,hoc vno Salomon
artificioſius vti potuit,vt ad amplexãdam Dei legẽ paulatim te induceret ac accerſeret?
Prudentiſsimi ſiquidem & optimi patris perſonam induit, qui ſedulam dat operam vt
liberos habeat optimis moribus inſtitutos. Enimuero vt dicit Socrates in dialogo Pla- Socrates.
tonis de ſapientia: Non enim noui cui rei maiorem diligentiam, quiſquis mentem ha-
bet,adhibere debeat,quàm vt filium optimum reddat. Hac ſiquidem in re agnoſcitur
quamnam diligentem curam ſuis filiis rectè educandis adhibuerit. Paternus denique
erga ſuos affectus inclareſcit,quibus neque blandè indulget,ne oſcitanter viuant: neque
ſeuerè imperat,ne paternum & natiuum illum amorem abiicientes,extraneis impẽſius
quàm ſuis faueant,& multa tandem in deſperationem adducti facinora etiam in paren-
tes perpetrent. Quòd ſi aliquando deliquerint liberi, etiam ſi ſua prodegerint & deco-
xerint,potius clementia & humanitate erga illos quàm ſeueritate vtẽdum eſt: quod pul-
chre docuit Chriſtus de prodigo filio,quem tandem diſsipata ſua in luxuriis ſubſtantia, Luc.15.
pœnituit, & extrema fame preſſus ad ſuum clementiſsimum patrem tãquam ad ſacram
anchoram confugiens,dixit ſuam ingenuè agnoſcendo culpam,Pater, peccaui in cælũ,
& coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos,
Cito proferte ſtolam primam,& induite illum, & date anulum in manum eius, & cal-
ceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus &
epulemur,quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit: perierat,& inuentus eſt. Sed non
erit importunum mentem Salomonis ad allegoriã transferre. Audi fili mi diſciplinam
ſiue eruditionẽ (quæ Græce παιδεία dicitur) Dei patris tui cæleſtis,& ne dimittas legem

ecclesiæ,quæ tibi mater eſt optima & alũna .Quòd autem Deus ſit pater credentium per
Roma.8. adoptionem,planè monſtrat Paulus in epiſtola ad Romanos,dicens:Quicunque ſpiritu
dei aguntur,ij ſunt filij dei.Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore,
Gala.4. ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum,in quo clamamus,abba,pater. Ipſe enim ſpi-
ritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro ꝙ ſumus filij dei.Si autem filij,& hæredes:hære-
des quidem dei,cohæredes autem Chriſti.& paulo poſt apertius oſtẽdẽs hanc filiorũ ado-
ptionem,dicit:Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſq; adhuc:non
ſolùm autẽ illa,ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes,& ipſi intra nos gemimus ado-
ptionem filiorũ dei expectantes,redemptionẽ corporis noſtri.Dixit etiã Chriſtus Mariæ
Ioan.20. Magdalenæ poſt ſuam reſurrectionem, Valde ad fratres meos,& dic eis , Aſcendo ad pa-
trem meum,& patrem veſtrum:deum meum,& deum veſtrum.Patrem quidem meũ na-
tura,& veſtrum adoptionis gratia.Legimus etiam in propheticis oraculis Deum creden-
Eſa.9 tiũ patrem:& in primis teſtatur Eſaias Chriſtum Deum eſſe patrem futuri ſeculi:quod te-
Hierony. ſte Hieronymo in noſtra vocatione completur . Et rurſum, Tu domine pater no-
Eſa.61. ſter : & Abraham neſciuit nos , & Iſrael ignorauit nos. Tu domine pater noſter , & re-
Hiere.31. demptor noſter,à ſeculo nomen tuum. Et apud Hieremiam ſcriptum eſt,Factus ſuum Iſ-
Exo.20. raeli pater.Debemus autem pro viribus adniti vt diſciplinam patris noſtri cœleſtis,eiuſ-
que præcepta diligenter obſeruemus,quæ ſunt,Honora patrem tuum & matrẽ tuam , vt
Mat.19. ſis longęuus ſuper terram. Non occides,non mœchaberis,non furtum facies,non loquê-
ris contra proximum tuum falſum teſtimonium,non concupiſces domum proximi tui,
nec deſiderabis vxorẽ eius,nõ ſeruũ,non ancillã,non bouẽ,nõ aſinũ,nec omnia quæ illi⁹
Deute.6. ſunt. Atque iterum,Diliges dominum deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,
Mat. 22. & ex tota ſortitudine tua. Et hoc eſt maximũ & primum mandatum in lege.Secundum au
Leuiti.19. tem huic eſt ſimile,Diliges proximum tuũ ſicut teipſum. In Leuitico autem ſcriptum eſt,
Lucæ.10. Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Amicum autem Chriſtus proximum vocauit,cui de-
Hiere.17. bemus facere miſericordiam.Conqueritur dominus apud Hieremiam de ingratitudine
& obſtinatione Iudęorum,ꝙ opportuno tẽpore ſuam diſciplinam recipere noluerũt.Cũ
enim præcepiſſet eis vt diem ſabbati ſanctificarent,non audierunt,nec inclinauerunt au-
rem ſuam,ſed indurauerunt ceruicem ſuam ne eum audirent,& ne eius diſciplinam acci-
perẽt. Sed quòd Eccleſia dicatur mater noſtra moralem ſenſum amplexando,facile erit
Pſal. 112. ex illo Prophetæ loco ſuadere : Qui habitare facit ſterilem in domo,matrem filiorum
lætantem.De hac autem matre,quæ aliquando fuit ſterilis,ſcilicet de Eccleſia ex gentibus
Eſa.54. collecta,dicit Eſaias,Lætare ſterilis quæ nõ paris,erumpe & clama quæ non parturis,quia
Gala 4. plures filij deſertæ magis q̃ eius quæ habet virũ Quem quidem locum & apoſtolus Pau-
lus ſub nomine Saræ & Iſaac refert ad Eccleſiam , quòd prior populus de monte Sina &
Agar ſeruiat cum filiis ſuis,ſequens autem liber ſit,de quo dicit Eſaias,Lętare ſterilis quæ
non paris.& huic Eſaiæ teſtimonio ſubiecit Paulus , Nos autem fratres ſecundum Iſaac
promiſsionis filij ſumus:ſed quemadmodum tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat,
Gene 21. perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritũ:ita & nunc.Sed quid dicit ſcriptura? Eiice an-
cillam,& filiũ eius:non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ . Itaque fratres non
ſumus ancillæ filij,ſed liberæ,qua libertate Chriſtus nos liberauit. De hac quoque Eccleſia
quæ ex ſtirpe regia non duxerat originem,nec ex electis Abrahæ filiis deſcenderat,in Can
Cant. 1. tico canticorum ſcriptum eſt,Nigra ſum,ſed formoſa,filiæ Hieruſalem ,ſicut tabernacula
Cedar,ſicut pelles Salomonis. Et huiuſce rei ampliſsimã habes in noſtris ad Cãticum can-
ticorum commentariis expoſitionem. Sed nunc ad authorem reuertamur. Monet Salo-
mon myſticam ſequendo intelligentiam,vt dei & Eccleſiæ militantis præſcriptis obtem-
peremus,quia non ſufficit vt quis ſe deum diligere,& eius pręceptis obſequi dicat,ſi vni-
tatem Eccleſiæ fraterna charitate non ſequatur. Dicit enim Chriſtus de apoſtolis,quorũ
Lucę 10. nobiliſsimo collegio repræſentatur Eccleſia , Qui vos audit, me audit:& qui vos ſpernit,
me ſpernit . Qui autem me ſpernit , ſpernit eum qui miſit me Quòd autem eccle-
ſiæ ſancita ſint a Chriſtianis obſeruanda,abunde docuimus libro.v.noſtræ Theoſophię
capite.viij . Sed nunc ſe offert locus , vt diſpiciamus quodnam præmium aſſequemur ſi
patris matriſque legibus obtemperauerimus. Addetur ſanè capiti noſtro gratia ,eximius
ſcilicet

ſcilicet virtutũ candor,& electorum mentibus dona ſpiritusſancti diuinitus illabentur.
Adiicietur etiã torques collo noſtro , inſigne ſcilicet & ornamentũ ſapientiæ, quod pro
honeſto ſacræ philoſophiæ ſtudio nobis concedetur. Inoleuit mos apud veteres celeber-
rimus , vt qui in agone legitimè & ſtrenuè certauerant, geſtarent in capite coronã,& in
collo torquẽ aureã,in perpetuã inſignis victoriæ memoriam. Et qui per fidem vicerunt Hebr. 11.
regna,& operati ſunt iuſtitiã,& inuicta animi magnitudine exterorũ caſtra verterũt,nec
pro nomine Chriſti ſuæ vitæ pepercerunt,vt ad victricẽ palmã aſcenderent,& ſuauiſsi- Canti. 7.
mũ eius fructũ apprehenderent, nunc aureola martyrũ inſigniti triũphant in cælis. Ad-
ditur etiã gratia capiti,cũ charitas,præcipuũ noſtræ mentis ornamentum,magis ac ma-
gis augetur,& ardentius inflãmatur. Et collo torques aurea,cum deterſis animi ſordibus,
ſermo euangelicæ prædicationis excellenti virtutum fulgore cõfirmatur. Quòd ſi altius
hæc nobis meditari liceat,nõ verebimur dicere generoſiſsimis Chriſtianæ militiæ athle
tis ampliſsimũ æternæ gloriæ præmiũ collatum eſſe , ꝙ patrẽ & matrẽ,vxorẽ & liberos, Mat. 19.
fratres & ſorores,& ſuas deniq; opes propter nomen Chriſti reliquerunt:quorum capiti
addita eſt gratia retributionis,pro meritis & gratia rectæ operationis,iuxta illud Ioãnis,
Quia de plenitudine eius nos omnes accepimus,gratiam pro gratia. Ioan. 1.

¶ *Fili mi,ſi te lactauerint peccatores,ne acquieſcas eis.*) Sapientia ſuos cõmoneſacit auditores ne
blandiſsimis peccatorũ verbis ac illecebris acquieſcant,qui ſuis ſtudẽt blandimẽtis nos
ad perpetranda ſcelera pellicere,nihilq; nõ moliuntur quod nõ vim habeat maximã ad
irretiendũ ſimplices illis pedicis quibus iã irretiti ſunt:illoſq; beatos faciunt,quos tãdem
decipere ac ſubornare nituntur : de quibus dicit dominus,dolentis affectũ indicans,Po- Eſaiæ 3.
pule meus,qui beatũ te dicunt,ipſi te decipiunt, & viã greſſuũ tuorũ diſsipant. Et huiuſ-
modi homunciones vafros & doloſos ſuis viuis coloribus depinxit Chriſtus in euãgelio,
à quibus tanq̃ à ſcorpionibus cauendũ eſt. Attendite,inquit,à falſis prophetis,qui veniũt Matt. 7.
ad vos in veſtimẽtis ouiũ,intrinſecus autẽ ſunt lupi rapaces. à fructibus eorũ cognoſcetis
eos. Aliud ſiquidẽ habitu & ſermone promittũt,aliud opere demõſtrant. Aptẽ quidẽ &
cõcinnè parabola in adulatores quoſq; torqueri poteſt,qui quæſtus aut honoris conſe-
quẽdi gratia,quæ ab hoĩbus præclarè geſta ſunt aut videntur,aperto ore,& ſi dixero,ple-
nis buccis prædicãt,& ita palpãt, ac ſubdola adulatione nobis plaudunt,vt clanculũ nos
circũueniant. quãobrẽ recte cenſuit Plato periculoſiſsimũ eſſe & oĩm peſtilentiſsimum
adulatorũ genus,cũ quis ipſe ſibi palpo eſt, & ob id ſeſe facilê præbet aliis idẽ agentibus
quod ipſe iã ſua ſponte agebat. Et qui palpũ obtrudunt,& leniter ac blande aſſentari ſo-
lent,ſub colũbina ſpecie & fucatis verborũ lenociniis teterrimũ ſcorpionũ virus ferunt.
Nec abs re monuit Plutarchus,nihil intentius cauendũ q̃ adulatores eos qui ſubblãdiẽ-
do,floccos piloſq; ex veſtibus legunt,quos Græci Crocidas vocant. Nonnulli antiquitus
conferebant adulatores Polypo piſci. Nam vt Polypus colorem mutat ad ſpeciem ſub-
iecti ſoli,ita & aſſentator ad voluptatem audientium verba cum geſtu variat. Scitè dice-
bat Diogenes,ſatius eſſe in coruos quàm in adulatores incidere. Corui enim morticina
& cadauera conſectantur,ij verò viuos laniant & exugunt.

¶ *Si dixerint,Veni nobiſcum,inſidiemur ſanguini:abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtra:degluti-
amus eum ſicut infernus uiuentem,& integrum quaſi deſcendentem in lacum:omnẽ precioſam ſubſtantiam re-
periemus,implebimus domos noſtras ſpoliis.*) Prudenter nos cohortatur Salomon ne flagitio-
ſiſsimorum hominum verbis conniueamus. nam illi dæmonum laqueis inuoluti nitũ-
tur nos ad perpetranda inaudita ſcelera pertrahere,dicentes,Sitis nobis ſocij itineris, vt
inſidiemur ſanguini innocentũ: nec veſtram nobis denegetis operã vt illos trucidemus,
quorũ opibus ditabimur:quorũ deniq; cruore ſatiati, ampliſsima ſpolia reportabimus.
Poteſt igitur hic locus intelligi generaliter de prædonibus, ſicariis & graſſatoribus, qui
obſident nemora vt captent prædam,& vbiq; graſſantur vt viatores enecent,& enecatos
ſuis exuant bonis:de quibus dicit propheta:Quorũ os maledictione & amaritudine ple- Pſal. 13.
num eſt:veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinẽ. Specialiter vero, & myſticam
amplexãdo intelligentiã, hæc Salomonis ſentẽtia perditiſsimis Iudæis accõmodabitur,
qui Chriſtũ,rarũ equidẽ innocentiæ exẽplar, neci tradiderũt. Iudas etiã ſceleratiſsimus
proditor parauit inſidias ſuo præceptori innocẽtiſsimo:q poſtq̃ auaritiæ ſtudio captus,

de morte Chriſti cũ Iudæis cõiurauit, nõ deſtitit vafro cõmento opportunitatẽ quęrere
Mat. 26. vt eũ traderet: illiſq́; proditionis ſignũ dedit, cũ dixit: Quẽcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt,
Marc. 14. tenete eum: &, vt addit Marcus, ducite caute. Et confeſtim accedens ad Ieſum dixit, Aue
Rabbi. & oſculatus eſt eũ. Vides amarũ proditionis oſculũ. Ille abſcondebat tendiculas
ſiue pedicas cõtra inſontẽ, id eſt innocentẽ, ſed fruſtra, & ſine vlla rationis ſcintilla. Nã
beneficiorũ acceptorũ ingratiſsimus, reddebat malũ pro bono. Enimuero Chriſtus no-
ſtræ vitæ ſeruator, Iudã elegerat, & in numerũ ſuorũ apoſtolorũ aſciuerat: ille verò pro
tantis beneficiis mortẽ ſui domini, & quidẽ atrociſsimã, machinatus eſt. Phariſæi quoq;
frequenter tetenderunt laqueos ipſi Chriſto, vt eũ irretirẽt, eiuſq́; doctrinã accepta anſa
Mat. 19. calũniarentur. Nã de lege diuortij differentes, acceſſerunt ad eũ, & tentantes dixerunt, Si
Hierony. licet homini dimittere vxorem ſuam quacunq; ex cauſa? vt quaſi (authore Hieronymo)
cornuto teneant eũ ſyllogiſmo, & quodcunq; reſpõderit, captioni pateat. Si dixerit di-
mittendas eſſe vxores qualibet ex cauſa, & ducendas alias, pudicitiæ prædicator ſibi vi-
debitur docere cõtraria. Si autẽ reſponderit nõ omnẽ ob cauſam debere dimitti, quaſi
ſacrilegij reus tenebitur, & aduerſus doctrinã Moyſi, ac per Moyſen Dei, facere iudica-
bitur. Igitur ſic dominus reſponſionẽ tẽperat, vt decipulã eorũ tranſeat, ſcripturã ſanctã
adducens in teſtimoniũ, & naturalẽ legẽ, primãq́; Dei ſententiã ſecundæ opponens, quæ
non voluntate Dei, ſed peccantiũ neceſsitate cõceſſa eſt. Qui reſpõdens ait, Nõ legiſtis,
Gene. 1. quia qui fecit ab initio, maſculum & fœminã fecit eos? Adde ꝙ principes ſacerdotum &
ſeniores populi ſtupidos reddidit, qui poſtq̃ domin⁹ ficulneæ arbori maledixit, dixerũt,
Mat. 21. In qua poteſtate hæc facis? & quis tibi dedit hãc poteſtatẽ? Reſpõdens autẽ Ieſus dixit eis:
Interrogabo vos & ego vnũ ſermonẽ, quẽ ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicã in qua po-
teſtate hęc facio. Baptiſmus Ioãnis vnde erat? è cælo, an ex hoĩbus? At illi cogitabãt inter
ſe dicentes, Si dixerimus, è cælo, dicet nobis, Quare ergo nõ credidiſtis illi? Si autẽ dixe-
rimus, ex hoĩbus, timemus turbã: oẽs enim habent Ioannẽ ſicut prophetã. Et reſpõdẽtes
Mat. 14. Ieſu dixerunt, Neſcimus. Ait illis & ipſe, Nec ego dico vobis in qua poteſtate hæc facio.
Rurſum perfregit illorũ retia & calũnias, cũ inierunt cõſiliũ vt caperent eũ in ſermone,
Mat. 22. & mittunt ei diſcipulos ſuos cũ Herodianis, dicentes, Magiſter, ſcimus quia verax es, &
viã Dei in veritate doces, & nõ eſt tibi cura de aliquo: nõ enĩ reſpicis perſonã hoĩm. Dic
ergo nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an nõ? Cognita autẽ Ieſus nequi-
tia eorũ, ait, Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtu-
lerunt ei denariũ. Et ait illis Ieſus, Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſa-
ris. Tũc ait illis, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Et audien-
tes mirati ſunt, & relicto eo abierunt. Nunquid, vt ad autorẽ redeamus, illi edaci liuore
perciti, fruſtra parauerunt caſſes, & abſcõderunt tendiculas cõtra inſontẽ? Vere etenim
Eſa. 53. Chriſtus erat inſons, quia peccatũ nõ fecit, nec inuẽtus eſt dolus in ore eius: qui veritatẽ
1. Petr. 2. ipſam profitendo, dicebat Iudæis, Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatẽ dico,
Ioan. 8. quare vos nõ creditis mihi? Iudæi tamen perſequentes Chriſtũ, in celandis ſuis decipulis
Iob. 18. imitabãtur diabolũ, ſuũ ducẽ callidiſsimũ, de quo dicit Iob, Abſcõdita eſt in terra pedica
Auguſti. eius, & decipula eius circa ſemitã. Auguſtin⁹ exiſtimat lib. XVII. de ciuitate Dei cap. XX.
hunc Salomonis locũ, Abſcõdamus tendiculas cõtra inſontẽ fruſtra, &c. intelligendum
eſſe de Chriſto, & poſſeſsione eius eccleſia. Tale quippe aliquid etiã dominus ipſe Ieſus
Mat. 21. per euangelicã parabolã oſtendit dixiſſe malos colonos, Hic eſt hęres, venite occidamus
eum, & noſtra erit hæreditas. Hæc ille. Nitebantur crudeliſsimi Iudæi verum hæredem
deglutire, eiuſq́; nomen prorſus extinguere, ſicut infernus, ſiue, vt aliquid adnotãt, ſepul
Nume. 16. chrum, abſorbet & deglutit viuentem, cuius os dehiſcens deuorauit Dathan & Abyron
viuentes, & deſcenderũt viui in profundum inferni lacum, & eorum memoria omnino
periit. Loco huius, quaſi deſcẽdentem in lacum, ſecundum LXX. interpretes Græce le-
gimus ϗ ἄρωμεν αὐτοῦ τὴν μνήμην ἐκ γῆς, id eſt: & tollamus eius memoriam de terra.
& ita ſentit Auguſtinus in capite nunc citato, dicens, Et auferamus eius memoriam de
terra. Et certe quod dicunt LXX. interpretes, explicat hunc locũ, Deglutiamus eũ quaſi
deſcendentem in lacum. Nã ita deſideramus eum abſorptum iri, vt eius nomẽ perpetua
obliuione obliteretur, ſicut de ſubuerſione Babylonis legimus, Abſorbuit me quaſi dra-

co, re-

eo,repleuit teneritudine mea ventrem ſuum,poſuit in lacum vitam meam.
¶ *Sortem mitte nobiſcum,marſupium unum ſit omnium noſtrum.*)Senſus eſt,cōmitte te nobiſcū for-
tunæ,experiemur aleā fortunæ,ſi nā bonorū prædā venando, futura ſit nobis proſpera
vel aduerſa.conſentias igitur noſtris furtis & expilationibus,ſi velis latrocinij particeps
fieri.Etenim ex cōmuni ſacculo quæ rapuerimus,tibi impartiemur. Agedum,& noſtro
adhæreas comitatui,nec nobis diffidas,quādoquidē bona fide cōmunionē noſtræ præ-
dæ tibi ſpōdemus.& hoc aſtu plerūq; vtuntur latrones,vt plures ſuorū ſcelerū ſocios cō-
quirant.Adnotare licebit, vti ſortibus,eſſe ex vario euentu ſeu diſpoſitione alicuius rei Vti ſortib⁹
ſenſibilis propoſitæ determinare aliquid dubiū vel incertū : ſicut ex ſeſtucis propoſitis
ex eo ꝙ aliquis accipit breuiorē vel longiorē:ſeu in proiectione taxillorū,ex hoc ꝙ ali-
quis proiicit plura vel pauciora puncta:vel ex cōſimilibus vbi aliquod dubiū inter ho-
mines determinatur.Et ſi hoc fiat ad alicuius rei diuiſionē inter hoīes,vt per hoc deter-
minetur quā partē quis accipiet,vocatur ſors diuiſoria.Si autē hoc fiat ad aliquid deter-
minatè agendū,vocatur ſors cōſultoria. Igitur ſi diſpoſitio vel euētus ſortiū expectetur
à fortuna tantū,nullū eſt vitiū:vt ſi mittantur ſortes ad determinandum inter homines
quā partē alicuius rei quis accipiat,& hoc ex cōmuni cōſenſu cōmittitur fortunę.Cauſa
tamen motiua poteſt eſſe peccatū,vt ſi propter cupiditatē propriā,vel aliud vitium,non
poſſunt aliter diuidere cōcorditer.Si autē diſpoſitio ſortium vel euentus nō expectetur
ſolùm à fortuna,ſed ab alia cauſa,hoc dupliciter fiet.Vno modo à cauſa corporali, vt à
diſpoſitione ſtellarū:& ſic cū virtus ſtellarū ad hoc nō ſe extendat,ſuperſtitioſum eſt &
illicitū,& nō caret occulto pacto dæmonū. Alio modo quia expectatur euētus & diſpo-
ſitio ſortiū à cauſa ſpirituali dirigēte:& hoc dupliciter.Vno modo à dæmone,& hoc eſt
illicitū,quia includit familiaritatē & pactū cū dæmonibus.Alio modo à Deo expectatur
immediate,vel mediantibus ſanctis angelis:& hoc non eſt illicitū ſecundū ſe,ſi fiat cum
reuerentia debita.vnde dicit Salomō,Sortes mittuntur in ſinū,ſed à domino tēperātur. Prouer.16.
Poteſt tamen in hoc quadrupliciter peccatū accidere. Primò,ſi abſq; vlla neceſsitate ad
ſortes recurratur.Hoc enī videtur ad Dei tentationē pertinere. Vnde dicit Ambroſius
ſuper Lucā,Qui ſorte eligitur,humano iudicio non cōprehenditur.Secundò,ſi quis etiā Ambroſ⁹
in neceſsitate abſq; reuerētia debita ſortib⁹ vtatur. Vnde dicit Beda in Acta apoſtolorū,
Si qui neceſsitate aliqua cōpulſi, Deū putant ſortibus exēplo apoſtolorū eſſe cōſulendū, Act.1.
videant hoc ipſos nō niſi collecto fratrū cœtu,& precibus ad Deū fuſis egiſſe. Tertiò,ſi
diuina oracula ad terrena negotia cōuertantur. Vnde dicit Auguſtinus ad inquiſitiones
Ianuarij,His q de paginis euangelicis ſortes eligunt,& ſi optandū ſit,vt hoc potius faciāt
q̄ ad dæmonia cōſulenda cōcurrāt,tamē mihi diſplicet iſta cōſuetudo,ad negotia ſecu-
laria,& ad vitæ huius vanitatē diuina oracula velle cōuertere.Quartò,ſi in eccleſiaſticis
electionibus quę ex ſpirituſſancti electione fieri debēt,aliqui ſortibus vtātur. Vnde dicit
Beda in Acta apoſtolorū,Mathias ante pētecoſtē ordinādus,ſorte quęritur,quia ſcilicet Acto 6.
nōdum erat plenitudo ſpirituſſancti in eccleſiā effuſa.Septem autem diaconi poſtea nō
ſorte,ſed electione diſcipulorum ſunt ordinati. Secus autem eſt in temporalibus digni-
tatibus,quę ordinātur ad terrena diſponēda:& ideo in electione illarū poſſunt hoīes vti
ſortibus,ſicut in diuiſione rerū tēporaliū. Si verò aliqua neceſsitas alia vel ab electione
dignitatis eccleſiaſticæ imminet,licitū eſt cū debita reuerentia ſortibus diuinū auxiliū
implorare.Vnde dicit Auguſtinus in epiſtola ad Honoratum:Si inter Dei miniſtros ſit Auguſt.
diſceptatio,qui eorū tēpore perſecutionis maneāt,ne fuga oīm, & qui eorum fugiāt,ne
morte omniū deſeratur eccleſia:ſi hæc diſceptatio aliter non poterit terminari,quātum
mihi videtur,qui maneant & qui fugiant,ſorte eligendi ſunt.Et hoc modo, aliiſq; præ-
dictis vſi ſunt ſortibus viri ſancti,qui in veteri ac nouo teſtamento vſi fuiſſe ſortibus le-
guntur, ſicut Ioſue iudicio ſortium puniuit Achan, & Saul deprehendit Ionathan fi-
lium ſuum mel comediſſe,& Zacharias ſorte exiit vt incenſum poneret, & Mathias in
apoſtolatum promotus eſt.Hæc ediſſerit Lyranus,exponendo quod in Numeris habe- Num.34.
tur,Hæc erit terra quā poſsidebitis ſorte,& quā iuſsit dominus dari nouem tribubus, &
dimidię tribui.Præter hæc oſtendemus paucis ex Auguſtino nō eſſe inſitū ex ſe ſortibus
vitiū.Ille ſiquidē exponens illum pſalmographi locū,In manibus tuis ſortes meæ,dicit, Auguſti, Pſalm.30.

Sors non aliquid mali eſt,ſed res eſt in dubitatione humana diuinā indicans voluntatē.
Acto.2. Nam & ſortes miſerunt apoſtoli , quando Iudas tradito domino periit , & ſicut de illo
ſcriptū eſt , abiit in locū ſuum. Cœpit quæri quis in locum eius ordinaretur. Electi ſunt
duo iudicio humano,& electus de duobus vnus iudicio diuino. De duobus cōſultus eſt
Deus quēnā ipſorum eſſe vellet,& cecidit ſors ſuper Mathiā. Quid igitur eſt,in manibus
tuis ſortes meæ?Sortes dixit(quantū ego exiſtimo)gratiā qua ſaluati ſumus. Quare ſortis
nomine appellat gratiā Dei?Quia in ſorte non eſt electio,ſed voluntas Dei. Nā vbi dici-
tur,Iſte facit,iſte non facit,merita conſiderantur:& vbi merita cōſiderantur,electio eſt,
non ſors. Quando autē Deus nulla merita noſtra inuenit,ſorte volūtatis ſuæ nos ſaluos
Ioan.19. fecit,quia voluit,nō quia digni fuimus. Hæc eſt ſors. Meritò tunica illa domini deſuper
texta,quæ ſignificat charitatis æternitatē ,'cum diuidi à perſecutoribus non poſſet,ſors
ſuper eam miſſa eſt.ad quos peruenit,eos ſignificauit qui videntur ad ſortem peruenire
ſanctorū. Longè plura de hac re ſcripſimus lib. X V I I. noſtræ Theoſophiæ cap. X I I I.

¶ *Fili mi ne ambules cum eis:probibe pedem tuum à ſemitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & feſtinant ut effundant ſanguinem.*) Ad filiū eius ſermo crebro repetitur, quia in iſtis prouer-
Hierony. biis paruulū docet,& quaſi de officiis per ſententias erudit,vt dicit Hieronymus in pri-
mū caput Eccleſiaſtæ,nihilq́; magis optat Salomon,quàm ꝙ optimis moribus inſtituā-
tur,& vtiliſſima ſapientum præcepta ſectentur, qui cæleſtem philoſophiam diſcere cu-
piunt,illorumq́; commercia deuitent,qui & improbis affectibus & pedibus ad perpetrā-
da flagitia curſitant,& cū impudentia feſtinant vt innocentes iugulent,& obuios quoſq;
Prouer.2. trucident:qui relinquunt iter rectū , & ambulant per vias tenebroſas:qui lætantur cum
maleſecerint,& exultant in rebus peſſimis:quorum viæ peruerſæ ſunt,& infames greſſus
Prouer.6. eorum:quos auerſatur dominus & odit,quia manus illorū effundūt innoxiū ſanguinē,
& pedes veloces ſunt ad currendum in malū. Et huic loco conſentaneum eſt quod dicit
Eſa.59. Eſaias de homicidis:Pedes eorū ad malū currunt,& feſtinant vt effundant ſanguinē in-
nocentē. Cogitationes eorū,cogitationes inutiles:vaſtitas & contritio in viis eorū:viam
pacis neſcierunt,& non eſt iudiciū in greſſibus eorū. Semitæ eorum incuruatæ ſunt eis.
omnis qui calcat in eis,ignorat pacē. Et quia flagitioſiſſimi homicidæ iniuſte feriūt in-
Gene.9. nocentes,æquū eſt vt enecentur,& vltrice Dei manu feriantur. Quicunq; enim effuderit
Matt.26. humanum ſanguinem,fundetur ſanguis illius:& omnes qui acceperint gladium,gladio
peribunt. Hæc quoq; Salomonis ſententia ludēdo ad allegoriā cōcinnè adaptabitur iis
quorū manus pollutæ ſanguine,affixerunt Chriſtū cruci : cuius mortē cruenti Iudæi &
Matt.26. & 27. immaniſſimis feris truculētiores ſitiebāt, ad quā per meditationē crudelitatis & blaſphe
miæ peruenerunt:qui canina rabie oblatrantes dicebāt,Reus eſt mortis,crucifigatur.

¶ *Fruſtra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.*) Hoc ſibi vult parœmia,Iis fruſtra paran-
tur retia,qui viuaciſſima nariū ſagacitate pericula ſubodorātur eaq́; præuidēt,& inſigni
quadā prudentia deuitare poſſunt. Qui etiā inſidiantur ſanguini innocentum, in vanū
parāt laqueos iis qui firmiſſimis virtutū pennis ſuffulciuntur,& in ſuis caſtris agunt ex-
cubias,ne ab inſidiatoribus circūueniantur:quorum perfringentes retia dicere poſſunt,
Pſal.123. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantiū,laqueus cōtritus eſt,& nos libe-
rati ſumus. Sunt etiā iſti pēnati,ſancti & electi viri,qui pennis fidei ſpei & charitatis ad-
uerſus calidiſſimas diaboli inſidias præmuniūtur, quibus perruptis,ac deluſis cacodæ-
monū tendiculis,ad cæleſtia cōtēplanda volitant,& ſpiritalibus oculis ſibi præcauent ne
Ephe.6. in antiqui ſerpentis laqueos incidant: quos admonet Paulus,ſi ſtrenuè colluctari velint
aduerſus huius mundi rectores,vt accipiant armaturam Dei, lorica iuſtitiæ , ſcuto fidei,
galea ſalutis,& gladio ſpiritus inſtructā. Siquidē huiuſmodi præſidiis adiuti , ingruente
perſecutionū procella reſiſtent diabolo,& domitis ſuis hoſtibus victores euadēt. Fruſtra
igitur ante oculos iſtorum pennatorum ab impiis deceptionis rete prætenditur. Quis
etiā neſcit vafros ſophiſtas incaſſum ſuarum captiuncularum retia ante conſpectum
philoſophorum ieciſſe?qui lynceis oculis illorum argutias & ſophiſmata quò tendebant
perſpicientes , nunquam circunueniri potuerunt . Quis denique non ſibi facilè per-
ſuadebit diabolum perperam & in vanum tentationis decipulam ante intuitum Chri-
ſti prætendiſſe? Qui licet variis technis ac multis tentandi modis auſus ſit aggredi
ſaluatorem,

ſaluatorem,nunquam tamen eum de gradu deiicere potuit. Et cum primum de gula impetum feciſſet, dicendo,Si filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant: nõ terruit Chriſtũ, Mat.4.
ſed gladio ſacræ ſcripturæ percuſſus eſt,& audiuit inuitus quod ſcriptũ eſt,Non in ſolo Deute.8.
pane viuit homo,ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Rurſum conflixit,ægrè ferens ſe hoc tentandi genere deluſum eſſe,& argumentũ inanis gloriæ Chriſto propoſuit:quem cũ ſtatuiſſet ſuper pinnaculum templi,dixit,Si filius Dei es,mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim,Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte Pſal.90.
offendas ad lapidem pedem tuum.nihilo tamẽ generoſiſsimum athletam mouit, à quo audiuit,Non tentabis dominum Deum tuum.Necdum tamen ceſsit arenæ, nec victori Deute.6.
herbam porrexit,ſed acrius inſultando,vt auaritiæ hamo ineſcaret Chriſtum,aſſumpſit eum in montẽ excelſum valde,& oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriã eorũ,& dixit ei:Hæc omnia tibi dabo,ſi cadens adoraueris me. Tũc dixit ei Ieſus, Vade Satana:ſcriptum eſt enim,Dominum Deum tuũ adorabis,& illi ſoli ſeruies. Tunc maximo ſtupore Ibidem.
attonitus diabolus,ceſsit arenæ, & agnouit ſe fruſtra paraſſe retia ante oculos pennati.

¶ *Ipſi quoq; contra ſanguinem ſuum inſidiantur,& moliuntur fraudes contra animas ſuas. Sic ſemitæ omnis auari animas poſsidentium rapiunt.*) Plerunq; euenit,vt qui aliis inſidias mortis parauerant,proprio ſanguini inſidientur. Nam in ſuis flagitiis deprehenſi,acerrimas luunt pœnas , alij laqueo vitam finiũt,alij incendio aduruntur,alij truncantur capite:quibus illud Threnorum pulchrè conuenit,Reddes eis vicem domine iuxta opera manuũ ſuarũ. Et huic Thre.3.
prouerbio confinis eſt hæc parœmia,Faber quas fecit compedes,ipſe geſtat.cõperitq; in eos qui ſibiipſis autores ſunt malorũ. Et huic ſimile quiddã vulgo dicitur,Flagellũ parauit ipſe quo vapularet.idq; ſumptum à pueris,qui coguntur aliquoties ipſi parare virgas quibus vapulent. Et qui ſuo ſanguini inſidiantur,cum aliorum iugulũ petunt, tandem moliũtur fraudes aduerſus animas ſuas,quia digni ſunt pro mortiferis delictis vt æterna animarũ perditione dãnentur,& in gehennã ignis perpetui deiiciãtur. Qua enim menſura menſi fuerint,remetietur eis. Id quoq; de Iudæis dici poteſt,in quorũ capita recidit malũ quod aduerſus Chriſtum moliti ſunt: & effundendo ſanguinẽ iuſti,in ſuas animas irruerunt,dicentes,Sãguis eius ſuper nos,& ſuper filios noſtros. Quod deinde ſubnectit Mat.27.
Salomon,Semitæ omnis auari animas poſsidentiũ rapiunt, hanc ſibi intelligentiã vendicat,fraudulenta auarorũ inuenta, & ſubtiles eorũ machinationes ad rapiendũ alienũ, & ad ſuas opes in immenſum adaugendas,ad interitũ vſq; rapiunt illorũ animas,qui inſatiabili cupiditate pecuniis inhiant. Siquidẽ auarus quiſq; nudat eos qui poſſeſsionibus abundant,vt ipſe potens hoc agendo pereat. Et huiuſmodi hominibus (quibus nihil eſt ſceleſtius) dominus per Eſaiã maledictionẽ imprecatur, dicens, Væ qui cõiungitis domũ Eſa.5.
ad domum,& agrũ agro copulatis vſq; ad terminũ loci : & propterea dilatauit infernus animã ſuã,& aperuit os ſuũ,vt vos deglutiret. Et tam latè ſerpit hoc vitium,vt omnium præcordia ſui contagione inficiat. Etenim omnes in viã ſuã declinauerunt,vnuſquiſque Eſa.56.
ad auaritiam ſuã:à ſummo vſq; ad nouiſsimũ,& à minore vſq; ad maiorem,omnes auaritiæ ſtudent. Hoc autem vitiũ,quo nihil eſt vilius,nihil deniq; abiectius, deteſtabimur, Hiere 6.
ſi iuſsis Chriſti paruerimus,qui dixit,Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia Lucæ 12.
cuiuſquam vita eius eſt ex his quæ poſsidet. Et pulcherrimam nobis parabolam, ne hac labe inquinemur,propoſuit,dicens,Hominis cuiuſdam diuitis vberes fructus ager attulit,& cogitabat intra ſe dicens , Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam,deſtruam horrea mea,& maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi,& bona mea,& dicam animæ meæ,Anima,habes multa bona poſita in annos plurimos : requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus, Stulte,hac nocte animam tuam repetunt à te:quæ autem paraſti,cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat,& non eſt in Deum diues. Huic quoque cohæret quod dicit Dauid, Theſaurizat,& ignorat cui congregabit ea. Et his conſentanea ſunt quæ dicit Eccleſiaſtes de Pſal.38.
illo quẽ cæcus pecuniæ amor inuaſit,ſuiſq; pedicis irretiuit : Auarus nõ implebitur pecunia:& qui amat diuitias,fructum nõ capiet ex eis.& hoc ergo vanitas. Vbi multæ ſunt Eccleſ.5.
opes,multi & q comedũt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori,niſi q cernit diuitias oculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operãti, ſiue parũ ſiue multũ comedat:ſaturitas autẽ diuitis non finit

cum dormire. Eſt & alia infirmitas peſsima, quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui: pereunt enim in afflictione peſsima. Generauit filium, qui in ſumma egeſtate erit. ſicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecũ de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas: quomodo venit, ſic reuertetur. Quid ergo prodeſt ei quòd laborauit in vẽtum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia. Hæc ille. Si in quoſdam ſceleratos ira Dei deſæuiat, potiſsimum in auaros. Nam magis pecuniam quàm Deum colunt, nihilque animo præter inexplebilem habendi cupiditatem verſant, vt in immenſum diuitias cõgerant, & poſſeſsiones poſſeſsionibus accumulent. Quapropter rectè dixit Paulus auaritiam eſſe ſimulacrorum & idolorum ſeruitutem. Et quia admiratione diuitiarum mores corrumpuntur & deprauantur, prudenter cenſuit Cicero libro I I. Officiorum, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio. Oſtendit & Seneca libro I I. de Beneficiis, auaritiam impedire gratitudinem, exemplo Lentuli Auguris, qui quater milies ſeſtertium ſuum vidit antequam illum libertini pauperem facerent, & nihil amplius quàm vidit: & cum eſſet auariſsimus, nummos citius emittebat, quàm verba. tanta illi inopia erat ſermonis. Et quia hic morbus omnibus penè hominibus eſt inſitus, quòd plerique magis ſint cupidi pecuniarum, quàm ad dandum procliues, vt in ipſo etiam ſenio hac ægritudine laborent, non abſurdè exiſtimauit Ariſtoteles auaritiam eſſe incurabilem. Etenim & ſenectus & imbecillitas omnis auaros videtur efficere. Sunt qui hanc parabolam, Semitæ omnis auari animas poſsidentium rapiunt, in hunc modum explicant: Addicti auaritiæ, eos qui rebus terrenis abundant, ſpoliare conantur. ſiquidẽ conquiſitis abunde diuitiis ſatiari non poſſunt, & vellent aliorum opes exhauſtas eſſe, vt ſoli de amplitudine ſuorum bonorum glorientur.

Ephef. 5. Coloſ. 3. Cicero. Seneca. 4. Ethi. 1.

¶ *Sapientia foris prædicat, in plateis dat uocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert uerba ſua, dicens: Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionem meam.*) Diuina illa ſapientia conqueritur ſe ab omnibus contemni, & miſerum contemptorum exitium prædicit: & de perpetua ac increata ſapientia hic differere volumus, de qua dicit Eccleſiaſticus, Sapiẽtiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigauit? Hæc palam per prophetas & apoſtolos abſque vlla perſonarum acceptione prædicat, & ſuum in omnes ſermonem intrepide fundit, quæ per Eſaiam Iudæorum ingratitudinem inſectando, hæc loquuta eſt: Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuũ, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Dereliquerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum. Iterum, Ruit Hieruſalem, & Iudas cõcidit, quia lingua eorum & adinuentiones eorum contra dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius. Agnitio vultus eorum reſpondebit eis: & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. Dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum adinuẽtionum ſuarum comedet. Væ impio in malum. Retributio enim manuum eius fiet ei. Atque iterum increpat ſapientia Dei ſocordiam & oſcitantem Iudæorum ignauiam, ꝙ vineam domini prælectam, morum probitate & honeſtis virtutum officiis non excoluerint, quæ cum vuas emittere debuerit, emiſit labruſcas. Et quæ mœſta ſunt, & triſtitiã adferunt, Sophia prædicat. Nunc ergo habitatores Hieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam. Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam. Non putabitur, & non fodietur, & aſcendent ſuper eam vepres & ſpinæ: & nubibus mandabo ne pluãt ſuper eam imbrem. Et aduerſus temulentos & iniquos quoſque hæc ibidem ſapientia concionatur, Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Cithara & lyra & tympanum & tibia & vinũ in conuiuiis veſtris, & opus domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis. Propterea captiuus ductus eſt populus

Eccleſ. 1. Eſa. 1. Eſa. 3. Eſa. 5.

populus meus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes glorioſique eius ad eum. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponẽtes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum ſicut fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet. Abiecerunt enim legem domini exercituũ, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Ideo iratus eſt furor domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſsit eum. Hæc quoque per Hieremiam de eadem Iudæorum ingratitudine & impudentia Sapientia prædicat: Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elõgauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt, & non dixerunt, vbi eſt dominus qui aſcendere nos fecit de terra Aegypti, qui traduxit nos per deſertum, per terram inhabitabilem & inuiam, per terram ſitis, & imaginem mortis, & per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo? Et induxi vos in terram Carmeli, vt comederetis fructum eius, & bona illius. Et ingreſsi contaminaſtis terram meam, & hæreditatem meam poſuiſtis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt, vbi eſt dominus? & tenentes legem, neſcierunt me, & paſtores præuaricati ſunt in me, & prophetæ prophetauerunt in Baal, & idola ſecuti ſunt. Populus meus mutauit gloriam ſuam in idolũ. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit dominus. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſsipatas, quæ continere non valent aquas. Et paulopoſt, Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te. Scito & vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te dominum Deum tuum, & non eſſe timorem eius apud te, dicit dominus Deus exercituum. A ſeculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, Non ſeruiam. In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix: ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum. Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena? Et alibi Iſraelitico populo pœnam etiam acerrimam comminatur, quòd non audierit vocem domini, nec prophetis obtẽperauerit, ſed ſuas voluptates etiam obſcœnas & petulantes ſectatus ſit: Ecce ego adducam ſuper vos gentem de longinquo domus Iſrael, gentem robuſtam, gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius quaſi ſepulchrum patens, vniuerſi fortes. Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos, & filias tuas: & comedet gregem tuum, & armenta tua: & comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret vrbes munitas tuas in quibus tu habes fiduciam, gladio. Ipſa quoque ſapientia prædicando inſurgit per Ezechielem in eundem populum ingratiſsimum, In die qua elegi Iſrael, & leuaui manum meam pro ſtirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Aegypti, & leuaui manum meam pro eis, dicens, Ego dominus Deus veſter: in die illa leuaui manũ meam pro eis, vt educerem eos de terra Aegypti, in terram quam prouideram eis, fluẽtem lacte & melle, quæ eſt egregia inter omnes terras. Et dixi ad eos, Vnuſquiſq; offenſiones oculorum ſuorum abiiciat, & in idolis Aegypti nolite pollui. Ego dominus Deus veſter. Et irritauerũt me, nolueruntque me audire. Vnuſquiſque abominationes oculorum ſuorum non proiecit, nec idola Aegypti reliquerunt. Et dixi vt effunderem indignationem meam ſuper eos, & implerem iram meam in eis in medio terræ Aegypti. Et alibi ſapientia increpat acerbè negligentiſsimos eccleſiæ paſtores, qui non paſcunt oues Dei, ſed deglubunt & ad viuam vſque cutem tondent: Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebãt ſemetipſos. Nonne reges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod fractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum eſt, non reduxiſtis: & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum

Hiere. 2.

Hiere. 5.

Ezechie. 20.

Ezech. 34.

auſteritate imperabatis eis,& cũ potẽtia:& diſperſæ ſunt oues meæ,eò ꝙ non eſſet paſtor,
& factæ ſunt in deuorationẽ omniũ beſtiarũ agri , & diſperſæ ſunt. Errauerũt greges mei
in cũctis mõtib⁹,& in vniuerſo colle excelſo,& ſuper omnẽ faciẽ terræ diſperſi ſunt gre-
ges mei,& nõ erat qui requireret. Nõ erat inquã qui requireret:propterea paſtores audite
verbũ domini: Viuo ego,dicit dominus Deus,quia pro eo ꝙ facti ſunt greges mei in ra-
pinam , & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri , eò quòd non eſſet pa-
ſtor(neque enim quæſierunt paſtores gregem meum,ſed paſcebant paſtores ſemetipſos,
& greges meos non paſcebant)propterea paſtores audite verbum domini: Hæc dicit do-
minus Deus,Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum , &
ceſſare eos faciam , vt vltrà non paſcant gregem meum,nec paſcant amplius paſtores
ſemetipſos:& liberabo gregem meum de ore eorum ,& non erit vltrà eis in eſcam.

¶ Iam ſatis plenê nouimus ſapientiam Dei per prophetas prædicaſſe foris & palàm po-
pulo Iudaico,eiuſque nephanda ſcelera reprehendiſſe:nũc paucis adaperiamus quidnam
per apoſtolos in aures Iudæorum & gentilium inſonuerit. Beatus Petrus vbi primùm in
Act.2. die Pentecoſtes repletus eſt ſpiritu ſancto,publicè ſapientiam Chriſti eloquutus eſt , quòd
definito dei conſilio traditus ſit per manus iniquorum,& affixus cruci:quem deus ſuſci-
tauit ſolutis doloribus inferni : iis autem qui prædicationem illam ſacræ ſcripturæ teſti-
moniis ſuffultam audierant,eaque compungebantur,dixit, Pœnitentiam agite,& bapti-
zetur vnuſquiſq; veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti,in remiſsionẽ peccatorũ veſtrorum:& ac-
cipietis donum ſpiritusſancti. Vobis enim eſt repromiſsio,& filiis veſtris,& omnibus qui
longe ſunt,quoſcunque aduocauerit dominus Deus noſter. Et qui feruenti animo & ſyn-
cera fide hunc ſermonem receperũt,baptizati ſunt:& appoſitæ ſunt in die illa animæ cir-
citer tria millia. Hanc quoque ſapientiam prædicauit Cornelio gentili,cuius exaudita eſt
Acto.10. Deute.10. oratio,& eleemoſynæ commemoratæ ſunt in cõſpectu dei : pariter & iis qui comitaban-
2.Para.19. tur Cornelium:& cum percuperent illi audire quæcunque ei præcepta erant a domino,
Iob.34. Sapi.6. dixit, In veritate comperio quia non eſt perſonarum acceptor Deus , ſed in omni gente
Eccleſ.35 qui timet eum,& operatur iuſtitiam,acceptus eſt illi. Verbũ miſit Deus filiis Iſrael,annũ-
Roma.2. cians pacem per Ieſum chriſtum.hic eſt omnium dominus. Vos ſcitis quod factũ eſt ver-
Gala.2. Ephe.6. bum per vniuerſam Iudæam. Incipiens enim a Galilæa poſt baptiſmum quod prædicauit
1.Petri.1. Ioannes, Ieſum à Nazareth,quomodo vnxit eum Deus ſpiritu ſancto & virtute ,qui per-
tranſiit benefaciendo,& ſanando omnes oppreſſos à Diabolo,quoniam Deus erat cum
5. illo:& nos teſtes ſumus omnium quæ fecit in regione Iudæorum,& Hieruſalem:quem oc
ciderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die,& dedit eum manifeſtum
fieri,non omni populo,ſed teſtibus præordinatis à deo,nobis qui manducauimus & bi-
bimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo, &
teſtificari quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à deo iudex viuorum & mortuorum. Huic om-
Hiere.31. nes prophetæ teſtimonium perhibent remiſsionem peccatorum accipere per nomẽ eius
Mich.7. omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro,vt refert Lucas,verba hæc,cecidit ſpi-
ritusſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circũciſiòne fideles
qui venerant cũ Petro,quia & in nationes gratia ſpiritusſancti effuſa eſt. Audiebant enim
illos loquentes linguis,& magnificãtes deum. Tunc reſpõdit Petrus, Nunquid aquã quis
prohibere poteſt vt non baptizentur ii qui ſpiritum ſanctum acceperunt,ſicut & nos?Et
iuſsit eos baptizari in nomine domini Ieſu Chriſti. Vides Petrũ poſt reſurrectionem ſui
præceptoris pateſeciſſe & Iudæis & gentilibus myſteria diuinitatis Chriſti , qui voluit
ſuos apoſtolos eximiis ſpiritusſancti dotib⁹ illuſtratos hãc ſapiẽtiam toti mũdo manifeſtã
reddere,vt adimpleretur quod aliquando ſuis præconibus dixerat : Quod dico vobis in
Mat.10. Math.16. tenebris,dicite in lumine:& quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta . Antequam pa-
Mat.17. teretur,eis præceperat ne prædicarent quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus, & ne cuipiam glo-
riam eius quam in monte conſpexerant,reuelarent. Tunc enim magis ſuę maieſtatis po
Eſa.42.& Mat.12. tentiam operibus quàm verbis oſtendebat,impleta prophetia quæ dixit, Neque audiet
2.Corin.1. aliquis in plateis vocem eius. Chriſtus etiam, qui eſt dei virtus & ſapientia,foris & palam
prædicauit,& quanam ſemita regni cæleſtis beatitudinem aſſequeremur, oſtendit ,qui
turbam confertiſsimam ad ſe contendentem , cum in montem ſeceſsiſſet , hæc docuit:

Beati

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum . Beati mites, quoniam Matt.5.
ipſi poſsidebunt terrã.&c.Prædicauit etiã manifeſte.Nam cũ Annas qui Pontifex fuerat, Ioan.18.
eũ interrogaſſet de diſcipulis ſuis,& de doctrina eius,reſpondit,Ego palam locutus ſum
mundo,ego ſemper docui in ſynagoga , & in templo,quò omnes Iudæi conueniunt, & in
occulto locutus ſum nihil.Quid me interrogas?interroga eos qui audierunt,quid locu-
tus ſum ipſis:ecce hi ſciunt quę dixerim ego.Sapiẽtia nullis perterrita minis , nec de ſuæ
dignitatis gradu deiecta,tunc in capite, id eſt,in primariis Synagogæ ducibus,qui tumul-
tuabantur,clamitabat , nec vitiis doctorum legis adulabatur.quod euangelicus concio-
nator,cum ſanctum Chriſti euangelium prædicat,ſumma cum diligentia obſeruare de-
bet,ne plebeculæ vitiola reprehendendo,ſummis principum & eccleſiaſticorum claſsico-
rum flagitiis conniueat . Et licet inuida & peruerſa Iudæorũ turba diceret Chriſto quòd
dæmonium haberet,eique vehementer indignaretur,quòd totum hominem ſanum fe- Ioan.7.
ciſſet in ſabbato,non tamen deſtitit clamare in ſynagoga,& palàm docere ſe à ſuo patre
cæleſti miſſum in mũdum,vt ſanam eius doctrinam veris auditoribus inuulgaret. Quòd
ſi,inquit,dixero quia neſcio eum,ero ſimilis vobis,mẽdax:ſed ſcio eum,quia ab ipſo ſum,
& ipſe me miſit.Iis denique qui pertinaces erant in ſua incredulitate,audenter dixit , In Ioan.8.
peccatis veſtris moriemini.Nihil vnquam ſimulauit,nihil denique ad captandam auram
popularem loquutus eſt,nec diuinam ſapientiam adulterauit:& cum dixit Iudæis, Vos ex Ibidem
patre diabolo eſtis,& deſideria patris veſtri vultis facere : oſtendit manifeſte ſe nullis ad-
uerſantium gladiis terreri,nec vllis principum comminationibus celandam eſſe verita-
tem,cum vt eam profiteamur,tẽpus poſtulat.Contempſit & magno animo terrores Pila-
ti,qui cum dixiſſet,Mihi non loqueris?neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te,& po- Ioan.19.
teſtatem habeo dimittere te?reſpondit,Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam,ni-
ſi tibi datum eſſet deſuper.Propterea qui me tradidit tibi,maius peccatum habet.
¶ Profert & ſapientia in foribus portarum vrbis,ſcilicet eccleſiæ,verba ſua , de qua dicit Pſal.86.
propheta , Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et in Apocalypſi ſcriptum eſt , Vidi ci- Apoca.21.
uitatẽ ſanctã Hieruſalẽ a deo paratã,ſicut ſpõſam ornatã viro ſuo.Fores portarũ huiuſce
vrbis, ſunt virtutes quibus nobis ad aſſequendũ regnũ Dei fit aditus:aut fides & ſacramẽ-
ta quibus ad regium ſponſi conuiuium ducimur:Vel eccleſiæ paſtores,qui nos ad ec-
cleſiam ducunt.In his foribus ſapientia profert verba ſua , quibus & dixit,ne quicquam
reformidarent , Non eſtis vos qui loquimini , ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in Mat 10.
vobis . Vnde & Paulus , An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chri- 2.Corin.13.
ſtus?Ad literam tamen hunc locum ſic explicabimus:In lege Moſaica conſueuerant iudi
ces reſidere in portis vrbium,vt decernerent de cauſis ſibi propoſitis,ferrentque iuſte ſen
tentiam:& id fiebat vt commodius pateret omnibus ad ipſos acceſſus,& facilius expedi-
rentur qui acceſsiſſent.Siquidẽ in Deuteronomio ſcriptum eſt , Iudices & magiſtros con- Deute.16.
ſtitues in omnibus portis tuis, quas dominus deus tuus dederit per ſingulas tribus tuas,
vt iudicent populum iuſto iudicio,nec in alteram partem declinent. Sed quidnam ſapiẽ
tia in foribus vrbis prædicet,attendamus. Vſquequo paruuli diligitis infantiã?Hic paruu
li non dicuntur innocentes,& paruuli malitia,ſed ſenſu tardiores & imperiti. Dolet ſa-
pientia ignaros tantopere ſuam diligere infantiam & inſipientiam.nam amant quod im-
perfectum eſt & puerile , quod denique eos ad interitum perducit.Et qui ſicula obſonia
& ventris delicias amore proſequuntur,ſuam ſapiũt infantiam:qui etiam ſummos ambi-
unt honores,aut auaritiæ ſtudent,nihilque non carnale ſpirãt, ab infantibus nihilo dif-
ferũt.nam rebus terrenis addicti,ſolum quod præſens eſt,& ad corporis culturam facere
videtur,proſpectant:quibus ſuadet ſapientia vt tantæ cæcitatis velamen auferant,nec tã-
topere rerũ humanarum curis occupentur,& abiiciendo nuces,& quæ vana ſunt et pue-
rilia,imitentur Paulum,qui de ſuis moribus loquens dicebat:Cum eſſem paruulus, loque 1 Corin.13.
bar vt paruulus,ſapiebam vt paruulus,cogitabam vt paruulus.Quãdo autẽ fact⁹ ſum vir,
euacuaui quæ erant paruuli.Poteſt et hic locus intelligi de Iudęis,qui veteris inſtrumenti
cæremonias & ſacrificia, miſericordiæ præferebant,& legem Moſaicam euangelicæ : de
quibus ſapientia iuſtam faciens querimoniam,dicit, Vſquequo paruuli & ſtolidi diligitis
infantiam ? cur Chriſtum vobis promiſſum reieciſtis,& veſtra decreta euangelicis præ-

ſcriptis antepoſuiſtis?Quis vos faſcinauit non obedire euangelio?Quis denique vos do-
cuit legem iuſtificare,& non gratiam Chriſti?Accedite igitur,& contendite depoſita ve-
ſtræ inſciriæ caligine,ad lympidiſsimum euãgelicæ ſapientiæ fontem,ex quo viua aqua
in veſtra præcordia profluet & dilabetur : intelligetiſque quod vobis maximopere ad
indipiſcendam æternam felicitatem profuturum eſt.

❡ Stulti quæ ſibi ſunt noxia cupiunt,& imprudẽtes odibunt ſciẽtiã. Stulti illi ſunt,qui
Roma.1. apud ſemetipſos ſapientes videri cupiunt:de quibus dicit Paulus,Dicẽtes ſe eſſe ſapiẽtes,
ſtulti facti ſunt.amant illi quæ ſibi plurimum nocent. Stultorum catalogo inſcribuntur
laſciui,quòd in fœdam libidinem deſpumantes,ſuæ mortis retia ſibi conficiant. Eodem
luto volutantur ambitioſi , quòd inanis gloriæ flatu cõcitati,huc & illuc inſtabiles ra-
piantur,& neſcientes honoribus modum præſcribere, cæcutiant. Perueſtigant & auari
quæ ſibi obfutura ſunt:& qui barbaras & incultas diſciplinas humanioribus literis ante-
ponunt,in profundam delirationem demerguntur. Generatim ſtolidi ſunt,qui præſen-
tia diligunt,& futura non appetunt. Imprudentes vero dicuntur,qui ſanam Dei doctri-
nam vaniſsimis ſtudiis delectari exoſam habent. Tales erãt Iudæi,qui literæ ſuperficiem
ſectantes,Euangeliorũ myſteria & ſacramenta accipere detrectabãt. Illos tamen ſapien-
tia cupit ab errore reuocare,dicens,Conuertimini ad correptionem meam,gaudebo ſi
Eſa.55. reſipiſcentiam egeritis. Hoc explicatè monſtrat Eſaias dicens,Quærite dominum dum
inueniri poteſt,inuocate eum dum prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir ini-
quus cogitationes ſuas,& reuertatur ad dominum,& miſerebitur eius : & ad Deum no-
ſtrum,quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et apud Hieremiam magna Dei clementia
Hiere.3. & benignitas erga peccatores oſtenditur. Reuertere , inquit , auerſatrix Iſrael , & non
auertam faciem meam à vobis,quia ſanctus ego ſum,& non iraſcar in perpetuum. Ve-
runtamen ſcito iniquitatem tuam,quia in dominum Deum tuum præuaricata es,& di-
ſperſiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frondoſo , & vocem meam non audiſti. Con-
uertimini filij reuertentes,& aſſumam vos,vnum de ciuitate, & duos de cognatione, &
introducam vos in Sion:& dabo vobis paſtores iuxta cor meum,& paſcent vos ſcientia
& doctrina. Et Chriſtus ſummè pius & miſericors exhilareſcit, cum ouis quæ perierat,
ad ſuum ouile reuertitur : & id parabola ſub omnium oculos inducta patefecit,dicens,
Lucæ.15. Mat.18. Quis ex vobis homo qui habet centum oues,& ſi perdiderit vnam ex illis,nonne dimit-
tit nonaginta nouem in deſerto,& vadit ad illam quæ perierat,donec inueniat eam? Et
cum inuenerit eam,imponit in humeros ſuos gaudens,& veniẽs domum cõuocat ami-
cos & vicinos,dicens illis,Congratulamini mihi,quia inueni ouem meam quæ perierat.
Dico vobis quòd ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente,
quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis , qui non indigent pœnitentia. Agnoſcimus,niſi
mentis cæcitate obumbremur , Deum noſtræ ſalutis amantiſsimum magnopere lætari
cum nos perperam vixiſſe pœnitet. Pulſat ſiquidem ad noſtræ mentis oſtium:& niſi ob-
ſtiterimus,ingreditur. Hæc me hercle vox , Conuertimini ad meam correptionem,ſua-
uis eſt & humana:cui Chriſtiani(niſi ſilice duriores ſint)auſcultare debent. Et qui dicit,
Conuertimini,non cogit liberum arbitrium vt conuertatur , alioqui nihil ſua conuer-
ſione mereretur,ſed planè docet ſitum eſſe in noſtra facultate vt conuertamur,ſi modò
cum Dei auxilio pro viribus conemur. Sed dicamus Deo optimo , Domine da nobis
quod iubes,ſiquidem præcipis vt conuertamur, & hoc nobis impertias munus, vt ad te
conuertamur . Non enim hæſitamus quin Deus prius ad nos conuertatur,quàm nos
Hiere.31. ad eum conuertamur . Nam ſcriptum eſt , Conuerte me , & conuertar . Poſtquam
enim conuertiſti me, egi pœnitentiam.

❡ *En proferam uobis ſpiritum meum , & oſtendam uobis uerba mea. Quia uocaui, & renuiſtis. Extendi
manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum , & increpationes meas neglexi-
ſtis. Ego quoque in interitu ueſtro ridebo , & ſubſannabo cum uobis quod timebatis aduenerit , cum irruerit
ſuper uos repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit : quando uenerit ſuper uos tribulatio
& anguſtia, tunc inuocabunt me , & non exaudiam. Mane conſurgent, & non inuenient me, eò quòd exoſam
habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint , nec acquieuerint conſilio meo , & detraxerint
uniuerſæ correptioni meæ.)* Sapientia iis qui nolunt corrigi, terrorẽ incutit, & quæ perpeſſuri

ſunt

ſunt tormenta prædicit, dicens, En proferam vobis ſpiritum meum, ſcilicet potentiam
vltionis, de qua dicit Moſes: Et in ſpiritu furoris tui congregatę ſunt aquæ. Et paulopoſt, Exo. 15.
Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare. ſiue, vt alij legunt, Miſiſti ſpiritum tuum, & ope-
ruit eos mare. Dicit etiam Eliphas in libro Iob, Vidi eos qui operantur iniquitatem, & Iob. 4.
ſeminant dolores, & metunt eos, flante deo periſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. Et
hoc ſibi vult iuſta Sapientiæ querimonia & ira, Nōne veſtra delicta meruerunt vt in vos
vltionis ſpiritum effunderem? Nonne diu expectaui vt faceretis pœnitentiam, & renui-
ſtis? Nunc video patientiam meam à vobis lęſam, conuerti in furorem. Volo igitur & iu-
beo vt vltrices illæ pœnarum deæ vos extremis ſuppliciis crucient. Frequenter & variis
modis vos ad emendationem & pœnitentiam inuitaui, & quidem per angelos, prophetas,
& Apoſtolos, & tamen noluiſtis conuerti. Et vos qui dereliquiſtis dominum, qui obliti e- Eſa. 65.
ſtis montem ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam, numera-
bo vos in gladio, & omnes in cęde corruetis, pro eo quòd vocaui, & non reſpondiſtis: lo-
cutus ſum, & non audiſtis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegiſtis. Quis
etiam ignorat Chriſtum nos ad ſe accerſiuiſſe, cum dixit, Venite ad me omnes qui labo- Mat. 11.
ratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos? Tollite iugum meum ſuper vos, quod mediuſſi-
dius ſuaue eſt, nec Chriſtianos multis cæremoniis & ſacrificiis onerat, nec denique quē-
quam ſuo pondere premit: & tamen multi hoc onus leue renuerunt ſuis ſubmittere hu- Mat. 23.
meris. Et alibi Chriſtus deplorando ingratitudinem vrbis Hieroſolymitanæ, & prædi-
cendo eiuſdem ſubuerſionem, dicit, Hieruſalem, Hieruſalē quæ occidis prophetas, & lapi-
das eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui cōgregare filios tuos quemadmodū gallina con
gregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſer-
ta. Dicit etiā Paulus de patientia dei, qua abutuntur improbi, An diuitias bonitatis eius & Roma. 2.
patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiā
te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in
die iræ & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Dein-
deç gre fert Sapientia quòd qui debuerant beneficiis acceptis remetiri gratiam, de propē-
ſione animi penſare beneficium beneficio, abierunt ingratiſsimi. Extendi, inquit, manū
meam, beneficia ſcilicet largiendo: & non fuit qui aſpiceret, & beneficij accepti recorda-
retur. Vel ſic, Extendi manum meam, vt vos à lutulenta vitiorum ſentina extraherem &
explicarem: nullus tamen veſtrum ſtuduit adiutricem manum recipere. Aliter, Poteſtatē
meam vobis in proſperis & aduerſis demonſtraui, vt per proſpera vos ad obſequium me-
um allicerem, & per aduerſa vobis terrorem incuterem: nullus tamen fuit qui ad me men
tem ſuam inflecteret. Paſsim legimus in ſacris literis manum dei ſumi pro potentia. Si-
quidem in Exodo ſcriptum eſt, In manu forti eduxit te dominus de Aegypto. Item, Om- Exo. 13.
nes ſancti in manu illius ſunt. Et alibi, Die ac nocte grauata eſt ſuper me manꝰ tua. Atque Deutero. 33. Pſal. 31.
iterum, Non ſunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis. Deſpe- Pſal 77.
xerunt & ſcelerati vtiliſsimum ſapientiæ conſilium, nec eius exhortationibus acquieue- Mat 3.
runt cum dixit, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Neglexe-
runt & eius increpationes, & cum à domino obiurgabātur, excandeſcebant, nec vnquam
moderatam eius correctionē ęquo tulerunt animo: de quibus dicit deus: Vnde & ego de- Amos 4.
di vobis ſtuporem dentium in cunctis vrbibus veſtris, & indigētiam panum in omnibus
locis veſtris, & non eſtis reuerſi ad me. Percuſsi vos in vento vrente, & in aurugine mul-
titudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum: oliueta veſtra, & ficeta veſtra co
medit eruca, & non rediſtis ad me. Miſi in vos mortem in via Aegypti, percuſsi in gladio
iuuenes veſtros vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum, & aſcendere feci putredinem
caſtrorum veſtrorum in nares veſtras, & non rediſtis ad me. Subuerti vos ſicut ſubuertit Gene. 19.
deus Sodomam & Gomorram, & facti eſtis ſicut torris raptus ab incendio, & non rediſtis
ad me. Et quia, inquit ſapientia, toties me deſpexiſtis, nec meis monitis obſequi voluiſtis:
cum vobis pernicies & lugendus interitus ſuperuenerit, non ſolum non triſtabor, ſed ri-
debo & ſubſannabo, cū vobis aduerſa quæque contigerint. Huic cohęret ſententiæ quod
apud Pſalmographum legimus, Qui habitat in cœlis, irridebit eos, & dominus ſubſanna- Pſal. 2.
bit eos. Sanna diſſolutus eſt riſus, a nariū ſonitu: à quo fit ſubſanno, quod eſt irrideo. Per-

ſius poſticam ſannam vocat deriſionem quæ poſt tergum fit. Sed cū dicitur, Dominus
Auguſti. irridebit eos,& ſubſannabit:nihil horum ſapere oportet carnaliter,authore Auguſtino
in illius pſalmi enarratione,quaſi aut buccis Deus irrideat,aut naſo ſubſannet:ſed ea vis
accipienda eſt quam dat ſanctis ſuis,vt futura cernentes, id eſt nomen Chriſti, & dānationem
peruagaturam in poſteros , & vniuerſas gentes obtenturam,illos inania meditatos
eſſe intelligant.Hæc enim vis qua iſta præſcita ſunt,irriſio Dei eſt, & ſubſannatio.
Deinde pateſaciendo calamitates in quas Dei contemptores incident , dicit ſapientia:
Cum irruerit ſuper vos repentina calamitas,& interitus quaſi tempeſtas ingruerit, &c.
tunc inuocabunt me , & non exaudiam. Senſus eſt clariſsimus, Cum vos malorum omnium
anguſtiæ vndique prement , & procelloſæ aduerſitatum omnium tempeſtates
concutient & agitabunt,etiam ſi ad me confugeritis,non miſerebor veſtri,neque vo
Pſal.72. bis ſuccurram.Et his perſimile eſt quod dicit propheta,Quomodo facti ſunt in deſolationem?
Pſal.17. ſubitò defecerunt,perierunt propter iniquitatem ſuam. Et alibi,Clamauerunt,
nec erat qui ſaluos faceret:ad dominum,nec exaudiuit eos. Huic quoque loco mirè cō
Eſa. 1. ſentit quod dicit dominus apud Eſaiam de peruerſiſsimis Iudæis: Cū extenderitis manus
veſtras,auertam oculos meos à vobis:& cum multiplicaueritis orationem, non ex-
Hier.14. audiam.Et apud Hieremiam id compertum habemus:Cum ieiunauerint,non exaudiā
preces eorum:& ſi obtulerint holocauſtomata & victimas,non ſuſcipiam ea,quoniam
2.Macca.9 gladio & fame & peſte ego conſumam eos . Antiochus etiam rex ſceleſtiſsimus orauit
Hebr.12. dominum, nec tamē exaudiri promeruit. Et quid de Eſau dicat apoſtolus,attende:Nō
inuenit pœnitentiæ locum,quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Poteſt & quod
dicit Salomon de repentina calamitate,intelligi de ſubita Hieroſolymorum obſidione
& expugnatione,quæ à Romanis facta eſt. Videns autem Chriſtus hanc ciuitatem , fle-
Lucæ.19. uit ſuper illam,dicens,Quia ſi cognouiſſes,& tu:& quidem in hac die tua,quæ ad pacem
tibi:nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis:quia venient dies in te,& circundabunt
te inimici tui vallo,& circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique , & ad terram proſternent
te, & filios tuos qui in te ſunt , & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem,
Lucæ.21. eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et alibi, Cum autem videritis circūdari
ab exercitu Hieruſalem,tunc ſcitote quia appropinquauit deſolatio eius.

¶ Dicet aliquis,quod ſcribit Salomon de ſapientia hæc dicente, Tunc inuocabūt me,
& non exaudiam:repugnat pleriſque ſacræ ſcripturæ locis. Nam dicit pſalmographus,
Pſal.4. Cum inuocarem,exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ. Et in euangelio ſcriptum eſt, Petite,
Mat.7. & dabitur vobis:quærite,& inuenietis:pulſate,& aperietur vobis. Omnis enim qui petit,
accipit:& qui quærit,inuenit,& pulſanti aperietur. Quæ obiecta ſunt ex ſacris literis
aduerſus Salomonis ſententiam,in hunc modum diluentur. Cum ſancti aduerſis rebus
iactati,prompta voluntate inuocant dominum,nihil hæſitantes, & perſeuerant in orationibus,
tandem exaudiuntur:& qui à Deo ſubſidium poſtulant,ſi modò vt decet quod
ſibi vtile eſt petant,fiunt voti compotes. Quos denique vera pœnitentia torquet , & ſua
ingemiſcentes delicta feruentiſsima fide ad miſericordiæ fontem confugiunt,merentur
ſanè Dei ſententiam flectere.Qui tamen in ſummis aduerſitatum procellis inuocāt dominū,
nec tamen eos verè pœnitet, nec aliquoties à domino reiecti,in orationibus per-
Mat.15. ſeuerant,non obtinent quod efflagitabāt.Imitemur Chananæam illam,rarum patiētiæ
exemplar, quæ non deſtitit precari Chriſtum donec ab eo quod optabat extorqueret,
Beda. licet bis interpellando paſſa ſit repulſam.Poteſt tamen tota hæc ſapientiæ correptio generaliter
de vniuerſis reprobis intelligi , vt adnotat venerabilis Beda , qui in die iudicij
clamant ad iudicem aperiri ſibi ianuam regni poſtulantes,nec merētur exaudiri. Nam
& hoc quod ſequitur,Mane conſurgent,& non inuenient me : ipſum extremi examinis
tempus,quo alij in vitam æternam,alij in opprobrium ſempiternum reſurgent, apertè
deſignat.Nec ſapientia rationem ſubticet , cur diluculo expergiſcentes non inuenient
gratiam Dei ſibi fauorabilem,quia diſciplinam odio inſectati ſunt, & timorem domini
à ſe procul abiecerunt : nec ſolum vtiliſsimis ſapientiæ præſcriptis & conſiliis non acquieuerunt,
ſed ſumma cum impudentia detraxerunt. De huiuſmodi conuitiatoribus &
Zach.7. peruerſis hominibus dicit dominus,Noluerunt attendere , & auerterunt ſcapulas rece-

dentes,

dentes,& cor ſuum poſuerunt vt adamantem, ne audirent legem. De iiſdem alibi con-
queritur, Vſquequo detrahet mihi populus iſte? Num.14.
¶ *Comedent igitur fructus uiæ ſuæ, ſuiſq; conſiliis ſaturabuntur. Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorum ſublato.)* Si præmia bonis rependenda ſunt, & ſupplicia malis irro-
ganda, recto ſanè conſequio ex iis quæ antecedunt, ſapientia colligit, Qui meam do-
ctrinam exoſam habuerunt, & mihi mirum in modum conuitiati ſunt, nec vnquam
meis conſiliis ac monitionibus obſequi voluerunt, digni ſunt vt extrema tormenta
perferant, & recipiendo mercedem viarum ſuarum, in æternum pereant. Huic confi-
ne eſt quod dicit dominus per Eſaiam, Væ impio in malum. retributio enim manuum Eſa.3.
eius fiet ei. Et qui lingua detractrice ac fraudulentis adinuentionibus prouocauerunt
dominum ad iracundiam, comedent fructus viarum ſuarum,& recipient aliquando in
miſerorum carceribus quod meruerunt. Væ animæ eorum, qui cogitauerunt conſi-
lium peſsimum contra ſemetipſos, dicentes, Alligemus iuſtum, quoniam inutilis eſt Sapl.2.
nobis. Itaque fructus operum ſuorum comedent. Et hoc pulchrè Iudæis conuenit, qui
inierũt conſilium peſsimum, non tam contra iuſtum, quàm cõtra ſemetipſos,& ani-
mam ſuam: & nunc fructus operum ſuorum comedent. Quæ enim ſeminauerit homo, Gala.6.
hæc & metet. & ſecundum æquiſsimas diuinæ iuſtitiæ leges, iuſta retributione ſuæ ini-
quitatis tanquam cibo implebuntur & reficientur, de quibus ait propheta: Sicut oues Pſal.48.
in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos. Et cum non poterunt amplius inſultare ve-
ritati, nec ſapientiæ decreta calũniari, ſuis conſiliis ſaturabuntur, quibus aiebant: Abſ-
condamus tendiculas contra inſontem fruſtra. Loco huius, Suiſque conſiliis ſatura-
buntur, legunt Septuaginta, Et ſuæ impietatis implebuntur. nam Græce legimus, ϗ τῆς
ἑαυτῶν ἀσεβείας πλησθήσονται. Deinde ſubnectit parabola, Auerſio paruulorum interſi-
ciet eos. Tandiu homines paruuli ſunt ſenſu & ſtolidi, quandiu auditum à conſilio ſa-
pientiæ auertunt:& quia plerique tales in hac vita externis fortunæ bonis abundant,
iis qui auidè ſitiunt opes, & ſummè cupiunt ditari, præbent anſam appetendi immo-
deratè hæc terrena & caduca bona:& ſic auerſio paruulorum & proſperitas ſtultorum
eſt eis occaſio culpæ, & perditionis gehennæ: vt exponit Rab. Sa. Et hoc eſt quod con-
textus ſubindicat, Et proſperitas ſtultorum perdet illos. de quibus dicit Iob, Ducunt in Iob.21.
bonis dies ſuos,& in puncto ad inferna deſcendunt. Aliter, Auerſio paruulorum eſt an-
xia vitæ præſentis tribulatio, qua à Deo auertuntur. Et proſperitas ſtultorum, lætitia eſt
reproborum. Per hæc enim gemina vitia cuncti reprobi pereunt, cum aut proſperis
inſoleſcunt, aut aduerſis deiiciuntur. Quot, Deus bone, temporanea ſtultorum pro-
ſperitas ſuis laqueis irretiuit, & tandem ad interitum vſque pertraxit? Ecquem etiam li-
teris præditum non feſellerit? Quis non mouetur,&, ſi dixero, nõ perturbatur, cum vi-
det indoctiſsimos & omnium ignauiſsimos cæco quorundam fauore ad ſummos ho-
nores ſubuectos eſſe? Nonne ſe infœlicem exiſtimat eſſe, quòd ſibi non detur tot tan-
tiſque bonis affluere? Verùm commotos ſui animi fluctus ſedabit,& ſtultorum proſpe-
ritatem ridebit, ſi pſalmographi iuſsis obtemperauerit, qui ita loquitur, Noli æmulari Pſal.36.
in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum
velociter areſcent,& quemadmodum olera herbarum cito decident. Et alibi, Ne timue- Pſal.48.
ris cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius, quo-
niam cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Sed
quàm vtile ſit ſapientiæ obaudire, argumento ex oppoſitis contexto ſuadebimus. Qui
non audiunt ſapientiam, nec eius monitis obſequuntur, rebus aduerſis terrentur. Qui
igitur audiunt ſapientiam, eiuſque monitis obſequuntur, nullis rebus aduerſis ter-
rentur. Et cum nos docet ſapientia, non tam debemus nos præſtare attentos & do-
ciles, quàm facere quæ nobis facienda præſcribit: alioqui dum nobis aduerſita-
tum tempeſtates ingruerent, eius præſidio deſtituti, metu frangeremur, nullám-
que cum ea neceſsitudinem haberemus. Siquidem dicit Chriſtus in euangelio Io-
annis, Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Et qui dili- Ioan.14.
git Chriſtum, non addubito quin eius ſapientiam diligat. Qui igitur ſapientiam

perfectè audiunt,eius præceptis obtemperant,& obtẽperando ſi quid aduerſi cõtigerit,
æquanimiter tolerant,nec fortunæ minis euincuntur. Nec is mihi mendacij nota ca-
rere videtur,qui dicit ſe ſapientiam audire,eamq́ue cognoſcere,ſi eius præcepta nõ ob-
1.Ioan.2. ſeruet.Nam dicit Ioannes,Qui dicit ſe noſſe Deum,& mandata eius non cuſtodit, mẽ-
dax eſt,& in hoc veritas non eſt.Deniq; quanta eos maneant præmia qui lubenter & aſ-
Eccleſ.24. ſidue audiunt ſapientiam,expreſsit Eccleſiaſticus dicens,Qui audit me, nõ cõfundetur:
& qui operantur in me,non peccabunt.Qui elucidant me,vitam æternam habebunt.Et
huic loco,Qui autem me audierit, abſq; terrore requieſcet:verba illa conſentanea ſunt.
Enimuero æterna requie,tranquilloq; contemplationis ocio perfruentur, qui dum hãc
agerent vitam,multis calamitatibus obnoxiam,vtiliſsimis ſapientiæ conſiliis acquieue-
Pſal.131. runt.De illa requie dicit Dauid,Hæc requies mea in ſeculum ſeculi:hic habitabo, quo-
Hebr.4. niam elegi eam. Feſtinemus igitur virtutibus exornati ingredi in illam requiem,in qua
ſublato malorum & aduerſitatum timore,bonorum omnium abundantia perfruemur.
Eſaiæ.32. Illic opus iuſtitiæ erit pax,& cultus iuſtitiæ ſilentium,& ſecuritas vſq; in ſempiternũ, &
ſedebit populus in pulchritudine pacis,& in tabernaculis fiduciæ , & in requie opulẽta.

ARGVMENTVM SECVNDI CAPITIS.

Summa cum diligentia adniti debent ſapientiæ ſtudioſiſsimi,ut eius conſiliis, ſermonibus & præſcriptis obſequantur,eamq́; tanquam ſelectiſsimum theſaurum ex penitioribus ſacræ ſcripturæ locis eruant:firmiſsimè credant diuinam ſophiam ex ore altiſsimi prodire:qua præditi , à uariis uitiorum periculis proteguntur,nec ullis unquam caſibus ſuccumbunt:columbinam uitæ ſimplicitatem,morumq́; probitatem, arctiſsimo nexu cum ipſa ſapientia copulant:quocunque ferantur,ne præcipitia faciant , ſemper habent prudentiam ſui itineris ducem : qua monentur ne quid commercii ac conſuetudinis cum improbis habeant , qui à recto uirtutum tramite deflectentes,per loca inuia & tenebris obducta ambulant , nihilq; non moliuntur quò poſsint bonos ſeducere,& ad ſcortorum barathrum fœdasq́; libidines detrudere.

CAPVT SECVNDVM.

Fili mi,ſi ſuſceperis ſermones meos, & mandata mea abſconderis penes te,ut audiat ſapientiam auris tua , inclina cor tuum ad cognoſcendam prudentiam . Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ , ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis eam , tunc intelliges timorem domini , & ſcientiam domini inuenies, quia dominus dat ſapientiam , & ex ore eius ſcientia & prudentia .) Sapientia ſummo amore erga homines exæſtuans,
nos cohortatur vt præclara eius inſtituta ac præcepta amplexe-
mur,eaq́ue in ſecretiſsimo noſtri pectoris ſcriniolo,tanquam precioſum theſaurum &
pellucidas quaſdam margaritas recondamus . Abſcondimus autem mandata diuinæ
ſapientiæ penes nos, quando diligenter & attenta mente ea audimus & verſamus , in
quorum obſeruatione ſita eſt noſtræ vitæ ſalus.Nec tam verbis quàm ſyncero & puro
animi affectu ea expendere conuenit.Vnde quod ad rem præſentem facit plurimum,
Pſal.118. dicit pſalmographus,In corde meo abſcondi eloquia tua,vt non peccem tibi. Et nobis
præcauẽdum eſt ne inuulgãdo nos obſeruaſſe Dei mandata,inanis glorię notam incur-
ramus.Ad vitandum igitur flatum auræ popularis, quo multi paſcuntur,ita ſeruiamus
Deo,vt eius præcepta in intimo corde recondamus:quod certè docuit Chriſtus,dicens,
Mat.6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus,vt videamini ab eis:alioquin
mercedem nõ habebitis apud patrem veſtrum qui in cælis eſt. Cũ ergo facis eleemoſy-
nã,noli tuba canere ante te,ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, vt honori-
ficentur ab hominibus.Amen dico vobis,receperũt mercedẽ ſuã. Te autẽ faciente elee-
moſynã,neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondi-
to:& pater tuus qui videt in abſcondito,reddet tibi.Et cum oratis, non eritis ſicut hy-
pocritæ,qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare , vt videantur ab
homini-

hominibus. Amen dico vobis,receperunt mercedẽ ſuam. Tu autem cum oraueris,intra
in cubiculum tuum,& clauſo oſtio ora patrem tuũ in abſcondito,& pater tuus qui videt
in abſcondito,reddet tibi. Nec tamen ita abſcondenda ſunt Dei mandata in hominum
præcordiis,vt nullatenus liceat publice ea adimplere. Nam dicit Chriſtus, Vos eſtis lux Mat.5.
mundi. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita:neq; accendunt lucernam,&
ponunt eam ſub modio,ſed ſuper candelabrũ, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic
luceat lux veſtra coram hominibus,vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem
veſtrum qui in cælis eſt. Hæc autem Chriſti verba eò potiſsimum tendunt,vt intelliga-
mus prædicationem apoſtolorum & eccleſiaſticorum antiſtitum etiam ingruẽtibus pe-
riculis non debere latere neq; reticeri , vbi non mediore cõmodum Chriſtianis futurũ
eſt:& qui iis ſtudiis vniuerſum orbem illuſtrant,clariores euadunt & nobiliores. Hanc
quoq; Chriſti doctrinã ſequutus eſt beatus Petrus dicens, Vnuſquiſq; ſicut accepit gra- 1.Petr 4.
tiam,in alterutrum illã adminiſtrantes,ſicut boni diſpẽſatores multiformis gratiæ Dei.
Et in Apocalypſi Ioannis ſcriptũ eſt, Qui audit,dicat, veni. Senſus eſt,Qui ſapiẽtiæ my- Apoca.22.
ſteria & leges audiendo maximopere profecerit,paratus ſit ſuũ allicere proximũ ad ob-
ſeruanda Dei præcepta. Cum igitur vere chriſtianus non capitur affectu vanæ gloriæ
adimplendo palàm Dei præſcripta,& ſtudet pro viribus multos ad ſuæ vitæ inſtitutum
accerſere,tunc non debet apud ſe Dei mandata reticere,eaq; tacito ſub pectore occule-
re. Verùm facilius & multo cõmodius viam capeſſes ad obſeruanda Dei iuſſa , ſi feceris
aurem tuã attendere ſapientiæ,& quæ te docuerit, intellexeris:quod præcipuũ eſt. Multi
ſiquidem ſapientiæ verba audiunt,ſed quia non intelligunt, nullum fructum percipiũt.
Quod plane euangelica illa ſeminãtis parabola indicat. Dum enim ſeminaret ſemẽ ſuũ , Mat.13.
& latè ſpargeret,grana quædam ceciderunt iuxta viam.ea quoniam manebãt nuda, ad-
uolarunt aues,& comederunt. Hunc autem parabolæ locum ediſſerens Chriſtus, dicit:
Omnis qui audit verbum regni,& non intelligit,venit malus,& rapit quod ſeminatum
eſt in corde eius. hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt. Quòd ſi hac cum vtilitate auſculta-
ueris ſapientiæ,dabis operam,vt cum chriſtiana humilitate flectas animum ad cogno-
ſcendas prudẽtiæ leges,quibus doceberis profutura ſequi,& obfutura declinare:& pru-
dẽtia moraliũ virtutũ magiſtra tibi faciet ad cæleſtẽ philoſophiã aditũ. Sunt qui huiuſce
loci,Inclina cor tuũ ad cognoſcendã prudentiã,ſenſum hunc referunt,Eſto humilis , &
emunda animũ tuũ à peccatis,vt ſis idoneus ad percipienda diuinitatis myſteria. Vnde
ſapientia Chriſti hæc in euangelio Matthæi loquitur,Confiteor tibi pater domine cæli Mat.11.
& terræ quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis, id eſt
abſcõdiſti à ſuperbis,& reuelaſti humilibus. Dicit etiam regius propheta, Inclinaui cor Pſal.118.
meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum,propter retributionem. Inclinauit
autem cor ſuũ per admirandam quandam humilitatem. Deinde ſubiungit contextus,Si
ſapientiã inuocaueris,&c. Senſus eſt,Si aſsiduis ac feruentiſsimis precationibus ſapiẽtiã
& quidẽ increatã in tuũ auxiliũ vocaueris,inuenies eam tibi fauentiſsimam, & animam
tuam fulgidiſsimis ſuæ lucis radiis perfundet,nec vnquam te etiã extremis ſuppliciis af-
flictum deſeret. Nec abſq; ratione eam debemus inuocare. Nam ſine eius patrocinio ni-
hil magnum,nihil denique præclarum & arduum moliri poſſumus. Sicut enim palmes
non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec noſipſi , niſi in hac Ioan.15.
ſapientia manſerimus. Quamobrem optimus & ſapiẽtiſsimus apoſtolorum præceptor,
cognoſcens imbecillitatem liberi arbitrij,dixit,Sine me nihil poteſtis facere:ne quis in Ibidem.
ſuis operibus glorietur,& plus ſuis viribus quàm gratiæ tribuat. Et ne quid tibi arroges,
audi Paulum dicentem, Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti , quid glo- 1.Corin 4.
riaris quaſi non acceperis? Vtilitas igitur quam ex inuocatione domini ſentimus, nos
compellit ad inuocandum dominum. Vnde dicit Dauid,In tribulatione mea inuocaui Pſal.17.
dominum,& ad Deũ meum clamaui , & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam, Pſal 74.
& clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius. Item,Inuocabimus nomẽ tuũ. Pſal.98.
Iterum,Inuocabant dominum,& ipſe exaudiebat eos. In Sapientia quoq; ſcriptum eſt, Sapi.11.
Sitierunt,& inuocauerunt te,& data eſt illis aqua de petra altiſsima,& requies ſitis de la-
pide duro. Dicit etiam Eccleſiaſticus,Quis inuocauit eum,& deſpexit illum? Et ne ſis pi- Eccleſ.2.

Eſa.55. ger ad depoſcendam Dei opem,audi quid dicat Eſaias,Inuocate eum dum prope eſt. Et
Roma.10. idem dominus omnium, diues eſt in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicun-
Ioel.2. que inuocauerit nomen domini,ſaluus erit. Quòd ſi tanta cura perueſtigaueris ſapien-
tiam,quanta cupidi quærunt pecuniam,eamq́ue duro labore tanquam precioſum quē-
dam theſaurum effoderis,cumulatiſsimas tibi diuitias largietur. Et quemadmodum au-
thore Beda qui theſauros effodit , eiicit rudera terræ , & facit in altum foueam , ſedulus
inſiſtit labori,donec ad theſauros quos quærit, attingat:ita qui theſauros ſapientiæ in-
uenire deſiderat,quicquid ſibi terrenum ineſſe deprehenderit,expurget,carnales illece-
bras abſcindat,foſſam in ſe humilitatis faciat, nec quieſcat ab agendo priuſquam ſe ve-
nam veritatis inueniſſe cognouerit.Et huic perſimile eſt quod dicit Seneca in ſuis pro-
uerbiis,Vt auri aliquid extrahamus,terram euertimus : vt ſummum bonū occupemus,
& ſapientiam reperiamus,pectus ſcrutari piget?Intelliges & timorem domini,quo à vi-
tiis perpetrandis reuocaberis.Hoc enim ſapientiæ cæleſtis munus eſt.Siquidem ſapien-
Eccleſ.1. tia & diſciplina timor domini,& quod beneplacitum eſt illi,fides & manſuetudo, & ad-
implebit theſauros illius.Inuenies etiam ſciētiam diuinitaris,quæ te beatum faciet. Hæc
Ioan.17. eſt enim vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum,& quem miſiſti Ieſum Chri-
ſtum.Nec addubitandum eſt quin ſcienriam domini inuenies,ſi eam vt oportet ſcruta-
tus fueris,quia dominus dat ſapientiam.Etenim nemo non nouit ſapientiam eſſe donū
Dei:quod variis ſacræ ſcripturæ locis cōprobare poſſumus. Ex libris Regum nobis cō-
3.Reg.3. pertum eſt, Dominum dediſſe Salomoni ſapiētiam ad diſcernendum iudiciū,cui nemo
vnquā hoc inſigni munere ſecundus fuit. Et adoleſcens ille Zorobabel, qui vicit ſuos
3.Eſdræ.4 coætaneos ꝗ perſuaſerit Dario regi nihil eſſe veritate fortius,dicebat de rege cæli,Abs
te eſt victoria,& abs te eſt ſapientia,& claritas:& ego ſeruus tuus ſum. Benedictus es qui
dediſti mihi ſapientiā,& tibi confitebor domine Deus patrum noſtrorū. Fatetur etiam
Pſal.18. Dauid dominum deū præſtare ſapientiā paruulis. Ait & Eccleſiaſticus,Omnis ſapientia
Eccleſ.1. à domino Deo eſt.Deniq; Paulus diſſerens de donis ſpiritusſancti,qui ſpirat cui vult,di-
1.Corin.12. cit:Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ,alij ſermo ſcientię,&c.Idē exprimit
Iaco.1. Iacobus in ſua epiſtola canonica dicens,Si quis autem veſtrum indiget ſapientia,poſtu-
Ibidem let à Deo,qui dat omnibus affluenter.Rurſus,Omne datum optimum,& omne donum
perfectum,deſurſum eſt,deſcendens à patre luminum.Hæc teſtimonia probant abunde
ſapientiam eſſe donū Dei,ex cuius ore prodit ſcientia & prudennia.Niſi enim dominus
os hominis purget & ſanctificet,perfectā ſibi ſcientiam & prudentiam comparare non
Exod.4. valebit.Cum enim Moſes dixiſſet domino,Obſecro domine, nō ſum eloquens ab heri
& nudiuſtertius:& ex quo locutus es ad ſeruū tuū , impeditioris & tardioris linguæ ſum:
dixit ei dominus,Quis fecit os hominis ? aut quis fabricatus eſt mutum & ſurdum,vidē-
tem & cæcū?Nōne ego?Perge igitur,& ego ero in ore tuo , doceboq́; quid loquaris.Am-
Hiere.1. plius,cum Hieremias dixiſſet domino,Ah,ah,ah,domine Deus,ecce neſcio loqui, quia
puer ego ſum: dixit ei dominus,Noli dicere quia puer ſum,quoniā ad omnia quæ mit-
tam te,ibis:& vniuerſa quæcūq; mandauero tibi,loquêris. & tetigit dominus os eius:di-
xitq́ue ad eum, Ecce dedi verba mea in ore tuo. ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, &
ſuper regna , vt euellas & deſtruas,& diſperdas & diſsipes, & ædifices & plantes. Poſſet &
hic locus,Ex ore eius ſapiennia, intelligi de ſapientia genita, ſcilicet de filio Dei, qui eſt
ſapientia genita.Nam ex ore patris,hoc eſt ex potentia patris, emanauit, quæ apud Ec-
Eccleſ.24 cleſiaſticum dicit,Ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturā. Et ſicut
ex ore carnali producitur verbum ſenſibile , ita ex ore ſpirituali producitur verbū ſpi-
Ioan.1. rituale,de quo dicit Ioannes,In principio erat verbum.Et de eodem loquitur pater cæ-
Pſal.44 leſtis in pſalmis dicens,Eructauit cor meum verbum bonum.

¶ *Cuſtodiet rectorum ſalutem,& proteget gradientes ſimpliciter, ſeruans ſemitas iuſtitiæ, & uias ſancto-
rum cuſtodiens. Tunc intelliges iuſtitiam,& iudicium,& æquitatem,& omnem ſemitam bonam.)* Illos ſa-
pientia protegit,qui columbinam ſimplicitatem cum ipſa rectitudine animi copulant.
Non enim ſatis eſt vt quis auſpicando in hac peregrinatione ſuā ſalutē ſimplicitate ſiue
manſuetudine excellat:quādoquidē ſimplicitas ſine rectitudine, diſſoluta eſt & laxa:re-
ctitudo autē ſine ſimplicitate,dura eſt & auſtera.Idcirco ſapiētia vnā earū ſine altera nō

quærit,

quærit, & eæ pulcherrimæ virtutes adinuicē connexæ, in ipſo Iob viro equidē perfectiſ-
ſimo effloruerūt: de quo dicitur, Vir erat ſimplex & rectus. Simplex, quia pauper ſpiritu
& manſuetus, & qui neminem lædere volebat. Rectus, quia variis caſibus & inſortuniis
iactatus, nunquam de gradu décidit, nec à quopiam permiſit ſe vnquam corrumpi. Hác
quoque ſimplicitatem non ſatis laudatā, amat dominus: vnde dicebat Dauid, Scio Deus 1. Para. 29.
meus quòd ſimplicitatem diligas. Et nos quoq; monet Sapientia vt in ſimplicitate cor- Sapi. 1.
dis quæramus dominum. Chriſtus etiam monuit ſuos diſcipulos vt ad declinandam lu-
porum rabiem ſimplicitate animi munirentur, dicens, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, Mat. 10.
& ſimplices ſicut columbæ. Præcipit & Paulus ſeruis vt per omnia obediāt dominis car- Coloſ. 3.
nalibus, ipſiſq; ſeruiant in ſimplicitate cordis. Simplices in rebus proſperis non inſole-
ſcunt, nec ſumos venditant. Quòd ſi doctrinam nacti fuerint, non eam ſibi vendicant.
Seruat & ſapiētia rectiſsimas iuſtitiæ ſemitas, arctiora ſcilicet vitæ cæleſtis inſtituta, quæ
perfectis duntaxat peruia ſunt: & vias ſanctorum cuſtodit, generalia domini mandata.
De iſtis viis quibus Deo duce ad æternam gloriam cōtendimus, dicit Dauid, Notas mi- Pſal. 15.
hi feciſti vias vitæ. Et alibi, Vias tuas domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Pſalm. 24.
Atq; iterum, Vniuerſæ viæ domini, miſericordia & veritas. Qui igitur ſuo proximo nō
facit miſericordiam, nec veritatem vt oportet loquitur, iis viis ad cæleſtia non aſpirat.
Duæ nobis in euangelio viæ proponuntur ſpectandæ, altera ſpatioſa, & altera arcta. Illa Mat. 7.
ducit ad perditionem, & teritur à multis: hęc verò ad vitam, & pauci inueniunt eā: & qui
hac ſemita incedunt, intelligunt iuſtitiam, & præclara æquitatis officia exercent: qui-
bus aliquando æternum rependetur præmium: quod ſane docuit Chriſtus dicens, Beati Mat. 5.
qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

¶ *Si intrauerit ſapientia cor tuum, & ſcientia animæ tuæ placuerit, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, ut eruaris de uia mala, & ab homine qui peruerſa loquitur. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per uias tenebroſas. Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Quorum uiæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum.*) Si ſapientia ſplendore ſuæ lucis animum tuum illuſtrauerit, teque ab ignorantia purgauerit, tuamque mentem ſcientia incredibiliter oblectauerit, rectū conſiliū (quod non niſi à rectis animorū ſententiis proficiſcitur) te à multis periculis vtiliter proteget, teq; docebit quonam pacto debeas res humanas aut publicè aut priuatim adminiſtrare, eaſque recta ratione moderari, ac ad expetitum finem perducere. Denique prudentia quæ actiones ipſas moderatur, dirigit & componit, te cuſtodiet ne in obliquam malorum ſemitam rapiaris, ad turpiaque ac flagitioſa: & ſuo freno tuos affectus cohibebit, ne limites à ratione ſibi præſcriptos tranſiliant. Hæc porrò vitæ dux & magiſtra tibi conſulet ne quicquam habeas familiaritatis cum iis qui peruerſa & impudica loquuntur: ac rectum iter quo ad vitæ æternæ gloriam nitimur, deſerunt: & ſuis vitiis obnubilati, ambulant per vias denſiſsimis tenebris obductas: de quibus dicit
Chriſtus, Dilexerunt magis tenebras quàm lucem. erant enim eorū mala opera. Omnis Ioan. 3.
enim qui mala agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.
Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo
ſunt facta. Ille ſane tamdiu in tenebris ambulat, quamdiu à Deo auertitur, & fratrem
ſuum odit: quod ſcitè docet Ioannes in ſua prima epiſtola dicens, Qui dicit ſe in 1. Ioan. 2.
luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt vſque adhuc. Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non iſt. Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et quia huiuſmodi homines fœdi & voluptuoſi omnino excæcati ſunt, exhilareſcunt & vehementer gaudent cum turpiſsima admiſerint flagitia: & ex eo rebus peſsimis delectantur, quia apprehendunt mala ſub ratione apparentis boni. Quòd ſi penſiculatim verſarent animo pœnas quas poſt hanc vitam perpeſſuri ſunt, ſibi frenum ſubiicerent, quo à praua viuendi conſuetudine reuocarentur, & voluptates ſibiipſis noxias, erumpentibus ex oculo lachrymis caſtigarent. Verùm cum nullo cōſcientiæ remorſu cōpungantur, nec eos deliquiſſe pœniteat, omnino contemnendi ſunt, & tanquā viperæ fugiendi. Idcirco addidit Salomon, Quorum viæ peruerſæ ſunt, & infames greſſus eorum: eò quòd publicè peccant, & puſillis offendiculum adferunt.

¶ *Vt eruaris à muliere aliena & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos, & reliquit ducem pubertatis ſuæ,*
& pacti Dei ſui oblita eſt. inclinata eſt, enim ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ eius. Omnes qui in-
grediuntur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas uitæ.) Si facilem velis cõſequi huiuſce
loci intelligentiam, recurrito ad id quod paulo ante dictum eſt, Prudentia ſeruabit te. &
ſenſus erit, Prudentia te ſeruabit, vt eruaris à muliere aliena, ſcilicet adultera, & ab extra-
nea, fornicaria. te quoque ſapientia docebit ſcortationem vitare. Qui enim vtiliſsimis
ſapientiæ conſiliis obtemperant, ſuaque ſtudia cæleſti philoſophiæ conſecrarunt, ſolùm
quærunt placere Deo, & ſuos affectus ab impudicis voluptatum illecebris auocant, nec
mulierum lenociniis (quibus molliunt ſermones vt nos ad fœdam libidinem pelliciãt)
facilè capiuntur. Animaduertunt etiam adulterium ex ſe malum eſſe, & tanquam peſtẽ
Exod.20. fugiendum, ac mœchiã omnem diuinis legibus aduerſari, quibus cautum eſt, Non mœ-
chaberis, non concupiſces vxorem proximi tui. Pœna autem quam perpeſſuri erant
Leuit.20. adulteri in antiqua lege, hęc erat, Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulte-
& Deut.22 rium perpetrauerit cum coniuge proximi ſui, morte moriatur, & mœchus, & adultera.
Dicit etiam dominus per os pſalmographi de illo qui odit ſapientiam, eiuſq; ſermones
Pſal.49. proiicit, Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.
Et quòd graue ſit & execrãdum fornicationis & adulterij vitiũ, oſtendit Paulus dicens,
1 Corin 6. Neque fornicarij neque adulteri regnum Dei poſsidebũt. Et alibi, Fornicatores & adul-
Hebr.13. teros iudicabit Deus. Ne igitur à regno Dei exulemus, demus operam vt vitemus falla-
ciſsima mulierum aucupia tanquam Sirenæos cantus, ne earum pedicis irretiamur: ta-
metſi nobis admodum ſit difficile non irretiri. Siquidem multi perierunt & iugulati
3. Eſdræ.4 ſunt & peccauerunt propter mulieres. Audi quęſo quidnam dicat Eccleſiaſtes de mulie-
Eccleſ.7. rum laqueis: Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus eſt venatorum, & ſagena
Eccleſ.9. cor eius. Vincula ſunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator
eſt, capietur ab illa. Et iis cohærent quæ dicit Eccleſiaſticus, Nõ des mulieri poteſtatem
animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. Ne reſpicias mulierem multi-
uolam, ne forte incidas in laqueos illius. Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne
perdas te, & hæreditatem tuam. Noli circunſpicere in viis ciuitatis, nec oberraueris in
plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunſpicias ſpeciem alie-
nam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc cõcupiſcentia quaſi ignis ex-
ardeſcit. Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Speciem
mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. colloquium enim illius quaſi ignis
exardeſcit. Cum aliena muliere non ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubi-
tum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine
tuo labaris in perditionem. Et reliquit ducem pubertatis ſuæ.) Adultera ſuo vitio de-
ſeruit primum virum, ſuæ adoleſcentiæ ducem: & diuini pacti oblita eſt, quia tranſgreſ-
ſa eſt illud præceptum, Non mœchaberis. etiam fidẽ coniugij & caſtitatis fregit. etenim
pollicita erat ſuo viro quòd ipſo viuente nulli alteri faceret copiam ſui corporis, nec ſa-
crum coniugij fœdus pollueret. Diuidere autem carnem ſuam in plures, illi præcepto
Gene.2. aduerſatur, Erunt duo in carne vna. Et quia honorabile coniugium & magnum ſacra-
& Mat.19. mentum cõtaminauit, morte ſpiritali & æternis ſuppliciis digna eſt. & hoc ſubindicat
author dicens, Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemitæ eius cõtẽdunt.
Pſalm.9. Nec huic loco diſſentaneum eſt quod dicit propheta, Conuertantur peccatores in in-
fernum, & omnes gentes quæ obliuiſcũtur Deum. Et qui libidine inſaniunt, cũ ad adul-
teram vel meretricem ingrediuntur, cęco veneris amore capti, non reuertuntur ad do-
minum per veram pœnitentiam, nam iſtis petulantiſsimis vitiis aſſueſcentes, raro aut
nunquam reſipiſcunt. Etenim nihil quod non ſit fœdum, laſciuiunt & impudicum lo-
quuntur, ſolumque animo verſant inexhauſtam laſciuiam: & dum præteritæ volu-
ptatis recordantur, ſuis adacti perturbationibus hinniunt in libidinem, & ſe in ſalaciſsi-
mas ſcortorum omnium ſentinas pręcipitant. An dic quæſo cum mortis claſsico ad iu-
dicem accerſentur vt ſuæ miſeræ vitæ rationem reddant, ſatis erit eis pro abſtergendis
ſuis maculis dicere, Domine miſerere noſtri? Quòd ſi hoc ſufficeret, nullo vel minimo
negocio æternam gloriam nobis compararemus, & abſque vllo certamine ad præmiũ
vocaremur.

vocaremur. Nonne huiuſmodi homines iniqua voluntate deprauati, cum exhalát ani-
mam, penè coacti reſipiſcunt? Cur non eos pœnituit cum opportunum habuerunt re-
ſipiſcendi tempus? Cur ſani non ſe proſtrauerunt ad pedes domini, illius peccatricis ve-
ſtigia ſectantes, quæ opportunè vnxit caput Chriſti, & lachrymis pedes lauit, ſuiſque ca-
pillis deterſit? Sciant illi miſeri & intelligant illud Chriſti verbum, Non omnis qui dicit Mat.26.
mihi, Domine domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntaté patris mei Lucæ.7.
qui in cælis eſt, ipſe eſt qui intrabit in regnum cælorum. Aliter locus Salomonis ſic po- Mat.7.
teſt intelligi, Non reuertentur qui ingrediuntur ad eam, ſi ſpectemus imbecillas huma-
næ naturæ vires, & voluntatem tantis vitiis labefactatã, quæ per ſemetipſam non habet
ad dominum recurſum, vt diligenter annotat Beda, ſed per Dei gratiam, qua adiuuatur
& inſtauratur vt ſemitas vitæ apprehendat. quòd ſi reuertatur, non ſibi, ſed gratiæ Dei
tribuat. Huic nonnihil addam quod non erit inutile. Homo vitiorum luto immerſus,
non poteſt abſque gratia Dei explicari ſiue reſurgere: quod planè mõſtrauit Hieremias
dicens, Conuerte me domine, & ego conuertar. Poſtquam me conuertiſti, egi pœniten-
tiam. Aliam tamen huic loco, Qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur, doctor ille
reddit intelligentiam. Qui ingrediuntur ad eam, ſcilicet ad mortem, & non ad mu-
lierem, non reuertentur ad vitam. Sed non exiſtimo hunc eſſe authoris genium, quia ſi
ſubſequentibus præcedentia cohæreant, dicendũ erit Salomonem loqui de adultera, &
ſubinde de quacunq; meretrice. Idcirco mallem aliam interpretationem ſequi.

¶ *Vt ambules in uia bona, & calles iuſtorum cuſtodias. Qui enim recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea: impii uerò de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea.)* Inſtructi ſa-
pientiæ conſilio non poſſunt non rectam ſuæ ſalutis viam capeſſere, de qua dicit Chri-
ſtus, Ego ſum via, veritas & vita. Nec ſine huius ducis optimi præſidio ad patris cogni-
tionem peruenire poſſumus, nec quicquam Deo gratum efficere. Sine me, inquit, nihil Ioan.14.
poteſtis facere. Calles iuſtorũ, quos ſumma cum diligentia cuſtodire debemus & imitari, Ioan.15.
ſanctiſsima ſunt optimorum patrum inſtituta, & admiranda honeſtæ vitæ exempla,
quæ nos à vitiis reuocant, & ad virtutem alliciunt. Quòd ſi ſimplices fuerimus, & aduer-
ſus mundi procellas recti & inconcuſsi ſteterimus, in beatorum terra habitabimus, de
qua dicit Dauid, Credo videre bona domini in terra viuentium. Illa eſt etiam quam
Chriſtus manſuetis pollicetur, dicens, Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. Pſal.26.
Impij vero, apoſtatæ, & qui iniqua agunt, à rectè viuendi præceptis longè degenerantes, Matth.5.
ſuauiſsimis promiſſæ terræ deliciis priuabuntur. Non enim habitabunt iuxta domi-
num maligni: neq; permanebunt iniuſti ante oculos eius. Et alibi, Benedicentes ei hæ-
reditabunt terram, maledicentes auté ei diſperibunt. Iniuſti punientur, & ſemen impiorũ Pſal.36
peribit: Iuſti auté hæreditabunt terram, & inhabitabunt in ſeculum ſeculi ſuper eam.

ARGVMENTVM TERTII CAPITIS.

Sapientia nos commonefacit ut ſi diu uiuere uelimus, quàm diligentiſsime Dei præcepta obſeruemus, nec miſericordiam & ueritatem deſeramus, ſed eas tabulis noſtræ mentis inſculpamus, ut nobis Dei & hominum beneuolentiam & gratiam conciliemus. Totis uiribus adnitamur ut noſtræ fiduciæ noſtræq; ſalutis anchoram in Deo optimo & maximo defigamus, eius beneficia nobis abunde collata ſemper animo uerſemus, nihilq; cogitemus quod auguſtiſsimam eius maieſtatem offendere poſsit. Quòd ſi præclaras animi dotes nobis impartiatur, noſque theſauris ſuæ ſapientiæ ditauerit, ita ſimus moribus & affectibus compoſiti, ut nihil nobis uendicemus, ſed ſummiſsiores effecti, omnia illi acceptiſsima referamus. Quòd ſi adiutrice eius gratia noſtriſque ſtudiis ſapientiam nacti fuerimus, res humanas deſpiciemus, nullasq; opes arbitrabimur cæleſtis ſophiæ theſauro poſſe conferri: quem qui poſsident, nulli inuident, nulli denique conuitiantur, ſed parta omnium amicitia omnibus prodeſſe cupiunt.

CAPVT TERTIVM.

F*ili mi ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cuſtodiat cor tuum. Longitudinem enim dierum, & annos uitæ, & pacem apponent tibi.*)
Non deſinit ſapientia nos cohortari vt diuinę legis ſimus obſeruã-
tiſsimi,& quòd non ſolùm ſacrarum ſanctionum nõ obliuiſcamur,
verùm vt eas opere adimpleamus, imitemurque virum beatum &
Pſal.1. iuſtum,cuius voluntas authore Pſalmographo ſita eſt in lege domi-
ni,in qua die ac nocte meditatur.Quòd ſi in hac lege magna cũ ſim
Pſal.118. plicitate ambulauerimus,beati erimus,& immaculati in via, nec confundemur cum in
omnibus dei mãdatis perſpexerimus.Quòd ſi diuini illius principis legem ſcrutari vo-
luerimus,eamque toto corde & omnibus animi viribus obſeruare, depoſcendum erit
ab eo auxilium,vt mentem noſtram illuſtret,quò facilius in eius mandatis exerceamur,
ipſiſque mordicus adhæreamus. Nec abſque præmio futurum eſt nobis tantæ rei exer-
citium.Siquidem dominus vitam diuturnam,vitæque tranquillitatẽ nobis pollicetur,ſi
Exo.20. eius iuſsis paruerimus. Honora,inquit, patrem tuum & matrem tuam,vt ſis longęuus
Ephe.6. ſuper terrã.Et alibi,Elige vitã,vt & tu viuas,& ſemen tuũ,& diligas dominũ deũ tuum,at-
que obedias voci eius,& illi adhæreas.Ipſe eſt enim vita tuã,& longitudo dierum tuorũ.
Pſal.20. Item de rege à domino præelecto dicit Dauid, Vitam petiit à te,& tribuiſti ei longitudi-
dem dierum in ſeculum,& in ſeculum ſeculi.Sed annotat aliis in locis,longitudinẽ die-
Pſal.22. rum ſumi pro æterna gloria,& luce ſempiterna: Vt inhabitem,inquit,in domo domini
Pſal.90. in longitudinem dierum. Atque iterum,Longitudine dierum replebo eum,& oſtendam
Eccleſ.23. illi ſalutare meum.Dicit etiam Eccleſiaſticus,Nihil dulcius eſt quàm reſpicere in mãda-
tis domini.Gloria magna eſt ſequi dominum.longitudo enim dierum aſſumetur ab eo.
Quòd ſi quis neglexerit dei iuſsis acquieſcere, nec multos annos viuet,nec pacem ha-
bebit cum deo & hominibus, ſed ſemper rixarũ & contentionum tumultibus agitabi-
Eſa.32. tur.Opus enim iuſtitiæ pax eſt.vbi igitur iniuſtitia,ibi bellum & diſsidia:nec pax eſt im-
Eſa.48. piis,dicit dominus. Nec fieri poteſt vt in humanis præcordiis pax regnet,ſi ſedati non
fuerint noxij affectus.

¶ *Miſericordia & ueritas non te deſerant. Circunda eas gutturi tuo, & deſcribe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam & diſciplinam bonam coram deo & hominibus.*)Septuaginta interpretes loco huius,
Miſericordia & veritas non te deſerant,legunt,Miſericordiæ & fides ne deſint tibi.nam
græce legimus, ἐλεημοσύναι ϗ πίστεις μὴ ἐκλειπέτωσάν σοι. Si conſueueris tui proximi
miſereri,& pauperibus pietatis officia pręſtare,& dum oportuerit,veritatem dicere, caue
ne ab honeſtis miſericordiæ & veritatis ſtudiis diſcedas.Iungit autem Salomon veritatẽ
cum ipſa miſericordia,vt intelligant omnes ſe debere eo ſemper eſſe animo,vt velint pro
exercendis miſericordiæ operibus,& tuenda ipſa veritate,ad mortem vſque certare.Ni-
hil enim nobis proderit noſtri proximi miſereri, & Chriſtum,qui eſt ſumma veritas,
negare:aut eum confiteri,& à famelicis faciem auertere. Vnde dicebat Dauid,Non abſcõ
Pſal.39. di miſericordiam tuam & veritatem tuam à conſilio multo: tu autem Domine ne lon-
ge facias miſerationes tuas à me:miſericordia tua & veritas tua ſemper ſuſceperunt me.
Et quia Dauid non celauerat miſericordiam domini & veritatem,poſtulabat à domino
Auguſtin. ne ab eius miſericordia procul fieret. Auguſtinus ediſſerens illa Pſalmographi verba,
dicit,Non celemus miſericordiam domini & veritatem. Vis audire miſericordiam do-
mini?Recede à peccatis, cõdonabit peccata. Vis audire veritatem domini? Tene iuſti-
tiam,coronetur iuſtitia. Modo enim miſericordia tibi prędicatur,poſtea veritas exhibe
bitur. Non enim ſic eſt deus miſericors,vt iniuſtus ſit:nec ſic iuſtus eſt,vt miſericors nõ
ſit.Paruá ne miſericordia tibi eſt?Non imputabit priora omnia.male vixiſti vſq; in ho-
diernum diem, adhuc viuis.Bene viue hodie,hanc miſericordiam non celabis.Et ali-
Pſal.84. bi oſtendens propheta familiare veritatis & miſericordiæ colloquium,dicit,Miſericor-
dia & veritas obuiauerunt ſibi:iuſtitia & pax oſculatæ ſunt.Ibi erat veritas,vbi erant e-
loquia dei. Miſericordia autem in illis fuit,qui dimiſerant deum ſuum,& conuerterant
ſe ad dæmonia. Animaduerte vnum,miſericordiam tantæ eſſe excellentiæ & perfectio-
Oſee 6. nis,vt eam deus ſacrificiis præferat. Miſericordiam,inquit,volui,& non ſacrificium. Et
Chriſtus oſtendens ſe potiſsimum veniſſe vt infirmis mederetur, dicit, Miſericordiam
volo

volo,& non ſacrificium.non quòd ſacrificia reiiciat,ſed quòd magis velit miſericordiã Matt.9.
q̃ ſacrificiũ. Auguſtinus exponens lib.X.de ciuitate Dei cap.V.illa domini verba, dicit,
Vbi ſcriptũ eſt, Miſericordiam magis volo quàm ſacrificium, nihil aliud quàm ſacrifi-
cio ſacrificium prælatum oportet intelligi:quoniam illud quod ab hominibus appella-
tur ſacrificium,ſignum eſt veri ſacrificij: porro autem miſericordia verum ſacrificium
eſt:vnde dicit Paulus,Benefacere & communicatores eſſe nolite obliuiſci: talibus enim Hebr.13.
ſacrificiis placatur Deus.Quæcunque igitur in miniſterio tabernaculi ſiue templi mul-
tis modis de ſacrificiis leguntur diuinitus eſſe præcepta,ad dilectionem Dei & proximi
ſignificandã referuntur. In his enim duobus præceptis tota lex pẽdet,& prophetæ.Hæc Mat.22.
ille. Quòd ſi velimus Deũ noſtræ imbecillæ naturæ miſereri, debemus erga alios miſe-
ricordia flecti:quod pulchre nobis ſuadet Chriſtus in euangelio Matthæi,dicẽs,Aſsimi- Mat.18.
latum eſt regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis:&
cum cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem milia talenta.
cum autem non haberet vnde redderet,iuſsit eum dominus eius venundari,& vxorem
eius & filios,& omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem ſeruus ille, orabat eum
dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſerui
illius,dimiſit eum,& debitum dimiſit ei.Egreſſus autem ſeruus ille,inuenit vnum de cõ-
ſeruis ſuis,qui debebat ei centum denarios:& tenens ſuffocabat eum,dicẽs, Redde quod
debes.Et procidens conſeruus eius,rogabat eum dicens:Patientiã habe in me,& omnia
reddam tibi.Ille autem noluit,ſed abiit,& miſit eum in carcerem,donec redderet debi-
tum.Videntes autem conſerui eius quæ fiebant,contriſtati ſunt valde,& venerũt & nar-
rauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus ſuus, &
ait illi,Serue nequam,omne debitum dimiſi tibi,quoniam rogaſti me:nõne ergo opor-
tuit & te miſereri conſerui tui,ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius tra-
didit eum tortoribus,quoaduſque redderet vniuerſum debitum. Sic & pater meus cæ-
leſtis faciet vobis,ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.Hactenus
parabola:quæ duntaxat hoc ſibi vult,vt ſimus adinuicem miſericordes, ſi velimus Deũ
nobis eſſe miſericordem. Et ne tanta miſericordiæ beneficia ore ſupprimamus & reti-
ceamus,dicit Salomon,Circunda eas, miſericordiam ſcilicet & veritatem, gutturi tuo.
Et quoniam vox in gutture promitur,vult vt ſemper habeamus in ore virtutem miſe-
ricordiæ & veritatis, eamq́ue miris encomiis prædicemus. Et vt frequentius de iſtarum
virtutum excellentia cogitemus,oportebit vt eas radici noſtræ mentis,ac tabulis ipſius
cordis infigamus.Nec huic loco diſsimile eſt quod dicit dominus per Hieremiã, Dabo Hier.31.
legem meam in viſceribus eorum,& in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, Hebr.8.
& ipſi erunt mihi in populum:& non docebit vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem
ſuum,dicens,Cognoſce dominum.omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſq;
ad maximum,quia propitiabor iniquitati eorum,& peccati eorũ non memorabor am-
plius. Hoc autem teſtimonium proferẽs Paulus,adiecit in epiſtola ad Hebræos, Vbi au- Hebr.10.
tem horum remiſsio,iam non eſt oblatio pro peccato.Quòd ſi diligenter obſeruaueri-
mus quæ nobis præcepit lex miſericordiæ & veritatis inſculpta cordibus noſtris, Dei &
hominum gratiam nobis comparabimus:quod ſanè indicat propheta dicens,Quia mi- Pſal.83.
ſericordiam & veritatem diligit Deus,gratiam & gloriam dabit dominus.Nec addubito
quin Deo maximè gratus ſit qui prompta voluntate miſericordiæ & pietatis officia
erga pauperes exercuit, & poſt hanc vitam percipiet quantum ſibi profuerit membra
Chriſti ſuis bonis refocillaſſe. Et hoc nobis ex euãgelio Matthæi compertum eſt, in quo
dicit Chriſtus: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſti- Mat.25.
tutione mundi. Eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare:ſitiui,& dediſtis mihi bibere:
hoſpes eram,& collegiſtis me:nudus,& operuiſtis me:infirmus,& viſitaſtis me:in carcere
eram,& veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti,Domine,quando te vidimus eſuriẽ-
tem,& pauimus?ſitientem,& dedimus tibi potum?quando autem te vidimus hoſpitem,
& collegimus te?aut nudum,& cooperuimus te?aut quando te vidimus infirmum,aut in
carcere,& venimus ad te?Et reſpondens rex dicet illis,Amen dico vobis,quãdiu feciſtis
vni de his fratribus meis minimis,mihi feciſtis.

❡ *Habe fiduciam in domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus uiis tuis cogita illum, & ipſe diriget greſſus tuos.*) Quia tu non potes tuis ſolis viribus diuina præcepta adimplere, ad deum vberrimum fiduciæ fontem confugito, qui tibi auxiliabitur, vt quod tuo proprio conatu perficere non poteris, eius gratia adiutus perficias. Et licet tua ſceleratiſſima vita æternum ſupplicium demerueris, poteris tamen diuinæ miſericordiæ confidendo, vnà cum tua reſipiſcētia furorem dei ſedare, qui maximè gaudet cum ad eum reuerteris. Suppetunt nobis ſacræ ſcripturæ teſtimonia ad ſuadendum quòd potiſsimum debemus cōfidere in domino, ſi velimus æternæ fœlicitatis participes fieri. In Eſaia ſcri-
Eſa.57. ptum eſt, Qui fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & poſsidebit montem ſanctum meum. Nouimus apud Hieremiam dominum imprecari malum iis qui à ſe recedentes
Hiere.7. ex toto confidunt hominibus, Maledictus, inquit, homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à domino recedit cor eius. Et paulo inferius ſubiungit, Benedictus vir qui confidit in domino, & erit dominus fiducia eius. Quòd ſi fiduciam in deo collocauerimus, facilius noſtræ conditionis miſerebitur. Vnde dicebat Dauid,
Pſal.56. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea. Et alibi clariſsimè monſtrat quòd magis debemus confidere in domino quàm in hominibus. Bonum
Pſal.117. eſt, inquit, confidere in domino, quàm confidere in homine. Bonum eſt ſperare in domino, quàm ſperare in principibus. Si etiam velimus noſtris morbis & perturbationibus mederi, tutò confidamus in Chriſto, qui noſtris compatietur infirmitatibus: quod indi-
Hebr.4. cat Paulus dicens ad Hebræos, Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Et qui hac fiducia reficiuntur, nihil aut parum ſuis viribus tribuunt, neque propriæ prudētiæ & induſtrię innituntur, ſed diuino præſidio, & meritis ac precibus ſanctorum. Qui enim ſuo iudicio innititur, contemptis aliorum conſiliis, cæcutit & hallucinatur. Delirat etiā qui exiſtimat ſuam ſolertiam ac ſcientiam ſufficere ad effugandos dæmones, & ad deuitan-
Eſa.47 da carnis ac mundi pericula, de quo dicitur in Eſaia, Sapientia tua, & ſcientia tua te decepit. Et aduerſus illum qui tantopere ſuis viribus cōfidit, & ſuæ prudentiæ innititur, dicit
1.Corin.10 Paulus: Qui exiſtimat ſe ſtare, videat ne cadat. Et alibi, Quid habes quod non accepe-
1.Corin.4. ſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Nihil igitur nobis arrogemus, ne præcipites in vitia ruamus. Quòd ſiquam virtutis ſcintillulam habuerimus, non nobis, ſed deo tribuamus, ſemper de propenſa eius erga nos beneficentia cogitemus: & ſua benignitate diriget greſſus noſtros. Vnde dicebat Dauid poſtquam fuit eductus
Pſal.39. de lacu miſeriæ, & de luto fecis, Et ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos.

❡ *Ne ſis ſapiens apud temetipſum. Time dominum, & recede à malo. Sanitas quippe erit in umbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum.*) Nihil de tua ſapientia præſumas, nec te cæteris ſapientibus præferas. Quòd ſiquam nactus ſis diſciplinam, non tibi ſed deo adſcribas. Iis ſiquidem qui nimio ſui amore occæcati volunt videri ſapientes, dominus malum imprecatur, dicēs, Væ
Eſa.5. qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes. Et huic prouerbio conſentaneum eſt quod dicit Paulus ad Romanos, Nolite eſſe prudentes apud voſmet-
Roma.12. 1.Corin.8. ipſos. Et alibi dicit aduerſus illum qui faſtu ſuæ ſcientiæ intumeſcit, Si quis ſe exiſtimat ſcire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum ſcire. Tua autem ſapien
Iob.28. tia erit timere dominum, & à malo recedere. quod expreſsit Iob dicens, Ecce timor domini, ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo, intelligentia. Nec quicquam melius eſt, autho
Eccleſ.23. re Eccleſiaſtico, quàm timor dei: & nihil dulcius eſt, quàm reſpicere in mandatis domini. Et fructum quem timendo dominum, & declinando à vitiis, conſequuturi ſumus, nobis proponit Salomon dicens, Sanitas quippe erit in vmbilico tuo, & irrigatio oſsium. Vmbilico qui in interiori corporis parte medius eſt, tener & mollis, infirma bonorum actio & imperfecta deſignatur: oſsibus verò quæ ſolida ſunt, perfecta & conſummata. Si igitur timueris deū, & à peccatis abhorrueris, paulatim de virtute ad virtutem adoleſces, fieſq; tandē vir ſapiētia conſummatiſsimus. Aliter, Opera tua imperfecta à minimis culpis purgabuntur, & perfecta fient, pura, illibata & illæſa. Exprimunt & alij vmbilico motus & affectiones partis animæ ſenſitiuæ quæ virtutibus moralibus refrenantur, oſsibus

verò virtutes partis intellectiuæ,quibus ipſa perficitur. Putat Lyranus ſanitate vmbilici Lyranus.
intelligendam eſſe bonam animæ diſpoſitionem in proſperis : & irrigatione oſsium,
eiuſdem in aduerſis conſtantiam. Secundum tamen ſeptuaginta interpretes facilis eſt
intelligentia,qui ita legunt,τότε ἴασις ἔσαι τῷ σώματί σου, καὶ ἐπιμέλεια τοῖς ὀστέοις σου . id eſt,
Tunc ſanitas erit corpori tuo,& curatio oſsibus tuis.

¶ *Honora dominum de tua ſubſtantia,& de primitiis frugum omnium tuarum da pauperibus,& implebuntur horrea tua ſaturitate,& uino torcularia redundabunt.)* Nos hortatur ſapientia vt Deo hono-
rem de noſtris propriis opibus impendamus,eiq́ue offeramus vltro ſacrificia de noſtris
laboribus,& non ſurto,rapina,aut quouis dolo parta.In veteri teſtamento offerebantur Leuit.1.
Deo in holocauſtum immaculata animalia , vt eius furor placaretur , & oblatio ſimilæ Leuiti.2.
erat abſque fermento:& hoc præfigurabat,vt pura eſſent,& ab omni vitio deterſa , quæ Leuit.2.& Exod.23.
in nouo teſtamento verè Chriſtiani Deo offerrent. Duntaxat etiam primitiæ frugum
Deo conſecrabantur.Et rectè adiectum eſt,de tua ſubſtantia.Nam quæ offerunt vſ[illegible]a-
rij, ſimoniaci , & ſures, non ſunt Deo grata , qui falſò putant ſe poſſe redimere Deum,
eiuſque iracundiam lenire,ſi ei munera per auaritiam & rapinam parta obtulerint. Et
huic loco reſpondet illud Tobiæ, Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam , & noli auertere Tob.4.
faciem tuam ab vllo paupere.Quorum autem dona probet dominus aut reprobet,ape-
rit Eccleſiaſticus dicens,Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata.Et paulò pòſt,Do- Eccleſ.34.
na iniquorum non probat altiſsimus,nec reſpicit in oblationes iniquorum,nec in mul-
titudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificium ex ſubſtan-
tia pauperum,quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui. Debemus etiam primi-
tias frugum noſtrarum,& quæ meliora ſunt & excellẽtiora,largiri pauperibus, qui ſunt
viui lapides, & mẽbra Chriſti.Nam eleemoſyna illis collata, verum eſt ſacrificium Deo
factum.Laudamus Abel quòd de primogenitis gregis ſui,& de adipibus eorum obtule-
rit Deo:non autem Cain, qui de vilioribus & abiectioribus ſuæ terræ ſructibus mune-
ra Deo obtulerit.Idcirco ad Abel reſpexit dominus,& ad munera eius : ad Cain autem Gene.4.
& ad eius munera non reſpexit. Quæ igitur præcellunt & plurimi fiunt , Deo & paupe-
ribus offeramus,ne donaria noſtra contemptui habeãtur. Hinc dicit dominus per Ma-
lachiam prophetam:Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt?Et ſi offe- Mala.1.
ratis claudum & languidum,nonne malum eſt? Offer illud duci tuo , ſi placuerit ei , aut
ſi ſuſceperit faciem tuam . Et paulo inferius , Non eſt mihi voluntas in vobis , & mu-
nus non ſuſcipiam de manu veſtra.Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum , magnum eſt
nomen meum in gentibus,& in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio
munda,quia magnum eſt nomen meum in gentibus:& vos polluiſtis illud , in eo quod
dicitis,Menſa domini contaminata eſt:& quod ſuperponitur,contemptibile eſt cũ igne
qui illud deuorat. Et dixiſtis, Ecce de labore : & exufflaſtis illud , & intuliſtis de rapinis
claudum & languidum,& intuliſtis munus. Nunquid ſuſcipiam illud de manu veſtra?
Maledictus doloſus qui habet in grege ſuo maſculum,& votum faciens immolat debile
domino. Animaduertant ad hæc mundani,qui ſuos liberos claudos,cæcos, mutilos,de-
biles,& corpore imbecilliores , in monaſteriis Deo offerunt. Qui autem ſyncera fide &
prompto animo ſuam facultatulam Deo & pauperibus offerunt, ampliſsimum in re-
gno Dei præmium reportabunt .& hoc verbis iſtis expreſsit Salomon : Et implebuntur
horrea ſaturitate, &c.Et illi me hercle theſaurizant in cælis, in quibus veras & mundas Mat. 6.
diuitias inuenient .Non enim eſurient neq; ſitient, ſed abunde ſatiabuntur : & cum illis
fulgidiſsima Dei gloria manifeſtabitur,edent & bibent ſuper menſam Chriſti. Lucæ.22.

¶ *Diſciplinam domini fili mi ne abiicias,nec deficias cum ab eo corriperis.Quem enim diligit dominus,corripit,& quaſi pater in filio complacet ſibi.)* Lubenter te ſubmittas paternæ ferulæ,nec ægre ſe-
ras cum ab eo moderate caſtigaris.Nam virga fideliſsimi patris à tuis vitiis purgaberis,
de virtute ad virtutem proficies,& à futuris pœnis eripieris.Nec in te animaduerteret,
niſi te ſingulari amore proſequeretur : & cum tuam videt reſipiſcentiam , ſummopere
gaudet,& ſibi in teipſo tuaq́ue emendatione complacet. Huic cohærent loco quæ ſcri-
bit Iob,Beatus homo qui corripitur à doniino.Increpationem ergo domini ne repro-
bes,quia ipſe vulnerat,et medetur:percutit, et manus eius ſanabunt. Et in Apocalypſi Iob.

Apoca.3 ſcriptū eſt, Ego quos amo, arguo & caſtigo. Dicit & Paulus ad Hebræos, ſequens hoc in
Hebr.12. loco ſeptuaginta interpretū editionem, Fili mi noli negligere diſciplinam domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. In diſciplina perſeuerate. Tāquā filiis vobis offert ſe deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Deinde oſtendit detrimentum quod perpeſſuri ſunt qui diſciplinam reiiciunt. Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filij eſtis. Deinde patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos. Num multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & viuemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos, hic autem ad id quod vtile eſt in recipiēdo ſanctificationem eius. Et ſubnectit tandē quod plurimū conducit iis qui diſciplinam amplexantur: Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autē fructum pacatiſsimum exercitatis per eam, reddet iuſtitiæ.

¶ *Beatus homo qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia. Melior eſt acquiſitio eius negociatione auri & argenti. Primi & puriſsimi fructus eius. Precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic nō ualent comparari. Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Viæ eius uiæ pulchre, & omnes ſemitæ illius pacificæ.*) Illum cenſemus eſſe feliciſsimum, qui precioſiſsimam
Mat.13. cœleſtis ſapientiæ margaritam inuenit Siquidem hac inuenta, contemptis fortunæ bonis, vendit omnia quæ habet, vt hanc ſibi comparet: nō quidē nummis, ſed duriſsimo labore, ærumnis, vigiliis, ieiuniis, & aſsiduo ſacrarum literarum exercitio. In illa bonorum omnium theſauri etiam locupletiſsimi reperiuntur. Spiritus intelligentię ſanctus,
Sapi.7. multiplex, vnicus, ſubtilis, modeſtus, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnem habēs virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles, mundus, ſubtilis, & qui per nationes in animas ſanctas ſe transfert. Nec quenquam diligit deus, niſi eum qui cum ſapientia inhabitat. Porro hæc eſt ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum. luci comparata inuenitur prior. Illa denique cunctis opibus longe precioſior eſt. Etenim diuitiæ quas multis moleſtiis ſibi comparant homines, obnoxiæ ſunt multis periculis, & breui momento pereunt: ſapientiæ verò theſaurus omnium mundiſsimus & puriſsimus eſt, extra omnem fortunæ aleam poſitus, nec vnquam perit. Inſuper temporaneæ diuitiæ per certæ quantitatis ablationem paulatim decreſcunt & abſumuntur, nunquam tamen poſſeſsio ipſius ſophiæ decreſcit, ſed quo plus ab eius fonte lympidiſsimo extractum fuerit & exhauſtum, eo magis exundat & accreſcit. Huic loco concinnē nectuntur quæ ſcribit Iob de excellentia ſapientiæ, dicēs,
Iob.28. Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentię? Neſcit homo precium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me: & mare loquitur, nō eſt mecum. Non dabitur aurum obryzum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho precioſiſsimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vaſa auri excelſa & eminentia, nec commemorabuntur in comparatione eius. Trahitur autem ſapientia de occultis. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundiſsimæ componētur. Et in libro Sapientiæ eadem penè commemorantur, in quo
Sapi.7. ſcriptum eſt, Præpoſui illam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe dixi in comparatione illius. Nec comparaui illi lapidem precioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lętatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam bonorum omnium mater eſt. In dextera ſapientiæ, qua præſtantiora eius dona ſignificantur, eſt longitudo dierum, ſcilicet æternitatis. Dies luciditsimus, & viſio diuinæ eſſentiæ, quam futuro ſeculo, ſi bene vixerimus, fruemur. Et in ſiniſtra, quæ nobis ſecundaria eius munera deſignat, diuitię & gloria, & claritas famę, & bonorum externorum poſſeſsio Nos. ſiquidem ſapientia nutrit & fo
uet

uet in hac vita,& in futura perpetua luce beatos illuſtrat:cuius ſemitis nihil eſt pulchrius,nihil denique optabilius,quibus victa dæmonis & mundi lucta, ad tutiſsimum pacis & tranquillitatis portum perducimur.

¶ *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus. Dominus ſapientia fundauit terram,& ſtabiliuit cœlos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyſsi,& nubes rore concreſcunt.)* Quemadmodum ligno vitę quod in medio paradiſi ſitum erat, conſeruabatur vita & continuabatur,vt homo manens in ſtatu innocentiæ, de vita naturæ migraſſet ad vitã gloriæ,ſine morte media:ita ſapientia cœleſtis de vita gratiæ hominem perducit ad vitam gloriæ ſine morte mortalis culpæ intermedia,ſi modò in honeſtis virtutum officiis perſeueret:& duce ſophia ab iſtis calamitatibus ereptus,ad æternam beatitudinem ſubuehitur. Auguſtinus differens de hoc ligno vitæ,& proferens hunc Salomonis locum contra aduerſarium legis & prophetarum,libro primo,capite X V. ita ſcribit,Hoc non intelligens aduerſarius ille,ait,Quatenus ergo ante maledictum immortalis homo perpetuo viuere poterat,qui nondum ex iſta arbore cibum ſumpſerat?Quaſi aliquis ei dixerit,aut in illo libro alicubi legerit,quòd nondum Adam ſumpſerat ex cibo arboris vitæ. Quin potius intelligendus eſt,quoniam inde illi vita in corpore perpetua ſuppetebat,ne vetuſtate conſumeretur ætatis,ad hoc inde prohibitus,vt ex peccati pœna iam illi eſſet neceſsitas mortis. Quomodo,inquit,ex dei maledicto mori cœperat,cum vita ipſa nũquã ex ipſo initium ſumpſerit:Quaſi optauerit ei deus mortem,ſicut homo homini, ac non dei verba ad ſententiam pertineant punientis,non ad iram maledicentis. Punire autem morte corporali,fuit à vitæ arbore ſeparare,cum iam fuiſſet ſpiritaliter mortuus animo, vtique ſeparatus ab alimento ſapientiæ. Deus itaque quid ei contigiſſet in animo,ſignificare voluit ſeparando eum à ligno vitæ,quo ſignificabatur ſapientia. Sed iſta,inquit,arbor quæ in paradiſo vitæ fructus ferebat,cui proderat?Cui,inſi prius illis primis hominibus,maſculo & fœminæ,qui in paradiſo fuerãt conſtituti?Deinde iſtis de paradiſo pro merito ſuæ iniquitatis eiectis, manſit ad memoriam ſignificandæ ſpiritalis arboris vitæ:quod eſt,vt diximus,ipſa ſapientia,beatarum cibus immutabilis animarum. Vtrũ autem illo cibo veſcatur nunc aliquis,niſi forte Enoch & Helias,non temere affeuerãdum puto:ligno tamen illo vitæ,quod eſt in ſpiritali paradiſo,niſi alerentur animæ beatorũ, non pro munere pietatis & fideliſsimæ confeſsionis, latronis animæ credentis in Chriſtum,legeremus paradiſum eodem die fuiſſe cõceſſum. Amen,inquit,dico tibi,hodie me cũ eris in paradiſo. Eſſe autem ibi cum Chriſto,hoc eſt eſſe cum vitæ ligno. Ipſe eſt quippe ſapientia. Hæc ille. Differens deinde Salomon de admirando dei opificio dicit, Dominus ſapientia fundauit terram,tanquam exemplari,idea,& arte ſui operis. Vnde dicit Pſalmographus,Quàm magnificata ſunt opera tua domine? omnia in ſapientia feciſti: impleta eſt terra poſſeſsione tua. Et in eodem pſalmo de hoc fulcimento dicitur, Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam,id eſt,terram in medio mundi firmiter poſuiſti. Hinc dicitur,Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur. Et de hoc terrę fundamento dicit dominus ipſi Iob,Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ?Indica mihi,ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius,ſi noſti,vel quis tetendit ſuper eam lineam,ſuper quo baſes illius ſolidatę ſunt?Aliter hic Salomonis locus ſic poteſt intelligi,Deus per filium ſuum vnigenitum,qui eſt ſapientia,fundauit terram,& cõdidit vniuerſa. Nam vt ſcribit Ioannes,Omnia per ipſum facta ſunt. Sed prima interpretatio magis ad literã accedit. Denique prouidétiſsima dei ſapientia eruperunt abyſsi. Nam fontes & flumina de abyſſo per terræ venas manarunt,& omnes eę aquę in ventriculis terrę contentę,ſuam ab Oceano traxerunt originem,ex quo fons paradiſi dimanauit,qui in quatuor magna flumina erumpit & funditur, vt Geneſeos narrat hiſtoria. Huic ſententiæ illud Deuteronomij cohęret, Dominus deus tuus introducet te in terram bonam,terram riuorum,aquarumque & fontium,in cuius campis & montibus erũpunt fluuiorum abyſsi. Dicit et dominus ipſi Iob de eadem re loquens, Quis concluſit oſtiis mare,quando erumpebat quaſi de vulua procedens?Rupti ſunt etiam in diebus Noe oẽs fontes abyſsi magnę,quando diluuiũ inundauit ſuper terrã. Amplius,Deus ſua benignitate ſuppeditat terrę nutrimẽtum quãdo facit vt nubes rore cõcreſcãt. Hæc facilè

Gene. 2.
Auguſtin.
Lucæ 23.
2.Corin. 2.
Pſal.103.
Iob.38.
Ioan.1.
Gene.2.
Deuter.8.
Iob.38.
Gene.7.

1.Meteo.9 ex libris Meteororum Ariſtotelis intelligentur. Halitus qui ex aqua ortum habet, va-
1.Meteo.10 por vocatur: qui verò ex aere in aquam mutari ſolet, nubes. Fit autem ros, cum vapor
fuerit in aquam concretus: qui cum ſurrigeretur, nequiuit ob caloris ipſum eleuantis
paruitatem, in ſublime attolli, ſed rurſum deſcendit, concepto per noctem frigore.

❡ *Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Cuſtodi legē atque conſiliū meū, & erit uita animæ tuæ, & gratia fau-
cibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in uia tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris, nō timebis: quieſces,
& ſuauis erit ſomnus tuus. Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorū. Dominus enim
erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum ne capiaris.*) Sapientia ſuos filios, id eſt illos qui fidei
ſacramenta & authoramentum ſuſceperunt, monet, vt ampliſsima Dei beneficia diu cō-
ſiderent, & longa ingenij trutina expendant quantum Deo debeant, & quonam officio-
rum genere poterunt ei ſatiſfacere, quòd munus creationis ab eo acceperint, quòd vni-
uerſa propter hominem condiderit. Et quo magis ſuis oculis perſpicient terram ex mi-
nimo grano ampliſsimos fructus referre, & omnia Dei benignitate refloreſcere, eo ma-
gis ſapientiſsimum rerum omnium conditorem reuerebuntur, ſuſpicient, & amabunt.
Quòd ſi velint diuinæ philoſophiæ ſtudioſiſsimi fieri, Dei legem obſeruēt, qui dixit vni
Matt.19. adoleſcenti ſciſcitanti quidnam boni faceret vt vitam æternam poſsideret: Si vis ad vi-
Exod.20. tam ingredi, ſerua mandata, quæ ſunt, Non homicidium facies, Non adulterabis, Non
facies furtum, Non falſum teſtimonium dices, Honora patrem tuum & matrem, Dili-
ges proximum tuum ſicut teipſun. Obſeruabis & ſanctiſsimum tui domini Ieſu Chriſti
conſilium, qui eidem adoleſcenti iis terrenis bonis excæcato dixit, Si vis perfectus eſſe,
vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſe-
quere me. Ille tamen cum hæc audiret, quæ euangelicam perfectionem deſiderabant,
mœſtitudine præfocatus abiit, & ad deplorandas mundi miſerias rediit. Parientibus ta-
mē, & iis qui integra & prompta voluntate ſanctiſsima diuinæ legis ſancita obſeruant,
& Chriſti conſiliis acquieſcunt, tutiſsima bonorum omnium fruitio promittitur, quòd
eorum anima tranquillam aget vitam, & in eorum faucibus Dei laudes perſonantibus,
Pſal.118. erit gratia & lætitia, quam non ſubticuit pſalmographus, cum dixit, Quàm dulcia fau-
cibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et tanti principis gratia confiſi, tuti in anxiis
huiuſce mundi ſemitis ambulabunt, & quò volent, ſecuri ferentur, nec in ruinæ ſcan-
dalum pes eorum decidet, aut in malorum foueam impinget. Et qui in præceptis ſum-
mi regis perfecti fuerint, nullius minas, nullius denique verbera aut pericula reformi-
dantes, altum ſomnum dormitabunt. Et licet ingruente perſecutionum procella, aut
imminentibus aduerſitatum tempeſtatibus concutiantur, non tamen ſuccumbent, nec
Mat.10. obiectis iugulo principum gladiis terrebuntur, ſed Deum timebunt, qui poteſt & cor-
pus & animam perdere, & in gehennam ignis detrudere. Hæc nos ad feruentiſsimum il-
lius amorem accendunt & inflammant, qui ſemper paratus eſt nobis opitulari, & præ-
pedire ne diaboli & mundi laqueis inuoluamur, nec in tenebris ambulemus. Hinc di-
Pſal.22. cebat Dauid, Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quo-
Pſal.26. niam tu mecum es. Et alibi, Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Do-
minus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Vis non timere vltrices hominum ma-
nus? ama Deum omnibus tui animi viribus. Vis omnia tibi proſperè ſuccedere? Dilige
Roma.8. dominum Deum tuum ex toto corde tuo: quod nobis inſinuauit Paulus, dicens, Dili-
gentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

❡ *Noli prohibere benefacere eum qui poteſt: ſi uales & ipſe benefac. Nec dicas amico tuo, uade & reuer-
tere, & cras dabo tibi, cum ſtatim poſsis dare.*) Prius ſapientia in vniuerſum nos docuit Dei le-
ges obſeruare: quid autē particulatim faciēdum ſit, & quid vitādū, paucis indicat. Primū
nobis ſuadet vt noſtra pauperib⁹ impartiamur, eo potiſsimū tēpore, quo nobis ſuppetūt
opes, & agnoſcimus nos poſſe egenorū inopiā ſubleuare. Nō enim faciēdæ eleemoſynę
præceptū nos ad impoſsibile obligat, nec quod vires noſtras exuperat. Nec quiſquā eò
paupertatis recidit, vt nō poſsit ſuū panē eſuriēti frangere, aut ſitienti potū aquæ frigidæ
Mat.10. porrigere. Quod enim dixit Chriſtus, Quicunq; potū dederit vni ex minimis iſtis calicē
aquæ frigidæ, tantū in nomine diſcipuli, amē dico vobis nō perdet mercedē ſuā: indicat
apertè neminē ea laborare inopia, vt nō poſsit potu aquę frigidę ſitiētis ſitī reſtinguere.

Secundum,

Secundum,à quo maximè cauere debemus,vt non ſimus eo maleuolo animo,& perdi-
ta voluntate, vt prohibeamus eum benefacere, qui poteſt.ſi enim noluerimus auari-
tiæ ſtudio capti, indigenti patrocinari: cur inbibebimus diuites ſua bona pauperibus
impartiri?Et qui obſiſtunt ne fiant eleemoſynæ,digni ſunt dei maledictione. Illi ſimiles
ſunt Pbariſæis,qui non ingrediebantur ſcholas euangelicæ ſapientiæ,nec ſtudioſos per-
mittebant ingredi. Vnde dicit Chriſtus in euangelio,Væ vobis legisperitis, qui tuliſtis Lucę 11.
clauem ſcientiæ.ipſi non introiſtis:& eos qui introibant,prohibuiſtis.Nec differendum
eſt in craſtinum cũ nobis facultates ſuppetunt,nec obſiſtunt tempus & locus, vt paupe-
ribus ſuccurram⁹. Qui enim citò dat,bis dat,& prõpta illa largitio adauget meritũ.Hinc
dicebat Eccleſiaſticus,[In omni dato hilarem fac vultum tuum. Et Paulus rem eandem Eccleſ.35.
aperit,dicens,Hilarem datorem diligit deus.Si igitur nullum nobis ſit impedimentum, 2.Corin.9.
nec ſit iuſta ratio differendi,non protrahamus eleemoſynam in craſtinum. Idem penè
mihi videntur facere qui dicunt pauperi quem norunt extremè indigere, Abi, & cras
ad me reuertere:atque ij qui indigentibus miſericordiæ viſcera claudunt, quos deus a-
uerſatur,& procul à ſe reiicit.Vnde dicit Ioannes:Qui habuerit ſubſtantiam huius mũ- 1.Ioan.3.
di,& viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere,& clauſerit viſcera ſua ab eo,quomodo
charitas dei manet in eo?Et aduerſus huiuſmodi nebulones,& viliſsima auaritiæ man-
cipia,ſubiungit,Non diligamus verbo,neque lingua,ſed opere & veritate. Quòd ſi cum
potes,miſericordię & pietatis officia nõ exercueris,tibi ſanè erit diuinum iudicium ſine
miſericordia. Cito igitur cum tibi adeſt facultas,fac eleemoſynã quę te ab omni peccato Iaco.2.
& morte liberabit,nec patietur animã tuã ire in tenebras. Tobiæ. 4.

¶ *Ne moliaris amico tuo malum,cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas aduerſus hominem fruſtra, cum ipſe tibi nihil mali fecerit.*) Illum exiſtimo prorſum ab ipſa humanitate alienum eſſe, &
immaniſsimis feris truculẽtiorẽ,qui amico ſtruit inſidias,eiq; molitur damnum & rui-
nam, & præſertim cum ille cui malũ intẽtat,neminẽ habeat cui magis fideret,& in quo
ſuæ fiduciæ ancboram tutius figeret:& qui huiuſmodi verſutiis & technis ſuum amicum
circunuenit, non tam mihi videtur ſanctiſsima amicitiæ iura frangere,quàm verum &
integrum amicum prodere:quod ſanè flagitioſiſsimum eſt & impiiſsimum,& quod de-
nique legi naturali,diuinæ & bumanæ aduerſatur.Verùm illud fatendum eſt,nullã pe-
ſtẽ grauiorẽ eſſe ad nocendũ,quàm familiarẽ inimicũ.Sunt etenim odia tecta,peiora q̃
aperta:& quo magis ſub pectore latent,eo nocẽtiora ſunt.Monet ſubinde Salomõ vt nõ
fruſtra & abſque æquiſsima cauſa aduerſus quempiam cõtendamuſ,& potiſsimũ cũ nihil
mali aduerſus nos admiſerit,nec vllam nobis fecerit iniuriam. Si enim debeamus noſ-
ipſos mutuò diligere,& bene precari proximo,non debemus temere, leuiter & pro mi-
nimo negocio fratrem noſtrum in ius vocare.Et difficile eſt admodum,concertantes in
iudicio pro rebus temporaneis, mutuam ſeruare amicitiam,in quorũ animis latent ple-
runque & regnant inimicitiæ,diſſenſiones,& noxij affectus.Idcirco dixit Chriſtus, Ei Matt.5.
qui vult tecum in iudicio contendere,& tunicam tuam tollere,dimitte ei & pallium.Scri
bens Paulus de eadem re Chriſtianis litigantibus terrorem incutit.Audet,inquit, aliquis 1.Cor.6.
veſtrum habens negocium aduerſus alterũ,iudicari apud iniquos,& non apud ſanctos?
Et paulopoſt,Secularia igitur iudicia ſi habueritis,contemptibiles qui ſunt in eccleſia,il-
los conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiã veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſa-
piens quiſquam,qui poſsit iudicare inter fratrem ſuum,ſed frater cũ fratre iudicio con-
tendit, & hoc apud infideles?Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, ꝙ iudicia ha-
betis inter vos.Quare nõ magis iniuriã accipitis?quare non magis fraudẽ patimini?Sed
vos iniuriam facitis,& fraudatis,& hoc fratribus.Hunc Pauli locum edisſerens Auguſti- Auguſtin.
nus libro vno Enchiridij ad Laurentium capite.78. exiſtimat Chriſtianos inter ſe iudi-
cio contendentes, non excuſari à peccato.Nam Paulus ſolum fatetur veniam dari liti-
gantibus fidelibus, nec huiuſmodi litigia approbat,& præſertim Corinthiorum, qui
ſub infidelibus iudicibus litigabant,& ita ad hæc commentatur: Nam & hic poſſet pu-
tari iudicium habere aduerſus alterum, non eſſe peccatum, ſed tantummodo
id extra eccleſiam velle iudicari, niſi ſecutus adiungeret, Iam quidem omnino deli-
ctum eſt inter vos, quia iudicia habetis vobiſcum.Et ne quiſquam hoc ita excuſaret,

vt diceret iuſtum ſe habere negocium,ſed iniquitatem ſe pati , quam velit à ſe iudicum ſententia remoueri:continuò talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit,atque ait,Quare non magis iniquitatem patimini?Quare non potius fraudamini? vt ad illud
Lucæ.6. redeatur quod dominus ait,Si quis voluerit tunicam tuam tollere,& iudicio tecum cõtendere,dimitte illi & pallium.Et alio loco,Qui abſtulerit,inquit,tua,noli repetere.Prohibuit itaq; ſuos de ſecularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium.Ex qua doctrina dicit apoſtolus eſſe delictũ. Tamen cum ſinit in eccleſia talia iudicia finiri inter fratres fratribus iudicantibus,extra eccleſiã verò terribiliter vetat:manifeſtũ eſt etiã hic quid ſecundũ veniã concedatur infirmis.Hæc ille.Sed nõ poſſum mihi ſuadere Auguſtinum voluiſſe innuere quòd nullo modo licet Chriſtianis iudicio cõtendere,& ſemp eſſe peccatũ,cum non neget in plerisq; ſuæ doctrinæ locis licitum eſſe in lege euangelica belligerari,cum princeps aliquis alterius principis poſſeſsiones vi detinet, & eius patriæ maximam cladẽ intulit.Quòd ſi liceat iuſto bello res noſtras repetere,& id authoritate reipublicæ permittente, & vt tyrannus & inuaſor bonorũ alicuius communitatis corrigatur,non addubito quin licebit Chriſtiano res ſuas vi aut furto ablatas, aut iniuſtè detentas,ſententia optimi iudicis ad ſe reuocare.Sed forſitan voluit innuere Auguſtinus vnà cum Paulo,quòd non licet Chriſtianis adinuicem iudicio contendere affe-
2.Timo.2. ctu nocendi,& cupiditate auaritiæ.Seruum enim domini non oportet litigare,ſed eſſe manſuetum ad omnes.Licet tamen affectu corrigendi fratrem,qui nollet aliàs reſarcire damnum illatum,aut ſatiſfacere creditori . In iſtis litigiis ſeruanda eſt æquitatis & moderationis ratio.Adde etiam quòd ſi ſimpliciter peccatum eſſet iudicium habere contra aliquem,ex conſequio dicendum eſſet ꝙ etiam peccatum eſſet iudices conſtituere:
Deuter.1. quod ſententiæ domini aduerſatur, dicentis, Audite illos, & quod iuſtum eſt iudicate. Etiam ex doctrina Auguſtini infirmis permittitur in iudicio ſua repetere , non autem perfectis,quibus licet ſua repetere,ſed non in iudicio,vt vult Gloſſa ordinaria exponens præfata Auguſtini verba. Verùm vt hic ſcrupus plenè diſcutiatur, adnotat eruditè S.
Thomas. Thomas ediſſerens in Paulum difficultatem adductam, aliquid eſſe perfectis illicitum,
Mat.19. & aliquid omnibus.Perfecti quidem proprium non habent, iuxta illud Matthæi, Si vis perfectus eſſe,vade,& vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. & ideo non licet eis in iudicio repetere quaſi propria, cum eis non liceat habere propriũ: licet tamen eis in iudicio repetere quæ ſunt communia : non enim hoc faciendo peccãt, ſed magis merentur.Eſt enim inſigne charitatis opus, defendere vel recuperare res pau-
Pſal.81. perum.vnde dicebat propheta,Eripite pauperem , & egenum de manu peccatoris liberate.Sed iudicium aduerſus aliquem eſt illicitum omnibus quantum ad multa.Primum quantum ad cauſam ex qua aliquis iudicium habet,puta ex cupiditate & auaritia. Vnde
Lucæ.12. apud Lucam ſcriptũ eſt,cum quidã de turba dixiſſet Chriſto,Magiſter,dic fratri meo vt diuidat mecũ hæreditatem:ille dixit ei, Homo,quis me cõſtituit iudicẽ aut diuiſorẽ ſupra vos?Dixitq; ad illos, Videte & cauete ab omni auaritia. Secundũ,quantum ad modũ iudicij,quia ſcilicet cõtendentes proſequũtur cũ cõtentione & detrimẽto pacis iudiciũ.
Iaco.3. Vnde illud Iacobi, Vbi zelus & contentio,ibi inconſtantia , & omne opus prauũ. & hoc indicauit Paulus dicens, Frater cum fratre in iudicio contendit. Tertiũ, ex peruerſitate
Eſa.10. iudicij,cum aliquis iniuſtè & fraudulenter in iudicio procedit, ſecundũ illud Eſaiæ, Vt opprimerent pauperem,& vim facerent cauſæ humilium populi mei. Et hoc Paulus expreſsit:Sed vos iniuriam facitis. Quartum,propter ſcãdalũ:vnde dicit dominus in euã-
Math.5. gelio Matthæi,Qui vult tecum in iudicio contendere,& tunicã tuam tollere,dimitte ei & pallium.Ex charitate vero ſua in iudicio repetere licitum eſt: vnde Gregorius dicit in moralibus:Cum curam rerum nobis neceſsitas imponit , quidam dum ea rapiunt,ſolũmodo ſunt tolerandi.quidam vero ſeruata charitate ſunt prohibendi, ſcilicet ne rapiẽ-
Beda. tes non ſua,ſemetipſos perdant.Inſuper venerabilis Beda explicans hunc Salomonis locum,Ne contendas aduerſus hominem fruſtra,dicit,Non vetat contendere aduerſus eũ qui mala facit,vt corrigatur,quia hoc nimirum fruſtra non fit,quod certa neceſsitas co-
Mat.18. git vt fiat:imò etiam qui ait, Si peccauerit in te frater tuus,increpa illum:vult vt errantem quantum vales ad viam veritatis reuocare contendas.

¶Ne

Ne æmuleris hominem iniuſtum,nec imiteris uias eius,quia abominatio domini eſt omnis illuſor,& cum ſimplicibus ſermocinatio eius.Egeſtas à domino in domo impii,habitacula autem iuſtorum benedicentur.Ipſe deludet illuſores,& manſuetis dabit gratiam.Gloriam ſapientes poſsidebunt , ſtultorum exultatio ignominia)

Nobis inhibet ſapiẽtia ne imitemur iniuſtos,qui opprimunt in iudicio pauperes , qui
non iudicant pupillo,nec cauſa viduæ ad illos ingreditur: qui denique pecuniis & mu-
neribus illecti ſubuertunt iuſtitiam. Et huic ſententiæ conſentaneum eſt illud Pſalmo-
graphi,Noli æmulari in malignantibus,neque zelaueris facientes iniquitatem,quoniam Pſal.36.
tanquam fœnum velociter areſcent,& quemadmodum olera herbarum cito decident.
Et paulopoſt,Noli æmulari in eo qui ꝓſperatur in via ſua,in homine faciẽte iniuſtitias.
Et non vulgarem aſsignat rationẽ cur peruerſas iniuſtorũ vias ſectari non debemꝰ,quo-
niam abominatio domini eſt omnis iniuſtus,quẽ illuſorẽ vocat.Nam qui iura æquita-
tis violant,& à recto iuſtitiæ tramite deflectunt,ſimulantes ſe patrocinari cauſæ paupe-
rum, innocentibus & ſimplicibus illudunt.Et quia dei præcepta irrident & ſpernũt,deo
ſunt abominabiles,qui odit omnes qui operãtur iniquitatẽ.Conſidera illũ dici illuſorẽ,
qui proximorum ſimplicitati & paupertati inſultat, qui etiam verba dei quę nouit, im-
plere contemnit,vel eadẽ deprauatè intelligendo ac docẽdo corrũpit.Illuſores,vt Eſaias Eſa.28.
ſcitè docet,ponunt ſpẽ ſuã mẽdaciũ,& mendacio protegũtur.Cũ quibus autẽ nobis de-
beat eſſe familiare colloquium,declarat Salomon dicens,cum ſimplicibus, id eſt innocẽ-
tibus & probis ſermocinatio,quos deus amat,& quibus ſecretiſsima ſuæ ſapientiæ myſte
ria reuelat.Vnde dicit Chriſtus in Euangelio Matthæi,Confiteor tibi pater domine cœ Mat.11.
li & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis.Nec
in illorum domiciliis erit vnquam egeſtas,ſed in domo impij.Sæpe enim contingit, vt
qui aliena diripiunt,ad vltimum extrema inopia conſumantur : qui verò ſua largiun-
tur,diteſcunt , & cumulatiſsimas ſibi diuitias comparant:quod nobis expreſsit Chriſtus
dicens in euangelio,Qui enim habet,dabitur ei;& abundabit:qui autem non habet , & Mat.13.
quod habet,auferetur ab eo.Subiungit contextus,Habitacula iuſtorum benedicentur.
In æterna illa beatorum gloria benedicentur iuſti,qui dum hanc agerent vitam,prom-
pto pietatis officio pauperibus ſuccurrerunt:quibus in die illa rex cœleſtis dicet, Venite Mat.25.
benedicti patris mei,poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui
enim,& dediſtis mihi manducare:ſitiui,& dediſtis mihi bibere:hoſpes eram,& collegiſtis
me:nudus,& operuiſtis me:infirmus,& viſitaſtis me:in carcere eram, & veniſtis ad me.
Tunc impoſtores,improbi & illuſores à domino deludentur,& ſuæ ſcurrilitatis & deri-
ſionis præmium reportabunt,manſueti verò hæreditabunt terram,qui incredibilem in
hoc ſeculo gratiam apud deum ſibi conciliarunt.Deus ſiquidem ſuperbis reſiſtit,humi- Pſal 36. Iaco.4.
libus autẽ dat gratiã.Dicit diuus Dionyſius in epiſtola ad Demophilum Monachum de 1.Pet.5.
benignitate,ſanctum illum virum Moſen, vt Hebræorum tradit hiſtoria , eximiæ mã- Dionyſius.
ſuetudinis merito,diuina amicitia & familiaritate dignatũ:ac ſiquãdo ipſum diuino aſpe Nume.12.
ctu excidiſſe cõmemorant,non id ei priuſquã à manſuetudine defecerit,contigiſſe de-
ſcribũt.Deinde patefacit Salomon quàm vtilis & iucunda ſit ſapientiæ poſſeſsio,& quã
deteſtanda ſit ſtultorum lætitia,dicens, Gloriam ſapientes poſsidebunt . Qui enim (vt
ſcribit Iob)humiliatꝰ fuerit,erit in gloria : & authore Eccleſiaſtico,Gloria eſt magna ſe- Iob.22.
qui dominum,ſtultorum verò exultatio,ignominia.Nam vt prius viſum eſt, lætantur Eccle.23. Prouer.1
cum malefecerint,& exultant in rebus peſsimis.

ARGVMENTVM QVARTI CAPITIS.

Qui ſanctiſsimas diuinæ ſophiæ leges ultro ſuſceperunt,eaſque ſuis animis infixerunt,omni ſtudio contendere debent ut in illis ſeipſos exerceant, nec latũ quidem unguem ab earum ſancitis abſcedant.quòd ſi ſapientiam amplexati fuerint , pro uirili ſtudeant,ut à uerbis eius non declinent,nec eam unquam deſerant : quam ſi coluerint & amauerint,per rectas iuſtitiæ ſemitas ambulabunt,& ab ea ne collabantur in uitia protegentur.Illa denique bonorum omnium alumna,ſui amantiſsimis uitam abunde ſuppeditat,mentẽ fulgidiſsimo ſuæ lucis ſplẽdore illuſtrat & irradiat.Docet quonam pacto iuſti tenebroſam impiorum uiam declinabunt,qui uulnerata ratione & occæcata ad dexterã aut ſiniſtram diuertentes,turpiſsima plerunque flagitia committunt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

CAPVT QVARTVM.

AVdite filii diſciplinam patris, & attendite ut ſciatis prudentiam. Donum bonum tribuam nobis, legem meam ne derelinquatis. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram matre mea, & docebat me, atque dicebat, Suſcipiat uerba mea cor tuum. Cuſtodi præcepta mea, & uiues. Poſside ſapientiam, poſside prudentiam. Ne obliuiſcaris, neque declines à uerbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſeruabit te.) Nititur Salomon nos ad flagrãtiſsimũ ſapientiæ amorem allicere propter maximam quam ex eius ſtudio vtilitatem conſequemur. Et licet noſtri conatus hac in re nonnihil conferant, abſque tamen ope diuina excellentiſsimum tantæ virtutis fructum comparare nequeũt. Quáobrem exiſtimemus ſapientiam eſſe donum Dei, tametſi aliquid contulerimus vt eam indipiſceremur: cuius leges & præcepta qui diligenter obſeruant, tranquillè ac beatè viuunt: quod exemplo Salomonis regum omnium ſapientiſsimi perdiſcere poſſumus, qui
2.Reg.12. hæc de ſeipſo dicit: Nam & ego filius fui patris mei, ſcilicet Dauid, ex Bethſabee, tenellus,
1.Para.29. de quo loquutus eſt Dauid ad omnem eccleſiam dicens, Salomonem filium meum vnũ
elegit dominus adhuc puerum & tenellum. Siquidem Deus maximè dilexit Salomoné:
2.Reg.12. hinc vocatus eſt amabilis Deo, cumq́ue cæteris ipſius Dauid filiis prætulit, quem omni
3.Reg.2. ſapientia & prudentia conſummatiſsimum præelegit, vt ſederet ſuper thronum Dauid
patris ſui. Et propter hanc excellẽtiam dicitur vnigenitus: nec vnigenitus ſimpliciter &
ſolus filius Dauid ex Bethſabee. Nam Dauid habuit ex hac vxore in Hieruſalé quatuor
1.Parall.3. filios naturales, vt apertiſsimè docet primus liber Paralipomenon, in quo ſcriptum eſt:
Porro in Hieruſalem nati ſunt ei, ſcilicet Dauidi (vt exordium contextus indicat) filij,
Samaa, & Sobab, Nathan, & Salomon, quatuor de Bethſabee. Si igitur iſti quatuor nati
ſunt ex iiſdem parentibus, planè colligendum erit, non ſolum Salomonem fuiſſe filium
legitimum & naturalé Dauid, ſed & alios tres prænominatos. Quod dico aduerſus quoſdam
ſacræ ſcripturæ expoſitores, qui dicunt alios tres (quia hic non loquimur de filio
ex adulterio Dauid eum Bethſabee genito) fuiſſe filios naturales Vriæ, & ipſius Dauid
2.Reg.11. duntaxat adoptiuos. Nec referret ſacra illa hiſtoria, Nati ſunt ei, &c. ſi nõ eſſent de eius
ſemine procreati. Et huius eſt ſententiæ Clicthoueus in XV. caput IIII. libri Theolo-
3.Reg.1. giæ Damaſceni. Sed Salomon fuit vnigenitus coram matre ſua, quia eius erat corculũ,
animula, & filius chariſsimus, quem feruentius quàm quéuis alium dilexit. Et quòd hæc
ſit Salomonis intelligẽtia, ſuadeo. Loco huius verſionis, Vnigenitus coram matre mea,
legimus ſecundum Septuaginta interpretes, Dilectus in facie matris. Græcè ſiquidem
habetur, ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρός. Inſtruxit autem Dauid Salomonem de ſyncero
Dei cultu, de moribus, & ædificatione templi: & cum appropinquarent dies eius
3.Reg.2. vt moreretur, dixit ei, Confortare, & eſto vir fortis, & obſerua vt cuſtodias mãdata domini
Dei tui, vt ambules in viis eius, & cuſtodias cerimonias eius, & præcepta eius, & iudicia
& teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, vt intelligas vniuerſa quæ facis, &
quocunque te veteris, vt confirmet dominus ſermones ſuos quos locutus eſt de me, dicens,
Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate in omni
corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael. Et alibi, Tu autem
1.Paral.28 Salomon fili mi ſcito Deum patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario.
Omnia enim corda ſcrutatur dominus, & vniuerſas mentium cogitationes intelligit.
Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum. Nunc
ergo quia elegit te dominus vt ædificares domum ſanctuarij, confortare & perfice. Et
quandiu Salomon Dei præcepta cuſtodiuit, eiuſq; iuſsis obtemperauit, fuit Deo gratus,
& ab eo protectus ne in nephandas libidines ac deteſtandam idololatriam corrueret.
Alij myſticam ſectantes intelligentiam, exponunt hæc Salomonis verba, Ego fui filius
patris mei, de patre cęleſti, ita ꝙ Deus dicatur pater Salomonis, ſicut hiſtoria Regũ vide-
2.Re.7.& tur innuere, in qua dominus loquitur dicẽs, Ipſe ædificabit domũ nomini meo, & ſtabi-
1.Parali.22. liam thronum regni eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi
in filium. Et mater eius ſynagoga dicitur, ſiue populus Iſrael, ſicut eccleſia dicitur mater
Chriſtianorũ,

Chriſtianorum.& hanc ſequitur expoſitionem Rab. Sa. Tenellus filius, quia à Deo in pueritia electus. Vnigenitus coram matre mea, id eſt dilectus à ſynagoga, ſicut vnigenitus filius diligitur à matre ſua naturali. Et docebat me pater ille cæleſtis, qui dicebat, De- 3.Reg.3.
di tibi cor ſapiens & intelligens, intantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Si ambulaueris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea & mãdata mea, ſicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Alij ediſſerunt hunc locum de Deo patre, de Chriſto & virgine Maria, & Chriſtus loquens dicit, Audite filij diſciplinã patris mei: donum bonum tribuam vobis, legem ſcilicet euangelicã diligentiſsime cuſtodiendam. Nam & ego fui ab æterno filius patris mei, id eſt Dei patris, tenellus teneritudine pietatis tam in natura humana quàm diuina. Et vnigenitus Deo patri, & Mariæ virgini. Et docebat me Deus pater, cõſiderata ratione meæ humanitatis. Primam tamen expoſitionem affabrè accedentem ad mentem authoris, ſequendam eſſe exiſtimo.

¶ *Principium ſapientiæ, poſside ſapientiam, & in omni poſſeſsione tua acquire prudentiam. Arripe illam, & exaltabit te, & glorificaberis ab ea, cum fueris eam amplexatus. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclita proteget te. Audi fili mi, & ſuſcipe uerba mea, ut multiplicentur tibi anni uitæ. Viam ſapiẽtiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis: quas cum ingreſſus fueris, non artabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene diſciplinam, ne dimittas eam. Cuſtodi illam, quia illa eſt uita tua.)*

¶ Tametſi diuinam illã & æternã ſapientiam duntaxat ex parte hic cognoſcamus, tamen magnum eſt habere quoddam illius ſapientiæ veſtigium: ad quam indipiſcendam nobis ſacræ literæ & legis diuinæ obſeruatio aditum præſtant. Et hoc Sophiæ principiũ qui poſsident, iam videntur ſapientiam ipſam amplexari & poſsidere. Hunc Salomonis locum quidam ita exponunt, Poſſeſsio ſapientiæ in via, eſt principiũ habendi ſapientiã in patria, quæ conſiſtit in clara Dei viſione. Ra. Sa. ſecundum Hebræos ſic legit, Principium ſapientiæ, eme ſapientiam, id eſt principium acquirendi ſapientiam, eſt comparare ſibi, prece, precio, vel obſequio doctorem ſapientem, qui ab abſtracto hic ſapientia dicitur. Si acquiſieris ſapientiam, vt quæ moliri cupis, perfecta ſint & abſoluta: prudentiam virtutum moralium altricem, ſine qua cæteræ virtutes mox degenerant in vitia, cum ipſa ſapientia connectito. Fac vt placidiſsimus ſit iſtarum virtutum concentus. Sapientia res diuinas contemplaberis, prudẽtia verò rebus humanis imperabis. His exornatus virtutibus, ſummum perfectionis verticem pertinges, & ad beatorum gloriã ſubnectus ſatiaberis. Et dum hanc ages vitam (ſi modò auream virtutum mediocritatẽ retinueris) tibi ſapientia eximias gratiarum dotes impartietur, & tuo capiti, id eſt tuæ mẽti amplior ſpiritusſancti gratia donabitur. Quòd ſi in difficillimo huiuſce vitæ bello te generoſiſsimum athletam præſtiteris, nec magnis agitatus perſecutionibus ſuccubueris, aurea illa & immarceſcibili æternæ gloriæ corona te inſigniet, & accipies pro tuis iuſtis Sapi.5.
laboribus regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu domini. Hac victrice corona Paulus pro defenſione fidei fuit inſignitus, qui inſtante ſuæ reſolutionis tempore dicebat, Bonum certamen certaui: curſum conſummaui: fidem ſeruaui: in reliquo repoſita 2.Timo.4
eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius. Rurſus te ſapientia monet, vt ſi diu viuere velis, eius verba & audias & obſerues. Hoc & de Salomone dominus expreſsit dicens, Si ambulaueris in viis meis, & cuſtodieris præcepta mea & mandata mea, ſicut am- 3.Reg 3.
bulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Hæc denique Sophia tuæ vitæ dux & nutrix optima, quidnam agere debeas aut fugere, monſtrat, & te per ſemitas æquitatis, & cæterarum virtutum, quæ in exordio videntur inexercitato arctæ, difficiles & aſperæ, ad æternam beatorum gloriam perducet, & poſt egregium certamẽ ad deſtinatum tibi ab agonotheta præmium abſque vllo tui animi offendiculo feſtinabis. De iſtis ſemitis quę tyronibus ſacræ philoſophię & nouiter renatis videntur eſſe duræ, dicit Dauid, Propter Pſal.16.
verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras. Cum tamẽ huiuſce laboris duritiem vicit, lætus ad hunc modum cecinit, Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti Pſal.118.
cor meum. Nec ab iis diſsident quæ in libro Sapientiæ legimus, vbi maxima ſapientiæ vtilitas commendatur, Hæc iuſtum deduxit per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei, Sapi.10.
& dedit illi ſcientiam ſanctorum: honeſtauit illum in laboribus, & compleuit labores

illius. In fraude circũuenientium illi affuit,& honeſtum fecit illum. Cuſtodiuit illum ab
inimicis,& à ſeductoribus tutauit illum:& certamen forte dedit illi,vt vinceret, & ſciret
quoniã omniũ potentior eſt ſapientia. Hæc venditum iuſtum non dereliquit,ſed à pec-
catoribus liberauit eum:deſcenditq́; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit
illum,donec afferret illa ſceptrum regni, & potentiam aduerſus eos qui eum deprime-
bant,& mendaces oſtendit qui maculauerunt illum:& dedit illi claritatem æternam.

❡ *Ne delecteris in ſemitis impiorum,nec tibi placeat malorum uia.fuge ab ea,nec tranſeas per illam:decli-
na,& deſere eam. Non enim dormiunt niſi cum malefecerint:& non rapitur ſomnus ab eis, niſi ſupplantaue-
rint.Comedunt panem impietatis,& uinum iniquitatis bibunt.Iuſtorum autem ſemita quaſi lux ſplendens pro-
cedit & creſcit uſque ad perfectam diem. Via impiorum tenebroſa,neſciunt ubi corruunt.)* Sapientia te
cohortatur vt non delecteris ſi quẽ videris per ſceleratorum ſemitas incedere,nec cor-
rideas impiis,ſed potius condoleas cum eos agnoſcis à recto tramite deflectere, & ſuis
vitiis & inſaniis occupari. Qui enim exhilareſcunt cum quempiam vident flagitia per-
petrantem,non tã dicuntur eius delictis conniuere,quàm conſentire: idcirco peccant,
Roma.1. & digni ſunt qui vapulent:quod commonſtrat Paulus, dicens, Digni ſunt morte, non
ſolùm qui ea faciunt,ſed etiam qui conſentiunt facientibus. & propterea nos monet ne
Ephes.5. ſimus ſocij illorum qui improbè viuunt,dicẽs,Nolite communicare infructuoſis ope-
ribus tenebrarum:magis autem redarguite. Et hoc Salomon expreſsit cum nos docuit
ab improborum via fugere,eamq́ue omnino deſerere,vt omnem peccandi occaſionem
vitemus. Deinde ſubnectit autor, Non dormiunt niſi malefecerint. Improbi vix quie-
Esa.57. ſcere ſolẽt:quod dominus per Eſaiam indicauit,dicens, Impij quaſi mare feruens,quod
quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non eſt
pax impiis. Appoſitè conſeruntur mari procelloſo,& variis fluctibus agitato. Nã quem-
admodum feruentes vndæ & procellæ præpediunt quo minus mare quieſcere poſsit,
ita morbi animi & vitiorum fluctus impediunt ne mali interquieſcere poſsint: aut ſi
quieſcant,non tamen priuſquam turpe quoddam flagitium perpetrauerint,& quempiã
ſupplantauerint. Non quieuit Iudas,neque ſuis affectibus imperauit, donec ſuum præ-
ceptorem ſceleratiſsimis Iudæis prodidit. Non quieſcunt ſicarij, prædones & homici-
dæ,donec quempiam enecauerint:nec ſomnus procis & laſciuis obrepit donec ſuã fœ-
dam libidinem expleuerint. Experimur quid moliri poſsit peſsima conſuetudo,quæ ni-
hil mali?non intentat,quam non facilius quàm ipſam naturam permutamus. Vnde di-
Hier.13. cit dominus in libro Hieremiæ,Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata ſunt ve-
recundiora tua,pollutæ ſunt plantæ tuæ. Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut
Pardus varietates ſuas,& vos poteritis benefacere,cum didiceritis malum. Hunc locum
Hierony. ediſſerens Hieronymus dicit,Propria voluntas nimia conſuetudine & amore peccandi
quodammodo in naturam conuertitur: ſed hoc quod hominibus impoſsibile eſt, Deo
poſsibile eſt,vt nequaquam Aethiops & Pardus ſuam videãtur mutare naturam, ſed ille
Philip.4. qui in Aethiope operatur & Pardo,dicente apoſtolo,Omnia poſſum in eo qui me con-
1.Corin.15. fortat Chriſto. Vnde & in alio loco,Amplius,inquit,illis omnibus laboraui,non ego au-
tem,ſed gratia Dei quæ in me eſt. Subiungit & contextus:Comedunt panem impietatis,
& vinum iniquitatis bibunt. Improbi veſcuntur cibis ex furto, rapina & impietate con-
quiſitis,& bibunt vinum iniquitate partum. Nec minus ſuis ſceleribus oblectãtur, quàm
eſculentis & poculentis,ſed ſentient aliquando ſi nam ſibiipſis profuerit pauperum bo-
na diripuiſſe,& de alieno victitaſſe. Iuſti autem,quorum recta eſt ſemita, & via imma-
culata,fulgore virtutum illuſtrati, de tenebris huius mundi ad æternam lucem diemq́;
Sap.3. ſereniſsimum egredientur,vbi perpetuò fulgebunt, & tanquam ſcintillæ in arundineto
diſcurrent. At contrà impij,quorum via tenebris eſt obſita,corruent,& fulgidiſsimo di-
Ioan.3. uinitatis lumine priuabuntur. Illi ſiquidem non veniunt ad lucem,vt eorum opera non
1.Ioan.2. arguantur:& quia in tenebris ambulant,& tenebræ occæcauerunt eorũ oculos,neſciunt
quò vadunt, & in quamnam vitiorum ſentinam præcipitentur: & ex eo neſciunt vbi
corruunt,quia proprium lapſum non aduertunt, nec ſua penſantes pericula attendunt
ſe ad inferos deſcendere: & licet aliquo modo intelligant vbi corruant, non tamen
perfecte, quia excæcati ſunt corde.

¶ *Fili mi auſculta ſermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam. Ne recedant ab oculis tuis, cuſto-
di ea in medio cordis tui. Vita enim ſunt inuenientibus ea, & uniuerſæ carni ſanitas. Omni cuſtodia ſerua cor
tuum, quia ex ipſo uita procedit. Remoue a te os prauum, & detrahentia labia ſint procul a te. Oculi tui re-
cta uideant, & palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos. Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes uiæ tuæ ſtabi-
lientur.)* Sis diligens in obſeruandis Dei præceptis,& diligentius caſtiſsimis eius eloquiis
attentas prębeto aures.Si enim Deus tibi ſit præceptor,& dux tuæ vitæ primarius,lubē-
ter ſanis eius verbis acquieſces.Qui enim ex Deo eſt , verba Dei audit. Nec ſanctiſsimi Ioan. 8.
Dei ſermones ab interioribus noſtræ mentis oculis recedere debent , ſed opus eſt vt die
ac nocte in lege domini meditemur,eamq́ue præcordiis noſtri animi infigamus. Vnde
dicebat Dauid,In corde meo abſcondi eloquia tua,vt non peccem tibi.Huic perſimile Pſal.118.
eſt illud Deuteronomij , Erunt verba hæc quæ ego præcipio tibi hodiè , in corde tuo,& Deute.6.
narrabis ea filiis tuis,& meditaberis ſedens in domo tua,& ambulans in itinere,dormiēs
atque conſurgens.Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua,eruntq́ue & mouebuntur in-
ter oculos tuos:ſcribeſq́ue ea in limine & oſtiis domus tuæ.Inſculpenda ſunt igitur no-
ſtris cordibus Dei mandata,vt non peccemus. Denique vt nobis ſit vita ea ſeruantibus,
ideo ait Saluator,Verba quæ locutus ſum vobis,ſpiritus & vita ſunt. Et alibi,Si vos mā- Ioan.6.
ſeritis in ſermone meo,verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem , & veritas li- Ioan.8.
berabit vos.Suppeditant & Dei mandata ſuis cultoribus & alumnis ſanitatem animi &
corporis.Nam noxias animi peſtes purgant , & temperantia ac frugalitate vitæ corpus
reddunt incolume.Deinde ſuos monet ſapientia vt omni cuſtodia & ſumma cum dili-
gentia cor ſuum ab omni immunditia præſeruent. Et hoc nobis præcepit dominus in
Deuteronomio, dicens,Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicite.Eam ob rē Chri- Deuter.4
ſtus in euangelio, mundo corde beatos vocat,qui Deum ipſum videbunt. Et cor noſtrū Mat.5.
debet eſſe quoddam caſtrum omni præſidiorum genere munitum , ne ab hoſtibus ca-
piatur.Hoſtes autem quibus obſiſtere debemus,ſunt caro , mundus, & diabolus. Carni
obiiciemus armaturam caſtitatis,mundo ſcutum liberalitatis,& diabolo galeam chari-
tatis.De hac vigilantiſsima cuſtodia dicit Eſaias,Super ſpeculam domini ego ſum ſtans Eſa.21.
iugiter per diem:& ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.Et Abacuc,Su- Abac.2.
per cuſtodiam meam ſtabo , & figam gradum ſuper munitionem , & contemplabor vt
videam quid dicatur mihi,& quid reſpondeam ad arguentem me.Subinde nos horta-
tur ſapientia vt linguam ad garriendum præcipitem,& ad maledicēdum procacem,co-
hibeamus.licet enim lingua minutulum ſit membrum & molliculum,plurimum tamē
nobis detrimenti adfert cum non ei adeſt animus rector & moderator.Siquidem virus
quod tranſfundit,eſt immedicabile.Licet enim aſpidis & ſcorpij peſtiferum ſit venenū,
tamen hominum induſtria aduerſus illud inuenit remedium : nullum tamen aduerſus
linguæ contagium.Nec ſcorpius ſcorpium impetit , nec vipera viperæ eſt noxia , ſolus
tamen homo ſua lingua detractrice in hominem venenum habet. Nec quis lubricum
linguæ ac plectrum abſque diuina ope domare poteſt : quod bellè monſtrauit Iacobus
in ſua epiſtola dicens,Omnis natura beſtiarum & volucrum & ſerpentium & cetorum Iaco.3.
domantur,& domita ſunt à natura humana:linguam autem nullus hominum domare
poteſt.inquietum malum,plena veneno mortiſero.In ipſa benedicimus Deum & patrē,
& in ipſa maledicimus homines qui ad imaginem & ſimilitudinem Dei ſacti ſunt. Ex
ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Et de illo qui conuitiatur proximo ſuo, &
clanculum detrahit ac mordet, dicit Dauid, Detrahentem ſecretò proximo ſuo , hunc Pſal.100.
perſequebar, vt ſcilicet ordine iuſtitiæ puniretur : & hac lege nobis conceſſum eſt ma-
los perſequi.Et Eccleſiaſtes confert illum qui occultè detrahit , ſerpenti in ſilētio mor- Eccleſ.10.
denti.Nobis etiam Paulus ſubindicauit in epiſtola ad Romanos, detractores eſſe Deo Rom.1.
odibiles.Et Petrus præcipit vt deponamus omnes detractiones , ſi Chriſti gratiam cō- 1.Petr.2.
parare velimus.Animaduerte illū grauiſsimum peccatū cōmittere, qui alicui detrahit,&
eius illibatam famā theonino dente rodit.Nā bonum nomen auſert,quod cunctis opi-
bus anteponendum eſt.Quòd ſi labia noſtra procul ſint à conuitiis & detractionibus,
ſubinde demus operam vt oculi noſtri quæ recta ſunt,caſta & pudica,intueantur:& iter
iuſtitiæ quod ingredi debemus,diligenter ediſcamus , ſintq́ue palpebræ noſtræ erectæ

vt perſpiciamus quò pergemus, & quamnam ſemitam vitiorum an virtutum capeſſe-
1. Eſdr. 9. mus,ſed debemus precari dominum vt illuminet oculos noſtros, ne offendant & vana
Epheſ. 5. videant:vt denique videamus quomodo caute ambulabimus: inſuper vt ſua ſapientia
Pſal. 26. dirigat ſemitas pedibus noſtris, ne decidamus in vitia:& ſtabiles fiãt viæ noſtræ, ne huc
& 118. aut illuc rapiamur. debemus tamen pro viribus conari vt rectas faciamus ſemitas pe-
dibus noſtris.Et ex hoc Salomonis loco, Dirige ſemitas pedibus tuis,liberum agnoſci-
tur arbitrium,quod diuino fauore adiutum,recte agit.

❡ *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram.Auerte pedem tuum à malo.Vias enim quæ à dextris ſunt,
nouit dominus:peruerſæ uerò ſunt,quæ à ſiniſtris ſunt.Ipſe enim rectos faciet greſſus tuos,itinera autem tua
in pace producet.)* In ſacris literis paſsim legimus dominũ vetuiſſe filiis Iſrael ne declina-
Deuter. 5. rent neq; ad dexterã neq; ad ſiniſtrã.In Deuteronomio ſcriptũ eſt,Nõ declinabitis neq;
ad dexterã neq; ad ſiniſtrã, ſed per viã quã præcepit dominus Deus veſter,ambulabitis,
vt viuatis,& bene ſit vobis,& protelẽtur dies veſtri in terra poſſeſsionis veſtræ.Declinat
ad dexteram,qui in proſperis inſoleſcit, & qui ſibi iuſtitiam arrogat. Etiam qui de ſuis
viribus nimis præſumit, aut qui vult plus ſapere quàm oportet. Ad ſiniſtram verò de-
clinat,qui frangitur aduerſis,& præ ſua fragilitate deſperat ſe poſſe ſaluari. Auguſtinus
Auguſti. quæſtione XLVIII.ſuper Deuteronomium, dicit non ea reprehendi quæ dextera
ſunt,ſed illũ qui declinat in ea,id eſt,qui ſibi arrogat quæ Dei ſunt. Et explicando quod
Salomon ſubnectit,Vias enim quæ à dextris ſunt,nouit dominus, peruerſæ autem quæ
à ſiniſtris ſunt: dicit hunc in modum ratiocinando,Ergo bonæ ſunt dexteræ,quas no-
Pſal. 1. uit dominus.Nouit enim dominus vias iuſtorum. Et aliquanto inferius, Abſit, inquit,
vt dexteras quas nouit dominus, negemus eſſe rectas:ſed declinare in eas, eſt non illius
gratiæ,ſed ſibi tribuere velle quod rectum eſt.Et in epiſtola II. ad Valentinum ediſſe-
rens abunde quæ hic Salomon pertractat,dicit,In his verbis ſanctæ ſcripturæ conſide-
rate fratres,quia ſi non eſſet liberum arbitrium,non diceretur, Rectos curſus fac pedi-
bus tuis,& vias tuas dirige,ne declines in dexteram,neque in ſiniſtram.Et tamẽ ſine Dei
gratia ſi poſſet hoc fieri, non poſtea diceretur, Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, &
itinera tua in pace producet. Nolite ergo declinare neque in dexteram neque in ſini-
ſtram,quanuis laudentur viæ quæ à dextris ſunt,& vituperẽtur quæ ſunt à ſiniſtris.Hoc
eſt enim propter quod addidit,Auerte autem pedem tuum à via mala,hoc eſt à ſiniſtra:
quod manifeſtat in conſequentibus dicẽs,Vias enim quę à dextris ſunt,nouit dominus:
peruerſæ verò ſunt,quę à ſiniſtris ſunt.Eas vtiq; vias ambulare debemus,quas nouit do-
minus,de quibus in pſalmo legitur, Nouit dominus viam iuſtorum, & via impiorum
peribit.Hanc enim non nouit dominus,quia ſiniſtra eſt,ſicut dicturus eſt etiam illis ad
ſiniſtram conſtitutis,Non noui vos.Quid eſt autẽ quod ille nõ nouit,qui vtique nouit
omnia,ſiue bona hominum,ſiue mala?Sed quid eſt,Non vos noui,niſi,tales vos ego nõ
feci?Quemadmodum illud quod dictum eſt de ipſo domino Ieſu Chriſto,quia non no-
uerat peccatum, quid eſt, non nouerat, niſi quia non fecerat? Ac per hoc quod di-
ctum eſt,Vias quæ à dextris ſunt,nouit dominus,quomodo intelligendum eſt,niſi quia
ipſe fecit vias dextras,id eſt vias iuſtorum,quæ ſunt vtique opera bona,quæ præparauit
Deus(ſicut dicit apoſtolus)vt in illis ambulemus? Vias autem ſiniſtras, peruerſas, id eſt
vias impiorum,non vtique nouit,quia nõ eas ipſe fecit in homine,ſed homo ſibi: pro-
pter quod dicit,Odiui autẽ ego peruerſas vias malorum:ipſæ ſunt à ſiniſtris.Sed reſpõ-
detur nobis,Cur ergo dixit,Ne declines in dexteram neque in ſiniſtram,cum potius di-
cere debuiſſe videatur,Tene dexterã,& ne declines in ſiniſtram? Si bonæ ſunt viæ quæ
à dextris ſunt,cur putamus,niſi quia ita viæ ſunt bonæ quæ à dextris ſunt, vt in dexterã
tamen declinare non ſit bonũ? Declinare quippe ille eſt intelligendus in dexteram,
qui bona ipſa opera quæ ad vias dexteras pertinent,ſibi vult aſsignare,non Deo.Et ideo
cum dixiſſet,Vias enim quæ à dextris ſunt, nouit dominus:peruerſæ autem ſunt quæ à
ſiniſtris ſunt:tanquam diceretur ei, Quomodo ergo non vis vt declinemus ad dexterã?
ſecutus adiunxit,Ipſe autem rectos faciet curſus tuos,itinera autem tua in pace produ-
cet.Sic ergo intellige quod tibi præceptũ eſt,Rectos curſus fac pedibus tuis, & vias tuas
dirige,vt noueris cum hoc facis,à domino Deo tibi præſtari vt hoc facias,& non decli-
nabis

nabis ad dexteram, quanuis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua, & ipſe
erit virtus tua, qui rectos faciet curſus tuos, & itinera tua in pace producet. Quapropter
dilectiſsimi, quicunque dicit, Voluntas mea mihi ſufficit ad facienda bona opera, decli-
nat in dexteram. Sed rurſus illi qui putant bonam vitam eſſe deſerendam, quando au-
diunt ſic Dei gratiam prædicari, vt credatur & intelligatur voluntates hominum ipſas
ex malis bonas facere, ipſas etiam quas fecerit cuſtodire, & propterea dicunt, Faciamus
mala, vt veniant bona: in ſiniſtram declinãt. Ideo vobis dixit, Non declinetis in dexte-
ram neque in ſiniſtram. hoc eſt, Non ſic defendatis liberum arbitrium, vt ei bona ope-
ra ſine Dei gratia tribuatis: nec ſic defendatis gratiam, vt quaſi de illa ſecuri, mala opera
diligatis, quod ipſa gratia Dei auertat à vobis. Hęc ille. Inſuper in Eſaia legimus, Hęc via, Eſa.30.
ambulate in ea, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Quem locum enarrans Hiero-
nymus dicit, In vtraque parte quicquid ſupra modum eſt, in vitio eſt. Et de dextris par- Hierony.
tibus dicitur, Ne ſis iuſtus multum. De ſiniſtris autem quòd in hœdorum & in pereun- Eccleſ.7.
tium parte ponantur, nulla dubitatio eſt. Reſiduum contextus ex Auguſtini doctrina
planè declaratum eſt.

ARGVMENTVM QVINTI CAPITIS.

Diſcito ſapientiam, ſi uelis inextricabiles expoſititiæ meretricis laqueos effugere, à cuius labiis profluit & diſtillat ſermo melle ſuauior, quo proci irretiuntur, & libido accenditur: & licet in exordio, & dum feruet amoris æſtus, nobis mirum in modum adblanditur, nihilq́; non excogitet quo poſsit noſtras demulcere aures, tamen in fine nobis propinat poculum abſinthio longè amarius, ſuaq́; blandula lingua magis quàm acutiſsimo gladio nos ferit, & more ſcorpii ſuum uirus peſtiferum transfundit: cuius ſemitas qui ſectantur, unà cum ea ad ſtygias paludes demerguntur. Fac igitur duce ſapientia ut non te pharetratus Cupido occæcet, nec ullum cum furioſa libidine commercium habeas, & cæleſtis uirtutum ac ueræ gloriæ amor mentem tuam inurat, tuusq́; ſemper animus uiua aqua quæ ex argenteis Sophiæ fontibus ſcatet, inebrietur.

CAPVT QVINTVM.

Fili mi attende ſapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut cuſtodias cogitationes, & diſciplinam labia tua conſeruent. Ne intenderis fallaciæ mulieris. fauus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſsima autem illius amara quaſi abſinthium, & lingua acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant. Per ſemitam uitæ nõ ambulant, uagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas a uerbis oris mei. Longe fac ab ea uiam tuam, & ne appropinques foribus domus eius.) Si recto calle ad Elyſios campos contendere velis, dum tua floret ætas, & viget animus, cæleſtem philoſophiam ediſcas, in eiuſque legibus & ſanctiſsimis inſtitutis iugi ſtudio peruigila. Et hoc Sophia monet dicens, Fili mi attende ſapientiam meã, non vanam nec ſuperſtitioſam: nec illam curioſe perueſtiges, quæ hominum inuentis & ingeniis excogitata eſt, in qua plerunque plus eſt faſtus quàm virtutis. In illa autem nihil faſtus, ſed plurimum virtutis, quæ comite prudentia ſtabilitur, cuius amore & feruenti deſiderio qui capitur, fallaciſsimis obſcœnarum meretricum aucupiis nequaquam inuoluitur, quæ blando ſermone, lepidiſsimis ſalibus, & faceti ſsima vrbanitate deludunt amatores. ſupparaſitantur aliquando & amanti, vt ſuis præſtigiis eum ludificent, eiusq́; opes ſalaciſsima ſcortatione exhauriant. Aedepol quis neſcit dicaculam meretricem & perfidam, ignem in ſuo ſinu geſtare, quo exurimur? nec quieſcere donec hominem cęco amore captum, in ardentiſsimam cupidinis fornacem detruſerit? Nec addubito quin omnium calculis approbanda ſit illa Plauti ſententia in Aſinaria, Eſca eſt meretrix: qua, vt norunt omnes, ſemel ineſcati, ſuis affectibus obtẽperant, & obnubilata ratione præcipites feruntur in vitia. Porro venuſtula meretrix cor hominis ſuis ſagittis transfigit, animam vulnerat, rationem adimit, corporis vires frangit, & quod maxime dolendum eſt, hominem luxuriæ ſordibus volutatum, in brutam naturam conuertit. Sed ad autho-

rem redeo proferentem ſententias de cauenda luxuria:& primò monet vt verſutiis mu-
lierum non inſiſtamus,quæ mille nocendi artes adinueniunt vt nos decipiant, ſuiſque
pedicis inuoluant.Nam à labiis cellulariæ meretricis dimanant verba melle ſuauiora,
quibus amatores confeſtim capiuntur,illiſque ad impudica oſcula illiciuntur,ex oſculis
tandem ad efferueſcentem luxuriam pertrahuntur. Denique diobolaris & ſceleſta me-
retrix ſuum guttur oleo leuius & mollius ita polit & ornat,vt ad ſe quem velit facilè ra-
piat : raptum ſuo faſcino contaminat, & pro momentaneæ voluptatis præmio ei po-
tionem exhibet abſinthio amariorem,vt quantum ſe glorificauit in deliciis ſuis, tantũ
Plinius. detur ei & tormenti & luctus. Dicit Plinius libro XXVII.Naturalis hiſtoriæ, capi.
VII. plura eſſe abſinthij genera.Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate , Ponticum à
Ponto,vbi pecora pingueſcunt illo,& ob id ſine felle reperiuntur:neque aliud præſtan-
tius,multoque Italico amarius,ſed medulla Pontici dulcis.De vſu eius conuenit dicere,
herbæ facillimæ,atque inter paucas vtiliſsimæ , præterea ſacris populi Rom. celebratæ
peculiariter.Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in Capitolio , victorque ab-
ſinthium bibit,credo ſanitatem præmio dari honorificè arbitratis maioribus. Stoma-
chum corroborat,& ob hoc ſapor eius in vina transfertur.Bibitur & decoctum aqua, &
poſtea nocte & die refrigeratum ſub diuo , decoctis ſex drachmis foliorum cum ramis
ſuis in cæleſtis aquæ ſextariis tribus. Oportet & ſalem addi. Vetuſtiſsimè in vſu eſt.
Bibitur & madefacti dilutum.Ita enim appellatur hoc genus. Diluti ratio , vt quiſquis
fuerit modus aquæ,tegatur per triduum . Ioannes Ruellius medicus quidem ſuo ſecu-
lo doctiſsimus,& de literis cum Latinis tum Græcis bene meritus,dicit libro primo de
Natura ſtirpium cap. VIII. abſinthium inſigni amaritudine pollere:& cap.XVIII.
eiuſdem libri exiſtimat acrem eſſe ſaporem amari abſinthij . Dictum eſt autem abſin-
thium,vt idem refert cap. XX. eiuſdem operis , ab ἀψίνθ, quod tangere dicimus,
quòd nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat. Veteres Graiæ
familiæ comici apinthion quoque conformi etymo quaſi impotabilem pronunciarũt,
quòd hanc nemo ob inſignem amarorem poſsit ebibere.Hinc Latini abſinthium vſur-
parunt pro re quæ parum allatura ſit voluptatis, non tamen propter commoditatem
reſpuenda.Sic verebatur Fabius Quintilianus ne liber ſuus parum mellis , & abſinthij
multum habere videretur,eſſetque ſalubrior ſtudiis quàm dulcior.Hæc ille.Inſuper lin-
gua procaciſsimæ meretricis acuta eſt quaſi gladius biceps, eò quòd & corpus & animã
enecat,& facit vt homo pœnam ſenſus & damni incurrat,& eius pedes vnà cum impu-
dentiſsimo ſcorto ad inferos vſque penetrent.Et hic Salomonis locus planè indicat il-
lum qui cum meretrice fœdum habet congreſſum, peccare mortaliter : quod & Paulus
1.Corin.6. expreſsit dicens,Neque fornicatores neque adulteri regnum Dei poſsidebunt.Chryſo-
Chryſoſt. ſtomus homilia LXIII. ad populum, dicit,& quidem ex Salomonis ſententia, mere-
tricis amorem eſſe inferno ſimilem. Et in promptu ſuppetit ratio. Nam quemadmo-
dum infernus nunquam ſatiatur,ita nec meretrix quæſtus auidiſsima ſatiari poteſt,nec
tibi gratiam habet ſi pro modica voluptate ingentem ei pecuniam dederis,& ridet ſi te
viderit opibus & pecuniis denudatum.Mare ſiquidem eſt,vt non inſcite ſcribit Paulus.
quod enim das,deuorat,& nunquam abundat:cuius vagos & inquietos greſſus qui con-
ſectatur,fit ſtatim ex plumoſo glaber,viuamque ad cutem tondetur. Quod ſi velis Ve-
neris ſtimulos diffringere,& carnis impetus ac illecebras cohibere, ocium fugias, & di-
uinæ ſapientiæ ſtudium frequentes.

¶ *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne forte impleantur extranei uiribus tuis, & labo-*
res tui ſint in domo aliena, & gemas in nouiſsimis quando conſumpſeris carnes & corpus tuum , & dicas,
Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui uocem docentium me,
& magiſtris non inclinaui aurem meam? Penè fui in omni malo, in medio eccleſiæ & ſynagogæ.)

Vetat ſapiẽtia ne inſignem illum honorẽ quo ad imaginem Dei creati ſumus, immun
dorum ſpirituũ voluntati ſubdamus:ne quod dicit pſalmographus, in nobis adimplea-
Pſal.48. tur,Homo cum in honore eſſet,non intellexit:comparatus eſt iumentis inſipientibus,
Auguſti. & ſimilis factus eſt illis.Quem locum enarrans Auguſtinus,dicit hominem ex eo in ho-
nore poſitum eſſe,quia factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quæ intus eſt,non
in

in corpore, non in auribus iſtis quas videmus, nec in oculis, naribus, palato, mani-
bus, & pedibus, ſed facta eſt vbi eſt intellectus, vbi eſt mens, vbi ratio inueſtigandæ ve-
ritatis. Hanc autem imaginem virtutibus exornamus, vitiis verò commaculamus.
Subinde monet Salomon vt noſtræ vitæ periodum,ſiue acceptum viuendi ſpatium,
non expendamus ad libitum crudeliſsimi hoſtis,ſcilicet diaboli, qui tanquam leo ru-
giens circumit quærens quem deuoret, cui ſcuto fidei & inuicta animi magnitudine 1.Pet.5.
obſiſtere debemus, vt fugiat à nobis. Alioqui qui nobis eſt extraneus & aduerſarius, Iaco.4.
noſtris viribus iuuaretur, cum noſtram & animi & corporis induſtriam illi ad perpe-
tranda ſcelera præſtaremus. Alij hunc locum, Ne fŏrte impleantur extranei viribus
tuis,&c. in hunc modum exponunt, Ne ſacerdotes & doctores idololatræ, qui ſunt à
Deo alieni tuis,opibus, quas tuis viribus acquiſiſti,repleantur, & labores tui ſint in do-
mo idolorum, & ſacerdotum idololatriæ cultum conſectantium, & gemas poſt mor-
tem & vocifereris, ac te pœniteat quòd rectas ſapientiæ ſemitas deſerueris. ſed tarda
erit hæc pœnitentia & inutilis. Aliter,dum refrigueri igneus tuæ petulantiæ calor, &
candidus tuæ iuuentutis flos intabuerit, claſsico mortis accerſitus ad reddendam tuæ
vitæ rationem, ingemiſces, & lachrymas à largifluo præcordiorum fonte promanan-
tes effundes, vehementerq́ue dolebis quòd blandiſsimis voluptatum illecebris & luxu-
riæ vermiculis tuum corpus exeſum fuerit, & magno cum clamore tuam miſeram vi-
tam deteſtaberis, teq́ue omnium infeliciſsimum reputabis, quòd ſanam diuinæ So-
phiæ doctrinam ſpreueris, qua libidinis incendia reſtinguuntur, & infrenis concu-
piſcentia domatur,quòd denique præceptori recta monenti non obtemperaueris, nec
lubenter manum ſerulæ ſubieceris: diceſq́ue,Omnibus vitiis fui circundatus, & nihil
penè ſceleris fuit quo non fuerim irretitus, etiam in medio eccleſiæ & ſynagogæ,con-
gregationis ſcilicet Chriſtianorum & Iudæorum: vt nullam mihi prætexam meorum
ſcelerum excuſationem.Et hoc mihi in pœnam accumulabitur,ꝙ non ex ignorãtia ſed
ex certa ſcientia deliquerim. Nam & eccleſiæ & ſynagogæ doctores audiui, quorum
optimis præceptis & inſtitutis reſipiſcere poteram, & meam vitam in melius commu-
tare. Adnotes quòd συναγωγὴ dicitur conuentus plurimorum adinuicem, & potiſsi-
mùm in fide: & huiuſmodi congregatio in ſana fide & præceptis Dei, vt nunc vſur-
pant Theologi,erat Iudæorum ſynagoga, quæ à ſacerdotibus, iudicibus & ſenioribus
in decernendis iis quæ ad maximam Iſraelitici populi vtilitatem cum temporalem
tum ſpiritalem pertinent,duce ſpiritu Dei regebatur.Cũ enim Moſes Synagogæ vertex
conqueſtus eſt apud Deum de obmurmuratione populi Iſraelitici, quòd non ſuum
ventrem carnibus expleret, & dixit, Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc po- Num.11.
pulum, quia grauis eſt mihi: reſpondit dominus, Congrega mihi ſeptuaginta viros
de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti quòd ſenes populi ſint,ac magiſtri:& duces eos ad
oſtium tabernaculi fœderis, facieſq́ue ibi ſtare tecum, vt deſcendam & loquar tibi,
& auferam de ſpiritu tuo, tradamq́ue eis vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu
ſolus graueris. Etiam Chriſtus præcepit in ſuo euangelio turbæ, vt reciperet doctri-
nam principum Synagogæ, tametſi improba eſſet eorum vita. Super,inquit, cathe- Matt.23.
dram Moſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſer-
uate & facite,ſecundum opera verò eorum nolite facere. Locum hunc enarrans Chry- Chryſoſt.
ſoſtomus,dicit, Non enim ſua,ſed quæ per Moſen Deus imperauit, prædicant. Ani-
maduerte hanc eſſe differentiam inter eccleſiam & ſynagogam authore Auguſtino li- Auguſtin.
bro vno expoſitionis epiſtolæ ad Romanos, quòd eccleſia ex vocatione appellata ſit,
ſynagoga verò ex congregatione. Conuocari enim magis hominibus congruit,con-
gregari autem magis pecoribus, vnde greges propriè pecorum dici ſolent. Omnis ta-
men congregatio generali nomine ſynagoga appellatur, etiam pecorum & homi-
num, vt idem vult in enarratione pſalmi LXXIII. Et huius ſunt ſententiæ Græ-
ci omnes. συναγωγεύς, vt refert Budæus, vir profectò peritiſsimus, in ſuis com- Budæus.
mentariis linguæ Græcæ, conciliator dicitur, & congregator, & συνάγω intendo,
augeo. συναγωγὴ contractio, adductio, συναγώγιμος, collatiuus. Propriè tamen

c

ſynagoga Iudæorum dicitur,& eccleſia Chriſtianorum,vt adnotauit diligenter Auguſtinus in enarratione pſalmi L X X V I I.

¶ *Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.)* Vult ſapientia nos viuere de noſtris propriis laboribus, eoſque aliis impertiri, ne à pauperibus accuſemur, ſi ex alieno voluptuariam agamus vitam, noſque Deus reprehendat, quòd egenis pietatis officia non præſtiterimus. Loco huius, Bibe aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui, L X X interpretes legunt, πίνε ὕδατα ἀπὸ σῶν ἀγγείων, ϗ ἀπὸ σῶν φρεάτων πηγῆς. Hoc eſt, Bibe aquas de tuis vaſis, & de tuis puteis fontis. ſed eadem eſt intelligẽtia. Cum dicit, Deriuentur fontes tui foras, monet vt noſtras opes aliis largiamur & communicemus, & famelicos paſcamus, eoſque in vrbium plateis iacentes refocillemus, & noſtro excipiamus hoſpitio. Nec pugnant hæc duo, licet maximè pugnare videantur, Aquas tuas diuide, & eas ſolus habeto. Solus quidem poſſeſsione & proprietate habeas, aliis tamen cum ſitierint, ſuppeditabis: caueto tamen ne infideles & peruerſiſsimi tui ſint partici-
1 Corin.5. pes: quod in duobus locis commonefacit Paulus, dicens, Ne commiſceamini fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi: aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri. Si is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Et
2.Corin.6. alibi, Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſto ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Alij hæc Salomonis verba ad myſticam intelligentiam referunt, dicentes ciſterna intelligi veteris & noui teſtamenti doctrinam, & puteo profunditatem & altitudinem eiuſdem catholicæ doctrinæ, aqua ſcientiam, & fluentis copiam & abundantiam diuinæ ſapientiæ. Docetque his verbis cauere à doctrina hæreticorum, & attendere lectionibus ſacrarum ſcripturarum. Et eſt ſenſus, Bibe aquam de ciſterna tua, id eſt ſerua & opere imple doctrinam quam aliis prædicas. Et fluenta putei tui, id eſt, abundantia ſermonis tui ſeu ſcientiæ affluenter in te redundet in operibus bonis. Fontes noſtros foras deriuamus, cum aliis vim prædicationis infundimus, cum verba ſacræ ſcripturæ aliis annunciamus. In plateis aquas diuidimus, cum populis prædicamus. Platea nanque dicta eſt à latitudine. eſt enim Græcus ſermo. In plateis ergo aquas diuidimus, quando in multitudine auditorum verba ſcientiæ dilatamus, & iuxta vniuſcuiuſque qualitatem diuina eloquia diſpenſamus. Cum dicit Salomon, Ne ſint alieni participes tui, alie-
Psal.53. nos vocat dæmones, de quibus dicit pſalmographus, Alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam. Tunc enim malignos & immundos ſpiritus in prædicatione participes & ſocios nobis facimus, quando per ſuperbiam intumeſcimus, & de prædicatione noſtra inanem gloriam deſideramus. Poteſt & hac aqua
Ioan.4. iiſque fontibus viua aqua intelligi, de qua dicebat Chriſtus Samaritanæ, Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere: tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. & paulò pòſt exprimens quænam ſit illa aqua viua, dicit, Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quã ego dabo ei, fiet in eo
Ioan.7. fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et alibi, In magno feſtiuitatis die clamabat dicẽs,
2.Para.16. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit, teſte Ioanne euangeliſta, de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum. Et ad lympidiſsimum huius cæleſtis aquæ fon-
Psal.45. tem, cuius largo atque inuiſibili flumine lætificat Deus ciuitatem ſuam, nullus extraneus, quia nullus niſi vita æterna dignus, accedit. Hic eſt proprius eccleſiæ Chriſti, au-
Auguſti. thore Auguſtino libro II. contra Creſconium grammaticum, capite XIIII. cui tanto antè prophetatum eſt, Fons aquæ tuæ ſit tibi proprius, & nemo alienus communi-
Canti.4. cet tibi. De hac enim eccleſia, & de iſto fonte dicitur & in Cantico Canticorum, Hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ.

¶ Sit

¶ Sit uena tua benedicta, & letare cum muliere adoleſcentiæ tuæ. Cerua chariſsima, & gratiſsimus hinnulus. Vbera eius inebrient te omni tempore, in amore illius delectare iugiter.)

Vena tua, ſiue proles quæ ex te prodiit, benedictionem conſequetur, ſi modò coniugalem caſtimoniam cum tua vxore quam adoleſcens duxiſti, perpetuò ſeruaueris, eamque tibi coætaneam, tuiſque moribus perſimilem vnicè dilexeris. Viri ſiquidem authore Paulo debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Et qui ſuam vxorem Ephes.5. tanquam ſeipſum diligit, eique placere cupit, magna cum lætitia dies ſuæ vitæ tranſigit. Alij aliter hunc locum ediſſerentes, dicunt, Sit vena tua, id eſt ſapientia tua, qua aliis ſpiritalem potum ſuppeditas, & ardentiſsimos concupiſcentiarum ignes reſtinguis, à domino benedicta, qui tanto plus eam in te adauget & ditat, quanto liberalius aliis impertiris. Omni ſiquidem habenti dabitur, & abundabit. Subiungit Matt.25. Salomon, Cerua chariſsima, & gratiſsimus hinnulus. Serpentibus exitio eſſe ceruos nemo ignorat, vt ſi quæ ſunt, extractas cauernis mandant. Nec verò ipſis ſpirantes tantum aduerſantur, ſed membratim quoque. fugantur nidore cornus eorum ſi vratur. At è ſummo gutture vſtis oſsibus congregari dicuntur. Pelles eiuſdem animalis ſubſtratæ, ſecuros præſtant ab eo metu ſomnos. Coagulum quoque ex aceto potum, ab ictu: & ſi omnino tractatum ſit, eo die non ferit ſerpens. Hæc Plinius libro naturalis hiſtoriæ XXVIII. capite IX. Ceruorum, capreolorum, damarum, leporum, aliorumque huiuſmodi animalium filij, hinnuli vocantur, à voce quam reddunt, equinæ ſimili: Nam hinnire propiè equorum eſt: vnde hinnitus equina vox. Vult igitur innuere Salomon, coniugem viro ſuo debere eſſe chariſsimam, & pro viribus adniti vt fœdus coniugij tueatur: quæ non minus ſcorta perſequatur, quàm cerua ſerpentes: ſit & natus ex ea filius, caſtitatis amator gratiſsimus: & quemadmodum hinnulus ceruæ pullus ſuæ matri acquieſcit, ſic & vxor ſui viri imperio pareat, eumque temperato & moderato amore delectet: nec ad alterius torum diuertat maritus, ſed pudico ſuæ coniugis congreſſu ſatietur. & hoc eſt quod dicit, Vbera eius inebrient te omni tempore. non quòd vxorio operi ſemper inſiſtendum eſſe doceat, ſed moneat ne vel prima viuente aliam ducas, vel meretrici fœdæ copuleris. Nam viuente vxore alligatus es legi. quòd ſi cum altera congrediaris, in deteſtandum adulterij vitium prorues. Quidam dicunt hanc ceruam chariſsimam & gratiſsimam, eſſe ſanctam eccleſiam, quæ ſerpentinam ſolet odio habere & conterere doctrinam. Gratiſsimus hinnulus, populus eſt eius, virtutum varietate delectabilis, & eadem caſtæ fidei ſemper æmulatione ſuccenſus: cuius vberibus inebriamur, cum vtriuſque teſtamenti ſcripturis contra hæreticorum fraudes inſtruimur: cuius pace & amore iugiter delectari, magna eſt exercendarum occaſio virtutum. Beatus quoque Auguſtinus hanc Salomonis ſententiam ediſſerit, Auguſtin. enarrans libro LXXXIII. quæſtionum, quæſtione LXXI. quod dicit Paulus ad Galatas, Inuicem onera veſtra portate. Sicut, inquit, de ceruis nonnulli talium co- Gala.6. gnitionum ſtudioſi ſcripſerunt, cum fretum ad inſulam tranſeunt paſcuarum gratia, ſic ſe ordinant, vt onera capitum ſuorum quæ geſtant in cornibus, ſuper inuicem portent, ita vt poſterior ſuper anteriorem ceruice proiecta caput collocet. Et quia neceſſe eſt vnum eſſe qui cæteros præcedens, non ante ſe habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, vt laſſatus ſui capitis onere ille qui præcedit, poſt omnes redeat, & ei ſuccedat cuius ferebat caput cum ipſe præiret: Ita inuicem onera ſua portantes, fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. Iſtam fortaſſe ceruorum naturam intẽderat Salomon cum ait, Ceruus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum, colloquantur tecum. Nihil enim ſic probat amicum, quemadmodum oneris amici portatio.

¶ Quare ſeduceris fili mi ab aliena, & foueris ſinu alterius? Reſpicit dominus uias hominis, & omnes greſſus illius conſiderat. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur. Ipſe morietur, quia non habuit diſciplinam, & multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur.)

Cur permittis callidam & ſceleſtam meretricem tibi libidine pruriẽti tenebras offundere, & ſuis præſtigiis ſuoq; peſtiſero veneno tuæ mentis oculos faſcinare? Ecquẽ tã caſtũ

tamq́ue pudicum, cum nobis venuſtula & magnificis ornamẽtis exculta obiicitur, non ſeduceret? & ignẽ quẽ in ſinu fouet, non adureret? Tunc compta Venus & decora, ſpurca libidine carnem titillat, carniſq́ue aculeum accendit, quem nemo niſi ſpiritum Dei
Sapi 8. habeat, eiuſq́ue ope iuuetur, domare poteſt. Vnde in libro Sapientiæ ſcriptum eſt, Sciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det. Quòd ſi velis ſtimulos carnis refrenare, caueto ne cupediis ciborum & deliciis corpus tuum expleas. Nam huiuſmodi voluptatibus & ſaturitati iuncta eſt laſciuia, & vicina ſibi ſunt venter & genitalia. Tibi etiam proderunt ſanctiſsima ieiunia, quibus ſi aſsiduè incubueris, & lachrymis, ac pernoctaueris in orationibus, ciliciis tuæ carni hærentibus, beneficium continentiæ à domino extorquebis. Subiungitur in cõtextu, Reſpicit dominus vias hominis, &c. Non putent fornicatores & adulteri tenebris noctis ac parietum ſua turpiſsima flagitia obtegere, quia tenebræ non obſcurabuntur à domino, & nox ſicut dies
Pſal.138. piſsima flagitia obtegere, quia tenebræ non obſcurabuntur à domino, & nox ſicut dies
Iob.31. illuminabitur. Dicit etiam Iob, Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus
Hier.23. meos dinumerat? Et in libro Hieremiæ dicit dominus, Si occultabitur vir in abſcon-
Lucæ.12. ditis, & ego non videbo eum? Etiam in euangelio Lucæ dicit Chriſtus, Nihil opertum eſt quod non reueletur, neque abſconditum quod non ſciatur. Et vbi ſceleratiſsimi, quique peruerſam viuendi conſuetudinem induerunt, arctiſsimis ſuorum vitiorum nexibus vinciuntur & irretiuntur, & perdita libertate gratiæ, in miſeram diaboli ditionem & captiuitatem rediguntur, & (quod maxime dolendum eſt) praua prauis nectentes, tandem funibus ſuorum peccatorum conſtringuntur. Hinc Dauid ſuam ca-
Pſal.37. lamitatem ſuaq́ue vitia deplorans dicebat, Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Et dominus in Eſaia impiis ſce-
Eſa.5. lus ſceleri accumulantibus, malum imprecatur, dicens, Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Locum hunc enarrans Hie-
Hierony. ronymus dicit, Quòd autem vincula dicantur eſſe peccata, crebrius legimus, è quibus illud eſt, Funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur. Et dominus arguẽs
Ioan.2. populum delinquentem qui peccatis peccata ſociarat, fecit flagellum de funiculis, oſtẽ-
Mat.21. dens eis quomodo domum Dei feciſſent ſpeluncam latronum, & ſedem orationis ver-
Mat.22. tiſſent in domum negociationis. Conuiua quoque cœnæ dominicæ veſtem non habens nuptialem, vinctis pedibus ac manibus eiicitur in tenebras exteriores. Et dominus venit vt his qui erant in vinculis, diceret, Exite: & qui verſabãtur in tenebris, reuelamini.
Pſal.148. Ipſe enim ſoluit compeditos, & illuminat cæcos, quos Hieremias vinctos terræ nuncupat. Nec plangit eos qui peccare cœperint, ſtatimq́ue deſierint (non enim eſt iuſtus ſu-
Eccleſ.7. per terram qui faciat bonum, & aliquando non peccet) ſed qui longo funiculo pec-
Num.19. cata protraxerint. Vnde & in Numeris legimus, vaccam rufam cuius cinis expiatio populi eſt, non aliter immolari & offerri ad altare domini, niſi quæ terrena opera non fecerit, iugumq́ue non traxerit, nec vinculis iugi Nabuchodonoſor fuerit alligata. Hæc
Roma.6. ille. Et impius enormia ſcelera perpetrans, pro ſtipendiis ſuorum peccatorum, niſi eum ante exitum vitæ pœnituerit, æternam mortem ſentiet, perpetuiſq́ue ſuppliciis tor-
Iob.31. quebitur, de quo dicit Iob, Nunquid non perditio eſt iniquo? & alienatio operantibus
Pſal.48. iniuſtitiam? Rurſum de perpetua iniquorum pœna ſcribit pſalmographus, Mors depaſcet eos. Nec ſanè immeritò. Nam contempſerunt diuinæ ſapientiæ legibus parêre. Et multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur, quòd peruerſa tenebrarum opera committens, non putat dominum hæc videre, aut quòd facilè eius iram franget. Denique qui ſine timore peccant, vnde cadunt in retia diaboli, propriis erroribus, ignorantiis, concupiſcentiis vitiiſq; falluntur, & quia non proſpiciunt quæ ſuæ ſaluti profutura ſunt aut obfutura, nec timent incidere in manus domini, multitudine ſuæ ſtultitiæ decipientur: de
Baru.3. quibus dicit Baruch, Viã diſciplinæ non inuenerunt, ideo perierunt: & quia nõ habue-
Iob.36. runt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. De iiſdem ait Iob, Si non audierint, tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia.

ARGV-

ARGVMENTVM SEXTI CAPITIS.

Non ſis facilis ad ſpondendum: ne cum tui amici cauſa ſpoponderis, te ſubitò pœniteat, & tuis uerbis irretiaris. Caueto ne altum ſomnum dormias, ut non te grauis & extrema egeſtas opprimat. Vitabis & oſcitantem torporem, ut commodius tuæ uitæ conſulere poſsis. Tibi peruigil & ſedulus labor ad conquirendas multas opes plurimum conferet. Summo cum ſtudio perpende ſedulitatem & ſolertiam graniferæ formicæ, quæ abſque ullo duce ſibi parat æſtate cibum, ut duram & rigidam hyemem tranſigere poſsit. fugito commercium ſchiſmatici, qui mentis aſtu & callidis inuentis aduerſus eccleſiam nullũ non molitur malum, & contentionum ac ſeditionum appetentiſsimus iurgia ſeminat, & perfectum charitatis uinculum diſrumpere contendit. Fac ut tuis pedibus lex domini ſit lucerna, ne præcipites ferantur in malum. Caue ab impudico uxoris alienæ contactu, ne dominum ad iracundiam prouoces, qui in die uindictæ tuis flagitiis ſupplicium irrogabit.

CAPVT SEXTVM.

F*ili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuã, illaqueatus es uerbis oris tui, & captus propriis ſermonibus. fac ergo quod dico fili mi, & temetipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.)* Monet vt non temere neq; ſubitò fideiubeas pro amico: quandoquidẽ fideiuſſor plerũq; iacturam facit, & damnum patitur. Nam cum ſe alteri pro ſuo proximo obſtrinxit, pollicitus eſt manũ protendendo ſe illi amici cauſa ſatiſfacturum. Et hoc exprimit ſententia illa, defixiſti apud extraneum manum tuam. fit enim datione manus huiuſmodi obligatio: & qui ſpopondit, illaqueatur propriis verbis, & obligatur: & licet prius liber eſſet vt non ſponderet, poſt tamen ſponſionem nequaquam poteſt reuocare ſententiam. Idcirco vera erat illa Chilonis Lacedæmonij ſentẽtiola, authore Diogene Laertio, Sponſioni non deeſt iactura. Et huic loco cohæret vulgata illa parœmia, Sponde: noxa præſtò eſt. Nam qui pro altero fideiubet, id pollicetur quod non ſit in ipſo ſitum præſtare, nempe fidem alienam: Idcirco exponitur periculo perdendi quod pro amico ſpopondit: & quia vi obligationis incidit in manum proximi ſui, det operam vt quamprimum ab huiuſmodi fideiuſsione explicetur: properet ad locum expeditioni aptum, nec ceſſet vrgere ac interpellare amicum pro quo ſpopondit, & ſe laqueis inuoluit, vt à tam graui ſarcina exoneretur, & abſque vlla ſuorum bonorum iactura liber euadat.

Ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de laqueo.) Non quieſcas donec animum à curis moleſtæ ſponſionis liberaueris. Et quemadmodum damula (qua nihil eſt imbecillius ac timidius) conatur manum tenentis euadere, ita contendas periculum tuæ fideiuſsionis effugere. Et ſicut etiam auis nititur inſidias aucupis & retiaculum declinare, ſic ſtudeas à laqueis tuæ ſponſionis explicari. Autumat Plinius libro VIII. naturalis hiſtoriæ capite LIII. Damas iure Plinius. dici feras non poſſe, ſed eſſe ſemifera animalia, quanuis raro manſueſcant. Complura nanque ſunt nec placida nec fera, ſed mediæ inter vtrunque naturæ, vt hirundines, delphini, apes, & damæ. Scias velim ſecundum Iſidorum, Damulam & Capream pro eadem re ſumi: & appellata eſt Caprea ab eo quòd acutius videat, παρὰ τὸ ὀξέως δέρκειν, dorcas, authore Hieronymo in interpretatione II. homiliæ Origenis in Cantica Canticorum. Hierony. Hinc tritũ adagium de eo qui videndi perſpicacitate præcellit, Caprearum oculos habet. & loco Damulæ ſecundum Septuaginta interpretes legimus Δορκὰς, ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id eſt à videndo.

Vade ad formicam o piger, & conſidera uias eius, & diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Vſquequo piger dormis? quando conſurges à ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus ut dormias, & ueniet tibi quaſi uiator egeſtas, & pauperies quaſi uir armatus. Si uerò impiger fueris, ueniet ut fons meſsis tua, & egeſtas longè fugiet à te.

Formicæ vt apes cõmunicant laborem, ſed apes vtiles faciunt cibos, hæ condunt Et ſi quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullis portione vires eſſe maiores. Gerunt ea morſu. Maiora auerſæ poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Et iis reip. ratio, memoria, cura. Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant è terra. Maiora ad introitum diuidunt. Madefacta imbre, proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plena luna, eædem interlunio ceſſant. Iã in opere qui labor? quæ ſedulitas? Hæc Plinius libro II. naturalis hiſtoriæ capi. X X X. Salomon excitat pigrum ad laborem, eumq; monet vt ſomnolentiam ac ignauiam auerſetur, & quàm diligentiſsime cõſideret & miretur ſedulitatem & induſtriam formicæ, quæ nullo præeũte magiſtro, & abſq; peculiari duce in æſtate condit cibum vt hyemet. De qua dicit Horatius Serm. lib. I.

Paruula nam exemplo eſt magni formica laboris:

Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit aceruo. Deinde Salomon lethargo ſoporatis, ac inerti ocio ſepultis, frigidam aquã ſuffundit, vt veternoſum torporẽ ac pigrum ſomnum excutiant, cum ita ait, Vſquequo piger dormis, &c. Quid tandiu Endymionis ſomnum dormis? Quid pateris te molli culcitra laſciuire, & vires tui corporis eneruari? Nonne aliquando excitaberis, & labores ocio antepones? V'is ne floridam tuã iuuentutem oſcitantia & ſomnolenta torpedine reſolui, & omnino perire? Paululum ſi tuæ valetudini conſulere velis, dormitabis: & ſubitò ne in extremam inopiam recidas, franges ſomnum. Quòd ſi in peruigili labore ſedulus fueris, & ad galli cantum ad opus accerſitus, enerues corporis voluptates honeſto officio perdomueris, proſperè tibi ſuccedent omnia. Veteres pigritiam vſque adeo auerſati ſunt, vt luto pigros finerẽt obrui.

Eccleſ. 22. Vnde Eccleſiaſticus, In lapide luteo lapidatus eſt piger, & omnes loquẽtur ſuper aſpernationem illius. De ſtercore boum lapidatus eſt piger: & omnis qui tetigerit eum, excutiet manus. Sed quòd ſegnities & pigrum ocium ſit fons omnium malorum, & luxuriæ ac idololatriæ magiſtra, oſtendit Aaron in Exodo de perditiſsimis filiis Iſrael, qui

Exod. 32. inertiæ ac deliciis dediti, coluerunt vitulum. Sedit, inquit, populus manducare & bibe-

Deute. 32. re, & ſurrexerunt ludere. Et in Deuteronomio dicit Moſes, Incraſſatus, impinguatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Nemo etiã neſcit ocioſum facilè peccatum fornicationis incurrere. Nam qui ſolicitudinibus animum habet occupatum, non facilè fornicationi operam dat. Siquidem amoris definitio hæc eſt, animæ

Auguſtin. vacantis paſsio. Auguſtinus ſermone X V I I. ad fratres in eremo, exiſtimat ocium nihil aliud eſſe quàm viui hominis ſepulturam, quo rigorem ſanctæ & ſolitariæ religionis faſtidimus, & eremum ſæpe exire tentamur. Denique per ocioſitatem accendimur frequenter ad luxuriam, animamur ad ſuperbiam, & ducimur ad mundi gloriam. Et referendo quæ hic ſcribit Salomon de formica, quæ in æſtate grana colligere nõ deſiſtit, quibus viuere poſsit in hyeme, dicit, Non ſolùm ſeculares hoc attendere debent: ſed & nos qui Dei gratia in eremo ſumus, & in hac vaſta ſolitudine habitamus, formicarũ cõditiones debemus attendere, & eas ſummopere imitari. Laborare eni ſine intermiſsione debemus, vt fructum bonorum operum acquiramus in æſtate præſentis vitæ, tam ſolicitè & ſedulè, vt tempore hyemali, tempore frigoris & iudicij non fame pereamus, ſed bonis cunctis ornati, æternaliter reficiamur in patria. Et libro vno contra Adimãtum Manichæi diſcipulum capite X X I I I I. reprehendit Manichæos, quòd ex hoc Salomonis loco putauerint præceptum eſſe vt theſaurizemus in terra, vt etiam curemus hæc horrea. Carpit ſubinde & Adimantum, qui dicebat huic ſententiæ illud euangelij ad-

Matt. 6. uerſari: Nolite cogitare de craſtino. Et quod hic dicit Salomon, à Manichæis perperam intellectum, exiſtimat ſpiritaliter intelligendum eſſe. Quemadmodum enim formica minutulum equidẽ animal æſtate colligit, vnde in hyeme paſcatur: ſic vnuſquiſq; Chriſtianus in rerum tranquillitate, quam ſignificat æſtas, colligat verbum Dei, vt in aduerſitate & tribulationibus, quæ hyemis nomine ſignificantur, habeat vnde ſpiritaliter vi-

Deuter. 8. uat. Non enim in pane ſolo viuit homo, ſed in omni verbo Dei. Hæc ille. Vult Salomõ ne ignauia & pigro ocio obtorpeſcamus, quo ſanè nihil eſt fugibilius, vt honeſtis officiis occupemur, & in nobis ſit moderata bonorum temporalium ſolicitudo, ne magis rebus noſtris noceat pigritia paupertatis & penuriæ nutrix, q̃ miles armat⁹, & prædo ſcelera-

leratiſsimus. Cauendũ tamẽ eſt ne nimia & anxia cõgerendarũ opũ cura diſcruciemur.

❡ *Homo apoſtata uir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Huic extemplo ueniet perditio ſua, & ſubitò conteretur, nec habebit ultrà medicinam.)* Ille cenſetur apoſtata, qui à Deo, vel à fide aut à religione quam
profeſſus eſt, recedit. Angeli mali primùm apoſtatauerunt à Deo cum diabolo principe
ſuo, qui primum hominem per inuidiam ſerpentina fraude decepit, vt ſcribit Augusti-
nus libro X V. de Ciuitate Dei cap. X X I I I. & prius quiſpiam auerſione mentis diſce-
dit à Deo, quàm alios ſeducat, & inter fratres iurgia ſeminet. Niſi enim more ſuperbiẽ-
tis angeli à conſpectu conditoris prius intus cadat, ſoras poſtmodum vſque ad ſerenda
diſsidia non veniet. Et hic Salomon mirè ſuis coloribus apoſtatam ſeu ſchiſmaticum
depingit. Vir eſt inutilis, quia ſibi & aliis nocet. Graditur ore peruerſo, vitioſa ſiquidem
& inhoneſta verba profert, vt alios ſuis vitiis inuoluat. Annuit oculis, nã ſuperbis oculis
& elatis ſuam prodit apoſtaſiã, & vanos nutus viſu oſtendit. Terit pede, quia compoſito
greſſu ex elatione procedit. Digito loquitur, eò quòd loquendo digitum petulanter ex-
tendit & agitat: & hoc à domino reprehenditur apud Eſaiam, vbi ſcriptum eſt, Si deſie- Eſaiæ. 58.
ris digitum extendere, tunc orietur in tenebris lux tua. Aliquando tamen ſapientes lo-
quendo digitum extendunt & manum, ad excitandam audientium attentionem. Siqui-
dem Ioannes Baptiſta digitum extendendo Chriſtum monſtrauit. Ecce, inquit, agnus Ioan. 1.
Dei. Prauo corde machinatur malum, quia dedita opera & certa malitia cogitat qualiter
aliis nocere poterit. Omni tempore ſeminat lites & contentiones inter proximos: quod
ſane peccatum eſt grauiſsimum, charitati & paci omnino contrarium. Sed quæ ſemina- Gala. 6.
uerit, hæc & metet, & confeſtim ſuam ſentiet perditionem & damnationẽ, & morte im-
prouiſa conteretur, nec amplius poſt mortẽ habebit medicinam, ſcilicet pœnitentiam
ſalutarem. Quòd ſi in hoc mundo eum tandem pœniteat, non tamen facilè, quia du-
rum eſt illi aſſueta relinquere. Nec ab hac Salomonis ſententia diuerſum eſt quod in
Eſaia legimus, Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & Eſa. 3.
nutibus oculorum ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu
incedebant, decaluabit dominus verticem filiarum Sion, & crinem earum nudabit, &
pro ornamento erit ignominia. Adnotandum eſt apoſtatam latinè dici refugam & re-
cedentem à veritate: aliter ſchiſmaticum, qui nititur ſcindere vnitatem eccleſiæ. Paulus
aliquando orauit dominum vt in cordibus Corinthiorum nulla regnarent ſchiſmata, 1. Corin. 1.
ſed eſſent perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia: & ægrè tulit quòd inter eos eſ-
ſent cõtentiones. Nam alius dicebat, Ego ſum Pauli. alius, Ego autem Apollo. alius, Ego
verò Cephæ. alius, Ego Chriſti. quaſi verò Chriſtus à ſuis mẽbris eſſet diuiſus. Per ſchi-
ſma autem & diſſenſiones, quod vnum eſt, aboletur. Integrum enim ſi in multa diuidi-
tur, authore Chryſoſtomo locum illum enarrante, non modò non multa fiunt, ſed vnũ Chryſoſt.
abſumitur. Huiuſmodi eſt ſchiſmatũ natura. Dicit Auguſtinus libro primo de Baptiſmo Auguſti.
contra Donatiſtas cap. 11. de execrando ſchiſmatis vitio, quo charitatis vinculũ diſrum-
pitur, Nulli ſchiſmata facerent, ſi fraterno odio non excæcarentur.

❡ *Sex ſunt quæ odit dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.)*

Horrẽda ſunt ſex ſcelera & capitalia, quæ maximopere odit dominus & abominatur,
eius tamen anima ſeptimum deteſtatur, quòd aliis collatum longè grauius exiſtat. Nec
ex eo quod dicit autor animam domini ſeptimum deteſtari, debes colligere Deum qua-
tenus Deum propriè habere animam, ſed id humano more aut affectu de Deo dictũ pu-
tes, vt planè percipias Deum tota mente & plena intentione ſeptimum illud crimen
odiſſe, ſcilicet ſeminationem diſſenſionum inter fratres. Et in aliis ſacræ ſcripturæ locis
ſimilem locutionem reperimus: vnde in Eſaia dicit dominus, Calendas veſtras & ſolen- Eſa. 1.
nitates veſtras odiuit anima mea. quem locum ediſſerens Hieronymus dicit ἀνθρωπο- Hierony.
πάθως, id eſt, humano affectu, non quòd animam Deus habeat, ſed noſtro loquitur
affectu. Et alibi, Iurauit dominus Deus in anima ſua, dicit dominus exercituum,
Deteſtor ego ſuperbiã Iacob, & domos eius odi. Primò odit dominus oculos ſublimes, Amos. 6.

qui ſunt manifeſta elatæ ſuperbiæ indicia. Quid enim ſuperbo homine indigni⁹? quid tumore animi & elatione mentis ipſi homini nocentius? Quis denique non ipſam arrogātiam, qua homo ſui immemor, ſe ſuaque omnia cæteris longè anteponit, inſectaretur, & pluſquam Vatiniano odio perſequeretur? Nouimus in ſacris literis homines in ſuperbiā
Eſa. 2. elatos, à domino deiectos fuiſſe & icuruatos. Hinc in Eſaia ſcriptū eſt, Oculi ſublimis ho
Pſal. 17. minis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorū. Et alibi, Populum humilem ſaluū
Iaco. 4. & facies, & oculos ſuperborum humiliabis. Atque iterum, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus
1. Pet. 5 autem dat gratiam. Secundò odit deus linguam procacem, & mēdaciis diffluentem. Si-
Pſal. 5. quidem in pſalmis legimus, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Et in libro Sapiē
Sapi. 1. Eccle. 20 tiæ, Os quod mētitur, occidit animam. Dicit & Eccleſiaſticus, Opprobrium nequam in
Eſa. 28. homine mendacium. Etiam dominus per Eſaiam inquit, Et ſubuertet grando ſpem mēdacij, & protectionem. Nec, vt oſtendit Hieremias, confidendum eſt in verbis mendacij.
Hiere. 7. Ecce, inquit, vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt deos alienos quos ignoratis. Audi etiam quidnam Ezechiel referat de manu domini mendaciorum vltri-
Ezech. 13. ce: Quia locuti eſtis vana, & vidiſtis mendaciū, ideo ecce ego ad vos, ait dominus deus, & erit manus mea ſuper prophetas qui vident vana, & diuinant mendacium. Et in Oſee
Oſeæ. 4. vaticinio ſcriptum eſt, Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Mendacibus etiam Naū propheta ma
Naū. 3. lum imprecatur, dicens, Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena. Nec diu viuere poſſunt qui profundunt mendacia, nec eam viuunt vitam quam viuunt
Zacha. 13. amantiſſimi veritatis. Vnde dicit Zacharias: Non viues, quia mendacium locutus es in nomine domini. Denique quis ignorat Chriſtum odiſſe dæmonem mendaciorum
Ioan. 8. patrem, qui maximè gaudet cum confictis mendaciis nos ſeducit? Ille eſt qui in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo: & cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax eſt, & pater eius. Hoc etiam nephandiſſimo vitio Paulus notauit Ro-
Roma. 1. manos, qui ſuis addicti voluptatibus commutauerunt veritatem dei in mendaciū. Nec
Apocal. 21. ſubticet diuus Ioannes in ſua Apocalypſi illorum ſupplicia, qui mēdaciis & aliis delictis ſcatent. Timidis inquit, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Et eo ſqualet vitio mendacium, vt nunquam rectè fie-
Philoſo. ri poſsit. Nam vt dicit Philoſophus VII. capite IIII. Ethicorum, mendacium per ſe eſt improbum, quod totis viribus perſequi debemus. Et in illos ſeuetè animaduertendum eſt, qui veritatem mendacio violant. De omnimoda mendacij ratione, & an pudicitiæ & innocentiæ tuendæ gratia ſit aliquando mentiendum, abunde loquuti ſumus libro XI. noſtræ Theoſophiæ capite XII. Tertiò illos Deus odio proſequitur, qui ſponte &
Gene. 9. ex electione innocentis ſanguinem effundunt: de quibus dicit, Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius. Dixit et Chriſtus ad crucem properans Pe-
Mat. 26. tro, qui auriculam ſerui principis ſacerdotum amputauerat, Conuerte gladium tuum in locum ſuum. omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Et certè grauiſſimū admittit ſcelus qui iniuſte quempiam interficit. Nam eius vitam, quæ omnibus fortunæ diuitiis præferenda eſt, adimit. Id etiam cum charitate proximi pugnat. Quartò dominus illos habet odio, qui aduerſus illum quem diligere deberent, peſsimas & pluſquam
Iob. 5. peſtiferas cogitationes moliuntur. Sed diſsipat cogitationes eorum, ne poſsint implere manus eorum quod cœperant. Et de iſtis nocentiſsimis cogitationibus quibus Hieruſa-
Hiere. 4. lem geſtiebat, dicit dominus per Hieremiam, Vſquequo morabuntur in te cogitationes
Mich. 2. noxię? Et alibi, Væ qui cogitatis inutile. Quintò odit pedes veloces ad currēdum in malum, illos ſcilicet qui feruenti deſiderio & peruerſa conſuetudine feſtinant ad perpe-
Eſa. 59. tranda flagitia: de quibus dicit Eſaias, Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem innocētem. Cogitationes eorum, cogitationes inutiles. Sextò inſectatur odio teſtem fallacem proferentem mendacia. Nam ſubdola fraude & mendaciſsimis commentis proferens teſtimonium aduerſus proximum, non ſolūm peccat cō tra proximum, ſed etiam contra publicæ iuſtitiæ bonum, & obſtringitur reſarcire damnum

num illi quem læſit,& famam reſtituere. De falſis teſtibus qui falſo teſtabátur coram iu-
dice aduerſus Chriſtum,dicit pſalmographus in perſona Chriſti , Inſurrexerunt in me Pſal.26.
teſtes iniqui,& mentita eſt iniquitas ſibi. Et alibi,Surgentes teſtes iniqui , quæ ignorabã Pſal.34.
interrogabant me. Septimum vitium,& maxime execrandum, & quod tota mente de-
teſtatur Deus,eſt ſpargere ac ſeminare diſſenſiones inter fratres. Nam qui hac macula
polluitur,omnibus ſui animi viribus nititur vinculum pacis , quod omnium eſt ſum-
mum,& concordiam fraternæ vnitatis abrumpere. Et licet homicidium inter peccata
quæ fiunt in proximum,exiſtimetur eſſe grauiſsimum,eò quòd vitam aufert, tamen ſe-
rere diſcordias inter fratres,eoſque à charitate(quæ eſt donum ſpiritusſancti)diuellere,
maius eſt ſcelus. Nam huiuſce nocentiſsimi mali autor,aufert vitam, charitatem, & pa-
cem. Quòd ſi ex Paulo ſoliciti eſſe debeamus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pa- Epheſ.4.
cis, maximè debemus illum auerſari & reiicere, qui conatur huiuſmodi vinculum à
ſpiritusſancti gratia profectum effringere.

(Conſidera fili mi praecepta patris tui,& ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter , & circunda gutturi tuo. Cum ambulaueris, gradiantur tecum: cum dormieris, cuſtodiant te, & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna eſt, & lex lux, & uia uitæ increpatio diſciplinæ, ut cuſtodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extraneæ. Nõ concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum. Ne capiaris nutibus illius. Precium enim ſcorti uix unius panis eſt. Mulier autem uiri precioſam animam capit. Nunquid abſcondere poteſt homo ignem in ſinu ſuo, ut ueſtimenta illius non ardeant? aut ambulare ſuper prunas, ut non comburantur plantæ eius? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus cum tetigerit eam.)

Nos adhortatur ab obſeruandam patris cæleſtis,& noſtræ matris , ſcilicet ſanctæ ec-
cleſiæ legem,qua retrahemur ab obſcœna ſcortatione. Vult tamen vt ſanctiſsima Dei
præcepta noſtris animis infigantur,vt frequentius ea recolamus , & ne memoriæ exci-
dant:nec aliquò proficiſci debemus,niſi ipſorum præſidiis inſtructi fuerimus : nec tam
optare debemus vt nos comitentur,quàm quòd greſſus noſtros dirigant , ne à recta ſe-
mita deflectamus. quòd ſi iugi ſtudio,frequenti meditatione,& ſedula mente in eis ver-
ſemur,cum dormire cœperimus, aut grauis ſomnus obrepſerit,nos cuſtodient, & præ-
pedient ne à timore nocturno lædamur:& vbi primùm à ſomno excitati fuerimus, de-
mus operam vt nobiſcum colloquantur, & indicent nobis quidnam ſit proſequendum,
quid vero fugiendum. Hoc qui ſectabuntur inſtitutum,Dei gratiam ſibi comparabunt,
nec per deuia errorum diuerticula diuertent. Et prompta ſuppetit ratio cur expergefa-
cti debeamus familiare cum illis habere colloquiũ , ſitq; nobis neceſſarium cum eis lo-
qui,Quia mandatum lucerna eſt,de qua dicit Dauid,Lucerna pedibus meis verbum tuũ, Pſal.118.
& lumẽ ſemitis meis. Et quod ſubnectit Salomõ,Et lex,lux:illi prophetæ loco reſpondet,
Verbum tuum eſt lumen ſemitis meis. Et ex eo mandatum lucernæ comparatur , quia
illuſtrat hominem & dirigit ad bene viuendum. Et lex luci,quòd mentẽ illuminet. De-
nique increpatio diſciplinæ,correctio ſcilicet fraterna , eſt caſtigato via vitæ , quòd ea
duce pertingat ad vitam gratiæ & gloriæ. Nam per moderatam increpationem ad viã
ſalutarem reducitur,& ad Dei gratiam à qua exciderat,redit. Vnde dicebat Iob, Incre- Iob.5.
pationem domini ne reprobes,quia ipſe vulnerat & medetur:percutit,& manus eius ſa-
nabunt. Et alibi,Deus inſtruit diſciplina,vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet Iob.33.
eum de ſuperbia,eruens animam eius à corruptione , & vitam illius vt non tranſeat in
gladium. Quòd ſi ſumma cum diligentia Dei præcepta cuſtodieris , te à muliere mala,
ſcilicet fornicaria,& à blanda lingua extraneæ,videlicet adulteræ , protegent. Et ex eo
adultera cenſetur extranea, quòd fracta coniugij fide,ſe à viro alienat,aut cum viro ex-
traneum recipit. Quòd ſi velis ab eius lenociniis abduci , eiuſque laqueos effugere , ca-
ueto ne pulchritudinem eius cor tuum concupiſcat,id eſt, ne titillatum illicitæ concu-
piſcentiæ conſentiat,& poſt ardorem concupiſcentię fœda libidine perfruatur. Nec ve-
tat videre pulchritudinem eius,quia naturale eſt intueri mulierem : ſed vetat ne eam
concupiſcas. Et hoc ſanè nobis prohibuit Chriſtus,dicens in euangelio Matthæi , Au- Matt.5.
diſtis quia dictum eſt antiquis,Non mœchaberis. Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui
viderit mulierem ad concupiſcẽdum eam,iam mœchatus eſt eam in corde ſuo . Quem
locum enarrans Hieronymus dicit , Inter πάθος & προπάθειαν,id eſt inter paſsionem Hierony.

& propaſsionem,hoc intereſt,quòd paſsio reputatur in vitium:propaſsio licet vitij cul-
pam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem,& anima eius
fuerit titillata, hic propaſsione percuſſus eſt. Si verò conſenſerit,& de cogitatione
Pſal.72. affectum ſecerit,ſicut ſcriptum eſt in Dauid, Trãſierunt in affectum cordis:de propaſ-
ſione tranſiuit ad paſsionem,& huic non voluntas peccandi deeſt,ſed occaſio.Quicun-
que igitur viderit mulierem ad concupiſcendum,id eſt ſi aſpexerit vt concupiſcat,vt ſa-
cere diſponat,iſte rectè dicitur eam mœchari in corde ſuo.Hæc ille.Erat etiam in vete-
ri lege prohibita concupiſcentia vxoris alterius.Nam in Exodo ſcriptum eſt,Non de-
Exo.20. ſiderabis vxorem proximi tui.Monet ſubinde Salomon vt non capiaris nutibus adul-
teræ,quæ ſubrigit oculos,vt carnem tuam prurientem ad ſe rapiat, & huiuſmodi ſignis
te ad luxuriam alliciat.Et ſi velis ab iſtis rei venereæ incitamentis præcauere, ora domi-
Pſal.118. num,& dicas,Auerte oculos meos ne videant vanitatem.Huic Salomonis ſententiæ cõ-
Ecleſi.9. ſentaneum eſt quod dicit Eccleſiaſticus,Ne reſpicias mulierem multiuolam,ne forte in-
cidas in laqueos illius. Virginem ne conſpicias,ne ſorte ſcandalizeris in decore illius.A-
uerte faciem tuam à muliere compta,& ne circunſpicias ſpeciem alienam.Propter ſpe-
ciẽ mulieris multi perierunt,& ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.Speciẽ mu-
lieris alienæ multi admirati,reprobi facti ſunt.colloquium enim illi⁹ quaſi ignis exarde-
ſcit.Et alibi,Fornicatio mulieris in extollentia oculorum,& in palpebris illius agnoſce-
Ecleſi 26 tur.Dicit etiam beatus Petrus de impudicis,Oculos habent plenos adulterij. Quòd au-
2.Pet.2. tem nihil ſit meretrice vilius,nihil denique abiectius, iis verbis percipere poteris. Preciũ
ſcorti vix vnius panis eſt.Nam minimo labore & maxima voluptate facit quæſtũ,& mo-
dici eſt valoris quod datur meretrici ſe omnibus proſtituenti:quæ tamen ſua inexplebi-
li procacitate argentariam ſalutem ab amaſio quotidianam depoſcit, exenteratque
ſuis blanditiis,vafritiis,& illiciis,amatoris marſupium:cui tandiu arridet,quandiu habet
quod det:vbi verò deſpoliatus inopia argentaria laborat, contemnitur. Et quia viliſ-
ſimum eſt ſcorti precium,& maximum fornicationis damnum,idcirco toto animi ſtu-
dio debemus obſcœnas meretrices contẽnere, & earum commercium ſummopere fu-
Beda gere.Beda hunc enarrans locum dicit,Recordare quia breuis voluptas eſt fornicatio-
nis,& perpetua pœna fornicatoris. Sicut enim vnus panis diurnam ſolùm effugat eſu-
riem,& nihilominus poſtmodum eſurit,qui comeſto pane ſatur abſceſſerat:ſic qui in-
trat ad ſcortum,ad horam quidem euaporat libidinem,ſed poſt paululum ardentior re-
dit.Hæc ille.Siquidem priſtinæ voluptatis & inexhauſtæ libidinis recordatio adurit ho-
minem,& cõpellit vt ad ſpurciſsimam luxuriam redeat. De vilitate & contemptu ſcorti
dicit Eccleſiaſticus:Omnis mulier quæ eſt fornicaria,quaſi ſtercus in via conculcabitur.
Quòd autem precioſam & nobiliſsimam viri animam rapiat,& ad gehennam ignis de-
Eccleſ.9. trudat,idem oſtendit dicens,Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ,ne ingrediatur in
Ibidem virtute tua,& confundaris.Rurſum,Cum aliena muliere non ſedeas omnino,nec accũ-
bas cum ea ſuper cubitum, & non alterceris cum illa in vino,ne forte declinet cor tuum
in illam,& ſanguine tuo labaris in perditionem. Et eleganti ſimilitudine probat autor
illum qui adulterium committit,non carere macula. Quemadmodum non poteſt ho-
mo abſcondere ignem in ſinu ſuo,vt eius veſtimenta non ardeant,aut ambulare ſuper
prunas,& eius plantæ non comburantur:ita qui ingreditur ad mulierem proximi ſui,
Auguſtin. non erit mundus cum tetigerit eam. Hæc ediſſerens Auguſtinus libro vno de Honeſta-
te mulierum,capite III. & cum dolore cõſiderans extremam miſeriam eorum qui mœ-
chantur,dicit,O quanta iniquitas,o quanta peruerſitas,vt animam quam Chriſtus ſuo
ſacro ſanguine redemit,luxurioſus quiſque propter vnius momenti delectationem li-
bidinis diabolo peſsimo inimico ſuo vendat ac tradat? Vere nimium miſeranda & plã-
genda conditio eſt,vbi cito præterit quod delectat,& permanet ſine fine quod cruciat.
Sub momento enim libidinis impetus tranſit,& permanet ſine termino animæ infœ-
licis opprobrium. Et capite IIII.mouet argumentum illorum qui dicunt quòd poſt
delectationem libidinis pœnitentiam agent: illudque in illos retorquendo diſſoluit.
Sed dicit aliquis,Iuuenis homo ſum,faciam quod me delectat modò,& poſtea pœniten
tiam agam. Quomodo ſi dicat, Percutio me crudeli gladio, & poſtea vadam ad
medicum

medicum,Heu miſer homo,neſcis quòd vnius horæ puncto vulnus accipitur, ſed vix longo tempore ad ſanitatem priſtinam reuocatur?Qui enim fornicans dicit pœnitentiam ſe acturũ,quare non timet ne eum ſubitanea febricula,vel aliquo caſu ſubita mors ſuperueniens rapiat,& pereat dilatio,& ſuccedat æterna damnatio?

¶ *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit. furatur enim ut eſurientem impleat animam: deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domus ſuæ tradet, & liberabit ſe. Qui autem adulter eſt propter cordis inopiam, perdet animam ſuam. Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus & furor uiri non parcet in die uindictæ, nec acquieſcet cuiuſquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.)* Tametſi furtum in ſe conſideratum,ſit graue peccatum,eò quòd lege prohibitum erat,dicente domino,Non furtum facies: cũ tamen adulterio confertur,non grandis eſſe culpæ perhibetur,ſicut Hieruſalem grauiſsimè delinquenti dicitur,Iuſtificata eſt Sodoma ex te. non quòd Sodoma vitiorum ſentina,nulla peccata admiſiſſet,ſed quia Hieruſalem longe grauiora & acerbiora perpetrauerat. Et iuſtam rationem aſsignat Salomon cur furtum adulterio comparatum,exigui videatur eſſe delicti. Qui enim furatur,eo potiſsimum fine alienum ſurripit, vt eſurientem ventrem paſcat,& ſuam ſubleuet inopiam, & in furto deprehenſus paratus eſt reſarcire damnum,& reddere ſeptuplum,quemadmodum de furto reſtituendo dicitur in Exodo,Si quis furatus fuerit bouem aut ouem,& occiderit vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet,& quatuor oues pro vna oue. Licet hic maiorem ſolutionem taxet,vt homines à furto cohibeantur. Poterat enim à regibus fieri additio præceptis iudicialibus ſecundum exigentiam temporis. Aut hic numerus determinatus ſumitur pro indeterminato,vt ſit ſenſus,reddet ſeptuplum, id eſt, plene ſatiſfaciet. Vult etiã, qui ſuſtulit alienum,omnem ſubſtantiam ſuæ domus aut maiorem ſuorum bonorum partem exhibere pro reſarcienda iactura,& pro ſui redemptione. Qui autem adulter eſt,perpetrato ſcelere perdit animam ſuam,non defectu rei neceſſariæ,aut externorum bonorum inopia,ſed propter defectum rationis & imbecillitatem,quæ obrepentẽ concupiſcentiam reprimere deberet,non tamen reprimit. & hæc rationis negligẽtia ab authore vocatur cordis inopia. Idcirco turpitudinem & ignominiam ſibi comparat. ſiquidem vitia carnis maximam nobis infamiam incutiunt,& opprobrium ignominioſum,quod abſoluto vitæ curriculo nunquam expiabitur. Et zelus, id eſt amor & deſiderium iuſtæ vindictæ,& furor viri,id eſt Dei omnipotentis,iudicis quidem ſummi,qui fuit ſponſus & vir ſynagogæ,vt ex veteri teſtamento notum euadit, non parcet adultero in die extremæ vindictæ. Nec etiam Deus incarnatus,qui verè eſt vir, iudicaturus in die iudicij adulteros & ſceleratiſsimos quoſque,tam nephãdo ſceleri parcet. Dicit enim Paulus, Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Nec acquieſcet cuiuſquam precibus,vt ignoſcat impiis:quia tunc temporis reddet vnicuique ſecũdum eius opera:nec erit locus veniæ,ſed retributioni & iuſtitiæ. Nec placabitur donis pro redemptione impij,& liberatione à pœnis, ſicut in lege ſacrificiis & donis placabatur. Vnde dicit Dauid,Non dabit Deo placationem ſuam,& precium redemptionis animæ ſuæ. Alia poteſt aſsignari ratio cur adulterium ſit furto grauius. Quanto enim res eſt magis dilecta, & quidem ſyncero amore,tanto is qui huiuſmodi amorem euellit, grauius peccat. Sed vxor magis diligitur à viro ſuo, quàm bonum fortunæ. ergo adulter hunc internum amorem diuellens, grauius peccat quàm qui bonum fortunæ ſurripit. Etiam vxori fit iniuria: & illi à quo res ſublata eſt, duntaxat damnum incutitur. Adde quòd ex adulterio plerunque ſubſtituuntur falſi hæredes: quod ſanè pulcherrimum iuſtitiæ ordinem peruertit.

Marginal references: Exod.20. — Ezech.16. — Exod.22. — Hebr.13. — Mat.16.& Roma.2. — Pſal.48.

ARGVMENTVM SEPTIMI CAPITIS.

Sæpiuſcule cæleſtis ſapientia te ſummo cum feruore cohortatur ut rectum uiuendi inſtitutum amplexeris, & ſtudeas pro uirili diuinæ legis ſemitas ſectari. ſummum Deo honorem impendas, ſublimemq́; eius maieſtatem ſuſpicias, & præ cæteris rebus timeas dominum offendere. Si diu uelis & corporis & animi incolumitatem tueri, fac ut ſumma neceſsitudine & ſyncero amore diuinæ Sophiæ copuleris, eamq́; exiſtimes

tibi eſſe & ſororē & amiculā, ut à garrula, procace & impudica meretrice te cuſtodiat, quæ pulcherrimis ornamentis exculta, & ſuis blanditiis ac retibus inſtructa, ubique locorum tibi inſidiatur, ut te amoris pedicis irretiat, cuius ſagittis multi uulnerati, grauem ſuæ animæ iacturam fecerunt, & infelicißime mortui ſunt.

CAPVT SEPTIMVM.

FIli mi cuſtodi ſermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili honora dominum, & ualebis: præter eum uerò ne timueris alienum. Serua mandata mea, & uiues. Et legem meam quaſi pupillam oculi tui. Liga eam in digitis tuis, ſcribe illā in tabulis cordis tui. Dic ſapientiæ, ſoror mea es: & prudentiam uoca amicam tuam, ut cuſtodiat te à muliere extranea, & ab aliena, quæ uerba ſua dulcia facit.)

Sapientia eo amore in ſuos flagrat, vt nō ceſſet eos ſuæ ſalutis admonere, & ſanctiſsima dei præcepta diligēter obſeruare. Et hoc vnū animo verſare debent, vt ſciant ſe maximi commodi gratia dei leges recepiſſe, vt nullo ſibi fuco excuſationem prætexant, cum eas ſpontanee tranſgreſsi fuerint. Seruus enim
Luce.12. qui cognouit voluntatem domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum voluntatem eius, vapulabit multis. qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit
Iaco.4. paucis. Et alibi, Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi. Et vt frequētius in diuinis legibus mediteris quid tibi prodeſſe poſſint, eas in meditullio tui pectoris re-
Eccleſ.38. conde. altiſsimus enim tibi dedit ſuarum legum ſciētiam, & cognitionem ſui exquiſitiſsimi artificij, vt eum in ſuis mirabilibus honorares. Is autem dominum honorat, qui eum ſummè colit, & cultu latriæ adorat, ac ei potiſsimum & inter omnia inſeruit. Scriptū eſt
Deute.6. enim: Dominum deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies. Etiam cenſetur homo deum ho-
Pſal.49. norare, quando ſacrificium ſummæ laudis ei litat. Dicit enim Pſalmographus, Immola deo ſacrificium laudis. Iterum, Sacrificium laudis honorificabit me. Verè etiam hono-
Deute.6 Mat.22. ramus deum, quando eum ſuper omnia diligimus, ſicut ſcriptum eſt, Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Nempe adhoc conditi ſumus, vt creatorem noſtrum toto affectu totiſque viribus honoremus.
2 Maccab.15 Vnde in II Maccabæorum libro ſcriptum eſt, Honora eum qui vniuerſa conſpicit. Verùm nobis præcauendum eſt, ne cum honoramus deum, animus à labiis diſsideat. Si-
Math.15. Eſa.29. quidem Chriſtus reprehendit teſtimonio Eſaiæ ſcribas & phariſæos, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lōge eſt à me. quòd huiuſmodi hypocritæ irritum fecerant præceptum dei de honorandis parentibus, propter ſuas vafras traditiunculas. Quòd ſi requiras præmium quod tibi rependi debeat quòd honoraueris deum, hoc habebis ſanè cumulatiſsimum: Proſperè valebis, nō tam corpore quàm animo. Nec ſolùm tuis honeſtis conatibus gratia dabitur, verumetiam æterna beatorum gloria, etiam cum fœnore: quod ſanè ex ſacris literis conſtare poteſt. Cum enim Petrus euangelicæ paupertatis ſtudioſiſsimus, audita Chriſti de diuitibus ſententia, quòd admodum difficile ſit illos ſaluari, dixiſſet ſuo præceptori, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid
Mat.19. ergo erit nobis? Ieſus dixit, non ſolum Petro, ſed & aliis commilitonibus, Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut vxorē, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Quòd ſi deum vt oportet honoraueris, ſummè & primariò eum timebis: nec ſolum propter æternos cruciatus, verumetiam quia ſua infinita beneficentia te creauit, tibique præclaras animi dotes quibus præfulges, contulerit. Et hoc ſacra eloquia patefa-
Deute.6 ciunt. Siquidem locus ille Deuteronomij, Dominum deum tuum timebis, indicat planè timorem hominum minimè dei timori conferendum eſſe. Etiam manifeſte monſtrat Eſaias nos non debere concuti timore & pauore coniuratorū, ſed ipſum omnipotētem
Eſa.8. Deū nobis eſſe timorem. Ne dicatis, inquit, Coniuratio. Omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt. Et timorem eius ne timeatis neque paueatis. Dominum exercituum ipſum ſanctificate, & ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter. Et longè magis debemus

mus timere deum quàm tumentes ſuper nos fluctus : quod ex verbis Iob facilè colligere Iob.31.
poſſumus,qui dicebat,Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus timui deum,& pon
dus eius ferre non potui.Et quod hoc in loco exprimit Salomon,Præter eum verò ne ti-
mueris alienum,ampliſsime declarauit Chriſtus in euangelio Matthæi dicens,Et nolite Mat.10.
timere eos qui occidunt corpus,animam autem non poſſunt occidere:ſed potius time-
te eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Tantilla hæc particula,
potius,exprimit & abunde euncleat ſententiam Salomonis . Non enim voluit innue-
re vt nullo modo principes & iudices huius mundi reformidaremus (ſiquidem dicit
Paulus,Principes non ſunt timori boni operis,ſed mali. Vis autem non timere poteſta- Roma.13.
tem?Bonum fac,& habebis laudem ex illa) ſed quòd potiſsimum & ſummè deũ timea-
mus.& ratio aſsignari poteſt.Cum enim infinitum ſit malum ab eo ſeparari,abſque vl-
la comparatione erit à nobis maxime timendus,timore præſertim caſto.dicit enim Pau
lus in epiſtola ad Hebræos,Horrẽdum eſt incidere in manus dei viuentis. Deinde quod Hebr.10.
autor ſubnectit,Serua mandata mea,& viues,detegit(vt iam alio in loco declarauimus)
vitam hominis cum corpoream tum ſpiritalem à propenſiſsima diuinæ legis obſerua-
tione pendêre.Et ſicut pupilla hominis ſui itineris directrice nihil optabilius eſt,ita di-
uina lege noſtrorum bonorum operum luce fulgidiſsima amabilius eſt nihil. Huic lo-
co,Liga eam in digitis tuis , &c. illud Deuteronomij reſpondet , Eruntque verba hæc Deute.6.
quæ ego præcipio tibi hodie,in corde tuo,& narrabis ea filiis tuis,& meditaberis ſedens
in domo tua , & ambulans in itinere,dormiens atque conſurgens:& ligabis ea quaſi ſi-
gnum in manu tua,eruntque & mouebuntur inter oculos tuos,ſcribeſque ea in limine
& oſtiis domus tuæ.Et vbi diuinis legibus lubenter obtemperaueris,maximam tibi cõ-
parabis amicitiam cũ ipſa ſophia, eique arctiſsimo neceſsitudinis vinculo copulaberis.
Hãc nõ minus q̃ tuã germanam ſororẽ deamabis,vti in Sapientiæ libro ſcriptum eſt: Sapi.8.
Hanc amaui,& exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere,
& amator factus ſum formæ illius.Et prudentia tibi erit amica, vt nihil deſideres quod
feruẽtiſsimæ charitati ipſi⁹ ſapiẽtiæ ſit contrariũ:& eo lubentius eã diliges ,quo tuis reb⁹
agendis propenſius conſulet & patrocinabitur,tuoſque affectus cum ipſa ratione com-
ponet & ſedabit,ne blãdiſsimis adulteræ verbis capiaris,& ad vxorẽ tui proximi hinnias.

¶ *De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi , & uideo paruulos.Conſidero uecordem iuuenem qui tranſit per plateas iuxta angulum,& prope uiam domus illius graditur,in obſcuro,aduesperaſcente die, in noctis tenebris & caligine.Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio.præparata ad capiendas animas, garrula & uaga,quietis impatiens , nec ualens in domo conſiſtere pedibus ſuis,nunc foris , nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians:apprehenſumq́; deoſculatur iuuenẽ, & procaci uultu blanditur,dicens,Victimas pro ſalute deuoui,hodie reddidi uota mea,idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum,deſiderans te uidere,& reperi.Intexui funibus lectum meum,ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto ,aſperſi cubile meum myrrha ,aloe,cinnamomo. Veni inebriemur uberibus,& fruamur cupitis amplexibus donec illuceſcat dies. Non eſt enim uir in domo ſua,abijt uia longiſſima . Sacculum pecuniæ tulit ſecum.In die plenæ lunæ reuerſurus eſt in domum ſuam.)* Affabre technas ſcortorum depingit,quibus cæco amore capti & in libidinem dif-
fluentes irretiũtur.De feneſtra,inquit,domus meæ per cancellos & occultas rimulas pro-
ſpexi quæ foris turpiter & obſcœnè geruntur,& conſidero quendam iuuenem moribus
quidem,& qui ſequitur ſuas perturbationes & voluptates:vecordem,id eſt inſenſatum,
& ſuis adactũ concupiſcentiis,& quaſi ſine corde & animo exiſtentem.Siquidem forni-
catio & ebrietas cor nobis adimunt.Qui tranſit per plateas & latã viã,quæ ducit ad per- Mat.7.
ditionem,iuxta angulum,vt commodius quam deperit intueatur,& occultius cum ea de
re impudica colloquatur . Et prope viam domus adulteræ graditur adueſperaſcente
die,& in tenebroſa noctis caligine.Oculus enim adulteri obſeruat caliginem . Et ecce
occurrit illi mulier ad captandam eius beneuolentiam ornamentis meretriciis exorna-
ta,vt auidius concupiſcentiam accendat:præparata ad illaqueandum ſuis pedicis ſimpli-
ciũ animas.Garrula,quod ſane illi proprium eſt , vt ſua dicaciſsima loquacitate facilius
petulantiſsimam iuuentutem fallat. Vaga , nam ſua inſtabilitate vbique vagatur,&
huc atque illuc rapitur.Impatiens quietis , per impudicos corporis & geſtus & tactus.
Etenim furor libidinis & incendium , ac quæſtus auiditas , non ſinit meretricem

quieſcere. Nec valet in domo conſiſtere pedibus ſuis, quia ſemper diuertit ad loca inho-
neſta, & impudica ſpectacula. Nũc foris inſidiatur, nunc in plateis, verſutè perquirens
quonam pacto amatorem ad ſe pelliciat. Huic loco ſimile eſt quod dicit Paulus de ado-
1 Timo.5. leſcentioribus viduis. Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes
damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. ſimul autem & ocioſæ diſcunt cir-
cumire domos, non ſolum ocioſæ, ſed & verboſæ, & curioſe loquentes quæ non opor-
tet. Et quum primum laſciuum iuuenem ad ſe pertraxit, in eius oſcula maximo cum
gaudio irruit, eiq́; vultu procaci & obſcœno blanditur, dicens, Victimas pro ſalute de-
uoui,: hoſtias ſcilicet pacificas & ſalutares pro obtinenda à Deo ſalute mea. Et hodie
reddidi vota mea:) id eſt, quæ Deo pollicita fueram, exolui: quaſi velit innuere, ſum Deo
grata, & ideo non reformides mecum coniungi, & meis frui amplexibus. Hoc ſanè laſci-
ui imitantur, qui poſtquam ſacram euchariſtiam in die Paſchæ receperunt, ſtatim ad
Prouer 26 ſuas obſcœnas voluptates reuertuntur: quibus vere contingit illud Prouerbij, Canis re-
& 2.Petr 2. uerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Idcirco dicit fallax illa adultera,
Egreſſa ſum in occurſum tuum, & ſummopere cupio te videre. Intexui funibus lectu-
lum meum, vt ſit mollior. Straui tapetibus pictis ex Aegypto, vt tui oculi tententur il-
lecebra, & nihil futuræ libidini deſit. Aegyptij inuenerunt textilia, authore Plinio li-
Plinius. bro VII. Naturalis hiſtoriæ capite LVI. Et claruit Aegyptus elegantiſsimis tapeti-
bus, claruerunt & Alexandria & Aſſyria, qui inde Aſſyrij & Alexandrini vocantur.
Aſperſi cubile meum myrrha, aloe, cinnamomo, flagrantiſsimis ſcilicet odoribus, &
ſpeciebus aromaticis. Myrrha, quam Græci ſmyrnam appellant, in Gallia officiniſ-
que nomen retinet. Arborem alij alia ſpecie repræſentant, quia forte haud vna ſpe-
ctetur effigie. Eſt guſtu amaro, acri, odorato, calido. Myrrha concalfacit, caput ſo-
pore grauat, agglutinat, adſtringit, reſiccat. ex ea fit vnguentum odoratiſsimum,
cuius ſpecies condiendis mortuorum corporibus apta dinoſcitur. Aloe eſt odore gra-
ui, & guſtatu amariſsima: cuius natura eſt ſpiſſare, denſare, & leniter calfacere, vt vult
Plinius libro XXVII. Naturalis hiſtoriæ capite IIII. Vſus in multis & principalis
aluum ſoluere, cum penè ſit ſola medicamentorum quæ per ſe id præſtant. Confir-
mat etiam ſtomachum, adeò vt non infeſtet vlla vis contraria. Cinnamomum frutice
breui, repreſſo atque humili naſcitur, ſurculoſoque, duûm cubitorum altitudinem
non excedente, arido ſimili, folio origani. ſiccitate gaudet: quum viret, parum odo-
ratum, ſterileſcens imbre. Gignitur quidem in pluuiis, ſed denſiſsimis in vepribus
rubiſque, difficile collectu. caput acrimonia tentat, & coctum ſuo odore nares validè
ferit. Subiungit Salomon, Veni, inebriemur vberibus, &c.) Accede ad me, opto te
vehementer oblectare. Satiemur igitur vberibus, & ſuauiſsimo amore perfruamur,
donec illuceſcat dies. Nec tibi ex viro meo periculum imminet. nam pecuniis onuſtus
abiit mercatum, & duntaxat in plenilunio reuertetur in domum ſuam. Aliter legunt
Septuaginta interpretes, δι ἡμερῶν πολλῶν ἐπανήξει εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Hoc eſt, per dies mul-
tos reuertetur in domum eius. Dicit Lyranus in Hebræo haberi, In termino conſtitu-
to, qui adhuc ſatis diſtat. Et demiratur cur interpres verterit, in die plenæ lunæ: niſi
quia antiquitus gentiles qui credebant omnia iſta inferiora à corporum cæleſtium diſ-
poſitione & motu pendere, redeuntes à mercationibus, libenter intrabant domos pro-
prias in plenilunio, vt plenitudo lucri ſequeretur. Vnde in quibuſdam locis Chriſtia-
ni volentes enceniare (vt ait) domum nouam, vel mutare domicilium, id non fa-
ciunt libenter in deliquio Lunæ, ne ſequatur defectus bonorum temporalium, ſed
faciunt in augmento Lunæ, aut plenilunio, vt ſequatur plenitudo bonorum. Et hoc
ſanè ſuum ſapit paganiſmum.

¶ *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad uictimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans quòd ad uincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius, uelut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quòd de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili audi me, & attende uerba oris mei, ne abſtrahatur in uiis illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius. Multos enim uulneratos deiecit. Et fortiſsimi quique interfecti ſunt ab ea. Viæ inferi, domus eius, penetrantes interiora mortis.)* Adultera illa multis verborum blandimentis

quicquid

quicquid voluit iuueni in libidinem deſpumanti facilè perſuaſit, eumq́ue tandem ſuis retibus inuoluit, inuolutum ad victimam vſque, vt omnino iugularetur, tanquam bouem perduxit: nec minus ſuis impudicis deſideriis laſciuiens ad perditionem trahitur, quàm agniculus ludens ac diſcurrens ad macellum ducatur: & factis experitur quod dicit propheta, Homo cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Et ſuarum voluptatum pedicis irretitus, ac ſuæ ſalutis prorſus immemor, ignorat quòd ad vincula æterni ſupplicij, à quibus nunquam extricabitur, ſenſim pertrahatur, donec acutiſsima Cupidinis ſagitta eius præcordia transfixerit, & mentē ipſam tranſuerberauerit, aut donec perſenſerit ſe vltricibus dei ſagittis vulneratum eſſe. Vnde ſcriptum eſt, Sagittas meas complebo in eis. Et quemadmodum *Deuter.32.* piſcis ineſcatur hamo, & auis eſcam apperēs incidit in laqueum: ita iuuenis ille ſpurciſſimæ voluptatis auidiſsimus, cæco veneris amore illaqueatur, &, quod maxime deplorandum eſt, vſque adeo inſanit & delirat, vt non animaduertat quāto perpetuæ ruinæ diſcrimini animam ſuam ſubiiciat. O miſerum iuuenem, cuius momentanea voluptas corpus eneruat, & animam ipſam contaminat: de cuius reſipiſcentia ſpes nulla eſt, niſi monitis ſapientiæ paruerit, præcipientis vt non ſectetur veſtigia adulteræ, quæ multos etiam ſapientiſsimos ac fortiſsimos vulnerauit, vulneratos in lacum inferni detruſit. Et id cum ex prophanis tum ex ſacris ſcripturis compertum eſt. Mileſij qui quōdam pręclara corporis fortitudine cæteris præcellebant, luxu defluentes omne virilitatis robur perdiderunt: vnde vulgatum adagiū de eneruatis & effœminatis libidine, Olim fortes fuere Mileſij. Molles delicię Sardanapalum Aſſyriorum regem corruperunt, qui eò illecebrarum ſe demiſit, vt relicta maieſtate regia, & poſitis maſculi ſexus indumentis, mentitus ſit fœminam, interq́ue puellas & eunuchos euiratior ſpadone delituerit. Nemo etiam neſcit Sanſonem, Dauid, & Salomonem, à mulieribus obnubilatos fuiſſe & deluſos, quarum domicilia viæ ſunt deſcēdendi ad inferos, penetrantes profundiſsima inferni ſupplicia. *Iudi.4. 2.Reg.11. 3.Reg.11.*

ARGVMENTVM OCTAVI CAPITIS.

Sapientia in ſummo uertice collocata, ſui amantiſsimis ſanam prædicat doctrinam, & ad omnes indiſcriminatim ſuam uocem effundit, quibus ſuadere nititur ut uirtutem colant, & uitia deteſtentur, & ita ſuos affectus componant, ut auro & argento cunctiſque opibus ſelectiſsimum ſophiæ theſaurum anteponant, quo præmuniti non ſolum ſibi rectè conſulent, ſed & aliis maximo erunt adiumento. Hac denique uirtute ſuffulti, ſolum quod honeſtum eſt ſequentur, arrogātiam uerò, & faſtum animi, ac omne uitiorum genus execrabuntur. Hanc etiam ueram & germanam uirtutem maximopere diligentes diteſcunt, & bonis omnibus abundant. Nec qui ampliſsima regni gubernacula moderantur, ſuis ut decet abſque ſapientiæ conſilio præficiuntur. Nec prudentiſsimi legum conditores non huius patrocinio adiuti iuſta decernunt: cuius ſemitas qui ſectantur, in beatorum numerum cooptantur, & opportuno tempore æternam a domino ſalutem obtinebunt.

CAPVT OCTAVVM.

NVnquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat uocem ſuam? In ſummis excelſiſque uerticibus ſuper uiam in mediis ſemitis, ſtans iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus loquitur dicens: O uiri, ad uos clamito, & uox mea ad filios hominū: Intelligite paruuli aſtutiam, & inſipientes animaduertite. Audite quoniam de rebus magnis locutura ſum, & aperientur labia mea ut recta prædicent. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea deteſtabuntur impium. Iuſti ſunt omnes ſermones mei, non eſt in eis prauum quid, neque peruerſum. Recti ſunt intelligentibus, & æqui inuenientibus ſciētiam. Accipite diſciplinā meā, & nō pecuniā: doctrinā magis quàm aurū eligite. Melior eſt enim ſapientia cūctis opibus precioſiſsimis, & omne deſiderabile ei non poteſt comparari. Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Timor domini odit malum. Arrogātiam & ſuperbiā, & uiam prauam, & os bilingue deteſtor. Meum eſt conſilium & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo.) Huiuſce capitis exordiū bona ex parte iam declaratū eſt, & eandē cum illis verbis, Sapientia foris *Prouer.1.*

prædicat, in plateis dat vocem ſuam, præ ſe fert intelligentiam, frequenter clamat, & in aures auditorum quæ ſancta ſunt & vtilia inſonat. Nec ad vnū duntaxat, ſed ad omnes ſuum inflectit ſermonem. Improborum mores taxat & increpat. Bonorum verò frugalem vitam, & recta honeſtæ vitæ officia commendat & extollit. Si altius mentem ſubrigere velis, & quæ myſtica ſunt penetrare, dices filium Dei (qui vera eſt & ſumma ſapientia) ſæpiſsime ad populum clamitaſſe, & abſque vllius perſonæ acceptatione palàm
Ioan. 18. ſacrum euangelium prædicaſſe, & nihil in occulto dixiſſe, vt liberius hominum vitia inſectaretur, minuſque Phariſæorum & Scribarum calumniis & inuidiæ pateret. Nec ſapientia concionando abſque prudentia dat vocem ſuam ad populum, vt nobis ſignificet nos non debere temere, indiſcrete & præcipitanter conſcendere ſuggeſtum & cathedram illam prædicationis, quæ doctiſsimum cōcionatorem & compoſitiſsimum requirit. Non enim qui apud vulgus imperitiſsimum magis clamat, aut potius ſpumantibus labris vociferatur, & acriter vitiis inſultat, cenſendus eſt propterea concionator optimus. nam plerunque ſua battologia magis ferit aures quàm demulceat: & cum abſque vllo prudentiæ freno in ſcelera populi excādeſcit, magis officit q̄ proſit: offendiculum parit, & nihil quod ædificet dicit. Putat ſe auditoribus ſatisfeciſſe, ſi percuſſa pugno cathedra, in hæreticos tumultuarie deſæuierit, & viros probos & doctos conuitiis læſerit: & ignorat plerunque perturbatus quid dicat, & de quibus loquatur. Habeto igitur prudentiam tuæ concionis directricem, ſi velis decenter ad laudem Dei & vtilita-
Coloſ. 4. tem populi concionari: & ſit ſermo tuus ſemper ſale conditus, ad ædificationem fidei,
Epheſ. 4. vt det gratiam audientibus. Sed audiamus quæſo quid ſapientia in ſummis Bibliorum verticibus collocata, dicat concionando, & quibus loquatur. O viri, ad vos clamito, ad idoneos ſcilicet & ſtrenuos diuini verbi auditores, & non ad effœminatos & libidine corruptos, qui ſuis voluptatibus irretiti, ſapientiæ verba percipere nequeunt. Siqui-
Sapi. 1. dem in animam maleuolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Et iis qui virili ac magno ſunt animo, nec facilè humanis caſibus ſuccumbunt, ardua & ſublimia rerum diuinarum myſteria loquitur. Prophetica diſſerit oracula, antequam legem explicat. Iis vero qui lacte & non ſolido cibo indigent, faciliora ſuppeditat, & pro captu ipſorum illis ſe accommodat: in quibus prudentis aſtutiam qua poſsint nocitura quæque declinare, deſiderat: & inſipientes ac indoctos ad ſe vult accerſiri, vt hac inſtituti doctrina, quod ſuæ animæ ſaluti commodiſsimum eſt, aſſequantur. Et quoniam de rebus magnis & arduis dictura eſt, optat auditores eſſe ſibi attentiores, in quorum mentes ſanam doctrinam transfundet: nec quod ſerium non
1. Timo. 6. fuerit & rectum prædicabit. A languidis quæſtionibus, & pugnis verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blaſphemiæ, & ſuſpiciones malæ, abhorrebit. Et cum in
Eccleſ. 24. ipſa ſit gratia omnis viæ & veritatis, contemptis principum minis veritatem ipſam
Pſal. 118. eloquetur, de qua dicit Dauid, Ne auferas de ore meo verbum veritatis. Deinde deteſtabitur & impium & impietatem, & magis malitiam hominis quàm ipſum hominem auerſabitur: & vtrunque, dominum odire in ſacris literis comperimus. Siquidem
Sapi. 14. in libro Sapientiæ ſcriptum eſt, Similiter autem odio ſunt Deo, impius, & impietas
Eſaiæ. 3. eius. Dominus etiam imprecatur malum impio, dicens, Væ impio in malum. Verùm vt Sophia facilius ad ſe alliciat veritatis amantiſsimos, dicit, Iuſti ſunt omnes ſermones mei, neque malitia neque vlla peruerſitas in eis commixta eſt, & longe diſsident à ſermonibus hominum, qui plerunque velantur fuco, & mendacio prætexuntur. Et vtiles ſunt & recti intelligentibus, cum captiuant ſuum proprium intellectum vt cum magna & ſimplici humilitate eos perdiſcant. Sunt & æqui inuenictibus ſcientiam, qua veritas ſcripturarum dinoſcitur, & clarius intelligitur. Iis autem qui faſcinata ſunt mente, & qui omnia quæ fidei ſunt, ſuo ingenio metiri volunt, non videtur eſſe veri neque iuſti. Et quia lubenter meis ſermonibus auſcultatis, nihil mea doctrina melius, ſanctius & precioſius eſſe putetis. Nihilq́ue vnquam, ſiue ſit auro & argento inſculptum & effigiatum, poterit cum precioſiſsima ſapientiæ margarita cōferri. Et hæc alibi declarata ſunt. Ego habito cum iis qui ad inquirēdū de rebus arduis & difficillimis

& iis

& iis potiſsimum quæ ad fidem & bonos mores ſpectãt,ſunt congregati. Vbi enim ſunt
duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum ego in medio eorum. Nec vnquã de-
ſerui Concilium generale legitimè congregatum ad definiendum quod Eccleſiæ foret
vtiliſsimum.& hoc pollicitus eſt Chriſtus ſuis Apoſtolis, dicens, Ero vobiſcum vſq; ad
conſummationem ſeculi. Et antequam aſcenderet ad dexteram ſui patris, promiſit ſuis Mat.28.
diſcipulis ſe miſſurum paracletũ ſpiritum ſanctum, qui eos doceret omnia, quæ ſcilicet Ioan.14.
ad fidem & morum probitatem ſpectarent. Timor domini odit malum, culpæ, quod dei
eſt offenſiuum,& gaudet de pœna malis irrogata. Deteſtatur & ſapientia elationem ani-
mi, inſolentiam & ſuperbiam qua homines ita ſe extollunt, vt alios contemptim deſpi-
ciant, & omnibus meliores ſe exiſtiment. Auerſatur & os bilingue, quo nugaciſsi-
mi fluctuant, qui ſubitò à pollicitis deſiſtunt, nec in ſuis verbis ſtabilitatem retinent. Vn-
de dicit Eccleſiaſticus, Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam. Eccleſi.5.
Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Et alibi, Noli fieri pro amico ini- Eccleſi.6.
micus proximo. Improperium enim & cõtumeliam malus hæreditabit, & omnis pecca-
tor inuidus & bilinguis. Atq; iterũ, Suſurro & bilinguis maledict⁹. multos enim turbauit Eccleſi.28.
pacẽ habẽtes. Et tãtæ eſt dignitatis tantæq; perfectionis cœleſtis ſapiẽtia, vt in ea tanq̃ in
pleniſsimo bonorum omnium fonte ſint omnes virtutes. Conſilium, de quo dicit Da- Pſal.32.
uid, Conſilium domini in æternum manet. Et Apoſtolus, Deus operatur omnia ſecun- Ephe.1.
dum conſilium voluntatis ſuæ. Aequitas, de qua dicit regius propheta, In æquitate tua Pſal.118.
viuifica me. Item, Omnia mandata tua æquitas. Prudentia, de qua ſcribit Hieremias, Et Hiere.10.
prudentia ſua extendit cœlos. Fortitudo ſumma, & cui nulla in humanis viribus reſidẽs
conferri poteſt. Hinc apud Danielem ſcriptum eſt, Sapiẽtia & fortitudo, eius ſunt. Non Danie.2.
igitur ſe extollat humana præſumptio: quippe plenitudinem virtutum ſola dei ſapientia
poſsidet: ab hac autem, humana infirmitas quicquid virtutis habet, accipit.

¶ *Per me reges regnant, & conditores legum iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes de-
cernunt iuſtitiam. Ego diligentes me diligo. Et qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. Mecum ſunt diui-
tiæ & gloria, opes ſuperbæ, & iuſtitia. Melior eſt fructus meus auro & lapide precioſo, & genimina mea ar
gento electo. In uiis iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicii, ut ditem diligentes me, theſauros eorum re-
pleam.)* Sapientia tantæ eſt excellentiæ, tantique nominis, vt ſine eius prudentia, conſi-
lio & circunſpicientia, illuſtriſsimi ac ſereniſsimi reges ampliſsimum imperium mode-
rari non poſsint, nec ſuis decenter imperare ſubditis: qui ſumma ope niti debent, ſi tutò
dominari velint, vt magis beneuolentia, comitate & clementia, quàm armis ſtipentur, &
ſua omnia in rempublicam iuuandam conſerant ſtudia, prompto animo titubantia ſul-
ciant, tumultuoſa ſedent, denique vt cuncta ad tranquillitatem redigant. Quibus nihil
magis expedit, quàm habere ſapientiſsimos philoſophos, conſiliarios prudentes ac cir-
cunſpectos, quorum ſolertia, meditatione & conſilio cuncta perpendant, librent & exa-
minent, vt omnia fiant ad libellam & normam, ne quid deliret amuſsis. Fauore & bene-
ficio cœleſtis ſapientiæ Dauid fuit vnctus in regem Iſrael, de quo prætermiſsis ſeptẽ filiis
Iſai, qui ad tantam dignitatem minimè ſunt euecti, dixit dominus Samueli, Surge & vnge
eum, ipſe eſt enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius. Et 1.Reg.16.
directus eſt ſpiritus domini à die illa in Dauid & deinceps. Dominus quoque dedit Sa-
lomoni cor docile ad iudicandum populum, & ſapientiam ad diſcernendum iudicium, 3.Reg.3.
vt commodius filiis Iſrael præficeretur. Sed quis neſcit Ezechiam regem equidem & ſan
ctiſsimum & æquiſsimum duce ſapientia fœliciſsimè regnaſſe in Hieruſalem? qui
vt ſacræ teſtantur literæ, fecit quod erat bonum coram domino, iuxta omnia quæ fece-
rat Dauid. Ipſe diſsipauit excelſa, & contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſer- 4.Reg.18.
pentem æneum quem fecerat Moyſes. Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis re-
gibus Iuda, ſed neque in his qui ante eum fuerunt: & adhæſit domino, & non receſsit à
veſtigiis eius, fecitque mandata eius quæ præceperat dominus Moyſi: vnde & erat domi
nus cum eo, & in cunctis ad quæ procedebat, ſapienter ſe agebat. Ex ſcripturis etiã Danie
lis exploratum eſt dominũ largiri cui vult dominãdi poteſtatẽ. Domin⁹, inquit, trãſfert
regna atque conſtituit, dat ſapientiã ſapientib⁹ & ſciẽtiã, intelligentibus diſciplinã. Atq; Danie.2.
iterũ, Dominatur excelſus in regno hominũ, & cuicũq; voluerit dabit illud, & humillimũ

hominē cōſtituet ſuper eū. Et huic Salomonis loco cōſentit Paulus in epiſtola ad Romanos, oſtēdēs auguſtiſſimā regum & principum poteſtatem à Deo proficiſci. Omnis,
Roma.13. inquit, anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Et huic cohærent ſententiæ, quæ in libro Sapientiæ com-
Sapi.6. memorantur: Ad vos ergo reges ſunt ij ſermones mei, vt diſcatis ſapientiam, & non excidatis. Qui enim cuſtodierint iuſtitiam, iuſtè iudicabuntur: & qui didicerint iuſta, inuenient quid reſpondeant. Et paulò pòſt, Si ergo delectamini ſedibus & ſceptris o reges populi, diligite ſapientiam, vt in perpetuum regnetis. Diligite lumen ſapiētiæ omnes qui præeſtis populis. Permittit etiam Deus tyrannos & hypocritas propter ſceleta popu-
Iob.34. li regnare. Vnde in libro Iob ſcriptum eſt, Qui regnare facit hominem hypocritam
Oſeæ.13. propter peccata populi. Et alibi, Dabo tibi regem in furore meo. Poteſt & hic Salomonis locus iuxta myſticam intelligentiam intelligi de primariis eccleſiæ ducibus, quorū
Pſal.44. tutelæ concreditæ ſunt oues Chriſti, de quibus dicit Dauid: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Inſuper ſapientia plurimum adfert adiumenti iis qui leges optimas ſuis ſubditis præſcribunt, & iuſta decernunt: quod ex Moſe peritiſſimo legiſlatore notum euadit, qui ſcita vtiliſſima & ſanctiſſima decreta ſtatuit quibus Iſraeliticus populus ad virtutem & Dei cultum pelliceretur, & à vitiis committendis auocaretur. Et hunc manſuetum & clementiſſimum iudicem voluit dominus, ne nimio onere premeretur, difficiliores & magis arduas cauſas diſcutere, leuiores verò & minoris momenti
Exod.18.& reſeruari tribunis, centurionibus, quinquagenariis & decanis. Et quò magis in Deum
Deuter.1. amore efferueſcebat, eo magis à Deo diligebatur, qui ſui amantiſſimis præmium cum fœnore repēdit: quod ex verbis Christi colligere poſſumus, qui Simoni Phariſæo vehementer ægrè ferenti quòd vltroneus mulieris peccatricis officia probaſſet, dixit de Ma-
Lucæ 7. ria Magdalena, Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Nec tot tantiſque vitiis veniam condonaſſet, niſi mulierem illam rariſſimum humilitatis exemplar
Ioan.14 ſummopere dilexiſſet. Rurſum dicit idem Saluator in euāgelio Ioannis, Qui diligit me,
Ioan.16. diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Et alibi, Ipſe pater amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui. Et licet Deus ab æterno ſecundum ſuam prædeſtinationem electos & prædeſtinatos dilexerit, & illi dilectioni beatorum charitas & amor nondum reſponderet, tamen ſecundum ſuam præſentem iuſtitiam in illos æſtuat amore, à quibus verbo & opere diligitur. Nec dilectio noſtra eſt cauſa primaria & potiſſima quòd Deus nos diligat, ſed è diuerſo: quod planè ſuadet
1.Ioan.4. Ioannes dicens, In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per eum. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationē pro peccatis noſtris: & ex eo nos prius dilexit, quia nobis dedit eſſe & ſubſiſtere, vti ſcri-
Sapi.11. ptum eſt, Diligis omnia quæ ſunt, & nihil eorum odiſti quæ feciſti. Deinde ſubiungit Salomon, Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. Qui diuinitus inſpirati diluculo expergiſcuntur ad audiendam ſapientiam, ab ea exaudiuntur, & incrementum gratiæ
Eccleſ.39. ſortiuntur. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Iuſtus cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Scribit & Eſaias,
Eſa.26. Anima mea deſiderauit te nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Vigilant & mane ad lucem ſapientiæ, qui primò depoſcunt à Deo ſibi dari
Matt.6. bona ſpiritalia. Quærite (vt dicit Saluator) primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nec ſine fructu in ſacris ſapientiæ ſtudiis vigilamus. Nam ſuperbas opes, & maximè excellentes, & quę nullis caſibus nulliſq; periculis obnoxiæ ſunt, nobis largitur, gratiam denique & gloriam impartitur. Et omnes magnificæ ac inſignes diuitiæ, & præclaræ virtutes ab vberrimo diuinæ ſapientiæ fonte profluxerunt, nec in aliquo præterquam in Deo præclarius & auguſtius reperiuntur: quod ex Paulinis epiſtolis facilè comprobabimus. Loquens Paulus in epiſtola ad Romanos de illis qui in
Roma.10. Chriſtum credunt, dicit, Nam idem dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum.

illum.Item,O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Et alibi commendans erga Roma.11.
nos Chriſti beneficentiam,ait,Scitis gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniã pro- 2.Corin.8.
pter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues,vt illius inopia vos diuites eſſetis.Iterũ, Deus Ephes.2.
autẽ qui diues eſt in miſericordia, propter nimiã charitatem ſuam,qua dilexit nos & cũ
eſſemus mortui peccatis,conuiuificauit nos Chriſto.Atque iterum, In quo ſunt omnes Colloſ.2.
theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Opes ſuperbas hoc in loco vocat opes excel-
ſas,authore venerabili Beda,vt cæleſtia dona ſignificet.Græcè enim ſuperbus ὑπερήφα- Beda.
νος, id eſt ſuperapparens dicitur : & ideo rectè ſapientia opes hyperiphanos ſecum eſſe
dicit,quia quicquid donorum cælitus fidelibus datur,cunctis mundi opibus excellẽtius
eſſe probatur:quod etiam addendo iuſtitiam,manifeſtius inculcat. Nam terrenas opes
& gloriam ſæpius habent iniuſti:nos autem in reſurrectione,ſicut Petrus ait,nouos cæ- 2.Petr 3.
los,& nouam terram,& promiſſa ipſius expectamus,in quibus iuſtitia habitat. Hæc ille.
Et licet ſuperbia ſæpiſsime in malam partem ſumatur, pariter & ſuperbus,tamen ali-
quando in bonam partem ſumitur : vnde dicit dominus in Eſaia de inſtauratione Siõ
& Hieruſalem,Pro eo quòd fuiſti derelicta,& odio habita,& non erat qui pertranſiret, Eſaiæ.60.
ponam te in ſuperbiam ſeculorum, id eſt,in exaltationem æternam.Septuaginta inter-
pretes hoc in loco non legunt,opes ſuperbæ,ſed in hũc modũ,πλοῦτος καὶ δόξα ἐμοὶ ὑπάρχει.
hoc eſt,diuitiæ & gloria mihi eſt.Genimina ſapientiæ,id eſt opera exteriora, vt quidam
exponunt,meliora ſunt & precioſiora auro obryzo,& argento electo. Ambulat & ſa-
pientia in ſemitis iuſtitiæ & æquitatis:vnde dicit Dauid,Cognoui domine quia æquitas Pſal.118.
iudicia tua,& in veritate tua humiliaſti me.Item,Iuſtus es domine, & rectum iudicium
tuum.Et paulò pòſt,Iuſtitia tua iuſtitia in æternum,& lex tua veritas. Et qui rectiſsimis
ſapientiæ ſemitis innituntur,eamq́ue ſummopere diligunt,puras & ſynceras æternæ vi-
tæ diuitias nanciſcuntur,& ſibi theſaurizant theſauros in cælo,vbi neque ærugo neque Matt.6.
tinea demolitur,& vbi fures non effodiunt nec furantur.

❡ *Dominus poſſedit me in initio uiarum ſuarum,antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum,& ex antiquis antequam terra fieret.Nondum erant abyſsi,& ego iam concepta eram. Necdum fontes aquarum eruperant,necdum montes graui mole conſtiterant.Ante colles ego parturiebar.Adhuc terram non fecerat,& flumina,& cardines orbis terræ.Quando præparabat cælos,aderam:quando certa lege & gyro uallabat abyſſos.Quando æthera firmabat ſurſum,& librabat fontes aquarum.Quando circundabat mari terminum ſuum,& legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.Et delectabar per ſingulos dies,ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum:& deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.)*

Salomon hoc in loco apertè diſſerit de ſapiẽtia Dei increata,ſcilicet de filio Dei,qui
verè eſt ſapientia patris genita. Dominus,inquit, ſcilicet Deus pater,poſſedit me in ini-
tio viarum ſuarum,id eſt,ante omnem mundi creaturam me de ſua ſubſtantia genuit:
non quidem in initio temporis,quia fuit antequam crearerur tempus:ſed ante tempus,
ita quòd ab æterno me genuit,ſicut dicit Ioannes,In principio, ſcilicet in patre (qui eſt Ioan.1.
principium & initium omnium emanationum)erat verbum: & verbum erat apud Deũ,
& Deus erat verbum. Viæ domini ſunt eius opera.Genuit itaque Deus pater ſuum filium
in initio ſuorum operum,quorum conſideratione ad Dei cognitionem manuducimur,
vti docet Paulus ad Romanos dicens,Inuiſibilia Dei ipſius à creatura mandi per ea quæ Roma.1.
facta ſunt,intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & diuinitas,ita vt ſint
inexcuſabiles.Et quod ſubnectitur,Antequã quicquã faceret à principio, manifeſtiſsi-
mè ſuadet filium Dei non fuiſſe genitum ex tempore. & hoc explicat præcedẽtem locũ,
In initio viarum ſuarum.Huic ſententiæ cohæret illud Eccleſiaſtici,Omnis ſapientia à Eccleſ.1.
domino Deo eſt,& cum illo fuit ſemper,& eſt ante æuum, id eſt, filius Dei,qui quodam
attributo dicitur ſapientia Dei genita,eſt ante æuum.Nec abſurdè dicitur omnis ſapiẽ-
tia,quia ſupereminenter continet omnes modos omneſq́ue rationes ſapientiæ creatæ.
Et paulò pòſt oſtendit hanc ſapientiam præceſsiſſe omnem creaturam. Prior (inquit)
omnium creata eſt ſapientia.Et hic creatio latè ſumitur pro eo quod habet eſſe ab alio:
& ſenſus eſt,Sapientia ante omnia accepit eſſe à patre.Creatio tamen ſtrictim & propriè
ſumpta reperitur in eo quod habet eſſe ex nihilo.Idem alibi dicit Eccleſiaſticus, Ego ex Eccleſ.24.

Eccleſ.24. ote altiſsimi prodiui,primogenita ante omnem creaturam. Rurſum, Ab initio & ante
ſecula creata ſum,& vſque ad futurum ſeculum non deſinam.& hoc Salomon in ſubſe-
quentibus patefacit dicens,Ab æterno ordinata. vbi autem eſt ordo, ibi eſt diſtinctio.
Et licet in Deo ſit vna ſimplex eſſentia indiſtincta, tamen per proprietates relatiuas eſt
diſtinctio perſonarum. Pater enim diſtinguitur à filio paternitate, & filius à patre filia-
tione,proprietate quidẽ relatiua. Et ex antiquis,ſcilicet à diebus æternitatis. vocat enim
Danie.7. Daniel patrem æternum,qui ſolus ſedet in throno,antiquum dierum,dicens, Aſpiciebã
donec throni poſiti ſunt,& antiquus dierum ſedit. Antequam terra fieret)de qua narrat
Geneſ.1. Geneſis,In principio creauit Deus cælum & terram. Scribit & Dauid, Initio tu domine
Pſal.101. terram fundaſti. Nondum erant abyſsi,& ego iam concepta eram,id eſt genita. In ſim-
plicíſsimo enim Deo,idẽ eſt concipere & gignere:nec in tali conceptione ſpectanda eſt
temporis ratio. Nam eo ipſo gignit,quo concipit. Verbum in nobis eſt conceptus men-
tis,& in diuinis verbum eſt conceptus patris. Necdum fontes aquarum eruperant) de
Oceano ſcilicet per loca ſubterranea. Necdũ montes graui mole conſtiterant) erecti
ſcilicet ſuper planitiem terræ. Ante colles ego parturiebar) Emanabam à fœcunditate
paterna. Adhuc terrã non fecerat & flumina,& cardines orbis terræ.) Cardines dici
poſſunt principales mundi partes,Oriens,Occidens,Auſter,& Aquilo. Vel hic dicuntur
cardines,duę extremitates axis mundi,ſcilicet Polus Arcticus & Antarcticus,quia circa
eos voluitur cælum,ſicut oſtium circa cardines ſuos. Quando præparabat cælos,aderã)
ſcilicet quando cæleſte moliebatur artificium,& cõdebat orbes cælorum. Nõ enim pa-
ter ſine filio produxit mũdum. Nam opera trinitatis ſunt indiuiſa. Simile quid in libro
Sapi 9. Sapientiæ legimus,Deus patrum meorum, & domine miſericordiæ, qui feciſti omnia
verbo tuo,& ſapientia tua conſtituiſti hominem,vt dominaretur creaturæ quæ à te fa-
cta eſt,vt diſponat orbem terrarum in æquitate & iuſtitia,& in directione cordis iudi-
cium iudicet,da mihi ſedium tuarum aſsiſtricem ſapientiam. Dicit & Eccleſiaſticus de
Eccleſ.24. architectrice mundi ſapientia,Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut
Ioan.1. nebula texi omnem terram. Et id multo manifeſtius aperit Ioannes,dicens,Omnia per
Ioan.5. ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil. Et alibi,Pater meus vſque modo operatur,
Pſal.103. & ego operor. Inſuper Dauid oſtendit nihil factũ eſſe ſine ſapientia Dei,dicens,Omnia
in ſapientia feciſti. Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos) id eſt concauitates vbi
congregatæ ſunt aquæ,vt appareret arida,habitationi hominum & animalium terre-
Iob.38. ſtrium apta. Nec huic loco diſſentaneum eſt quod dicit Iob,Quis concluſit oſtiis mare,
quando erumpebat quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem veſtimentũ eius,
& caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerẽ? Circũdedi illud terminis meis, & po-
Pſal.32. ſui vectem & oſtia. Dicit etiam pſalmographus, Congregans ſicut in vtre aquas maris,
ponens in theſauris abyſſos. Quando æthera firmabat ſurſum)id eſt ſphærã ignis, qui
ſuapte natura fertur ſurſum. Siquidẽ illa pars elementorũ quæ cõtigua eſt ſphære Lunæ,
æther vocatur. Et librabat fontes aquarũ)eos ſcilicet conſtituens in pondere,numero
Sapi.11. & mẽſura. Deus enim omnia in mẽſura & numero & põdere diſpoſuit. Quando circũ-
dabat mari terminum ſuum)ne efflueret,& operiret aridam. Et legẽ ponebat aquis)præ-
ceptum ſcilicet & ordinationem ne tranſirent fines ſuos, ne ſuos limites à diuina pro-
uidentia præſcriptos tranſilirent. Voluit enim Deus partem terræ eſſe diſcoopertã ab
aquis propter hominum & animalium terreſtrium ſalutem & habitationem. Quando
appendebat fundamenta terræ)id eſt inferiores terræ partes circa centrum, quæ ſunt
quædam fundamenta ſuperiorum partium. Nec iſta ſubticuit Iob, in cuius libro dicit
Iob.38. dominus, Vbi eras quando ponebam fundamẽta terræ? Et hæc omnia pulcherrimo or-
Pſal.103. dine in pſalmis diſtinguũtur,in quibus dicit Dauid:Qui fundaſti terram ſuper ſtabili-
tatem ſuam,non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Abyſſus ſicut veſtimentũ amictus eius,
ſuper montes ſtabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formida-
bunt. Aſcendunt montes,& deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis. Terminum
poſuiſti,quem non tranſgredientur,neque conuertentur operire terram. Qui emittis
fontes in conuallibus,inter medium montium pertranſibunt aquæ. Cũ eo eram cun-
cta componens.) Nam eadem eſt patris & filij architectura, & eadem potentia creandi:

nec pater prius operatur quàm filius. Et delectabar per ſingulos dies)ab æterno gau-
debam cum patre & ſpiritusancto.Lætabitur enim dominus in operibus ſuis. Ludens Pſal.103.
coram eo omni tempore) id eſt maxima cum delectatione operans cum patre meo.
Et hic ludus ſiue mentis oblectatio in excellenti rerum omnium opificio,iis verbis ex-
primitur,Ludés in orbe terrarum. Lyranus hæc enarrans dicit,Ludum faciens de or- Lyranus.
be terrarum,qui ſimilis eſt ludo pilæ,quæ de vno transfertur in alium, ſecundũ quan-
dam reuolutionem,quia regna terræ transfert de gente in gentem. Deliciæ meæ eſſe
cum filiis hominum.)Quid bis verbis dulcius?Imò quid nobis iucundius & optabilius?
Deliciatur Deus in electis,& maximè gaudet cum æterna felicitate fruuntur.Deniq; ſa-
lus noſtra,vita,gratia & protectio ſunt ſuauiſsimæ Dei deliciæ,qui per gratiam eſt cum
iuſtis,& vbique per præſentiam & potentiam.Quòd autem Deus lætetur,cum nobis ſua
bona largitur, oſtendit Hieremiæ prophetia, in qua dicit dominus, Lætabor ſuper Hier.32.
eis, cum bene eis fecero.

❡ *Nunc ergo filii audite me.Beati, qui cuſtodiunt uias meas. Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & no-
lite abiicere eam. Beatus homo qui audit me, & qui uigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii
mei. Qui me inuenerit,inueniet uitam, & hauriet ſalutem à domino. Qui autem in me peccauerit, lædet
animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.)* Si ita ſit quòd nihil non operante
Dei ſapientia conditum ſit,& maximum nobis beneficium contulerit, æquum eſt ſanè
& rationi conſentaneum,vt propenſius ac lubentius eius doctrinam quàm hominum
recipiamus,eiuſque legibus obſequamur,& exiſtimemus nos fore beatos, ſi rectas eius
ſemitas ac præcepta diligenter obſeruauerimus. Hoc autem expreſsit Dauid dicens,
Beati immaculati in via,qui ambulant in lege domini.Beati qui ſcrutantur teſtimonia Pſal.118.
eius,in toto corde exquirunt eum. Hæc autem beatitudo quandiu hic peregrinamur,
duntaxat ſita eſt in ſpe & meritis,nec eſt ſumma illa beatitudo,qua hinc demigrantes,ſi
probe vixerint,perfruentur. Denique illi cenſentur beati,qui vigilant ad fores ſapien-
tiæ,ſcilicet ad ſacra eloquia,quæ nos ad vitam æternam perducunt:& obſeruant poſtes Ioan.5.
oſtij mei,id eſt qui ſunt attenti verbis apoſtolorum & doctorum. Qui vos audit (inquit Lucæ.10.
Chriſtus) me audit:& qui vos ſpernit, me ſpernit.Et qui feruenti ſtudio quærit ſapien- Sapi.6.
tiam,eam inuenit:& vbi eam inuenit,vitam æternam inuenit:& illius amore fruitur,qui
eſt via,veritas,& vita.Inſuper à lympidiſsimo totius beatitudinis fonte hauriet ſalutem Ioan.14.
æternam. Hæc autem concinne declarantur ab Eccleſiaſtico:Ego quaſi vitis fructifi- Eccleſ.24.
caui ſuauitatem odoris,& flores mei fructus honoris & honeſtatis.Ego mater pulchræ
dilectionis & timoris,& agnitionis,& ſanctæ ſpei. In me gratia omnis vitæ & verita-
tis.Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemi-
ni. Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria
mea in generatione ſeculorum.Qui edunt me,adhuc eſurient:& qui bibunt me, adhuc
ſitient.Qui audit me,non confundetur:& qui operantur in me, non peccabunt. Qui
elucidant me,vitam æternam habebunt.Qui autem in ſapientiam peccant, eam negli-
gendo,aut eius leges ac præcepta tranſgrediendo, faciunt iacturam animæ ſuæ.Et ma-
gis illorum anima læditur & vulneratur,qui oderunt ſapientiã.Nam diligendo vitia &
flagitioſiſsima ſcelera,properant ad interitum mortis,& ad gehennam ignis. Vnde in
libro Sapientiæ ſcriptum eſt, Iniuſtitia, mortis eſt acquiſitio. Impij autem manibus & Sapi.2.
verbis accerſierunt illam: & æſtimantes illam amicam,defluxerunt, & ſponſiones po-
ſuerunt ad illam, quoniam morte digni ſunt,qui ſunt ex parte illius. Nec iſtud ſub-
ticuit Paulus, dicens, Stipendia peccati, mors: gratia autem Dei, vita æterna in Roma.6.
Chriſto Ieſu domino noſtro.

ARGVMENTVM NONI CAPITIS.

Sapientia Dei increata ſuam inuitauit eccleſiã ad ſacrum conuiuium, eamq́; feſtiuiter excepit, cui ſeptem dona ſpirituſſancti contulit. Verùm ut illam (quam tantopere diligebat) ſanctificaret, immolauit uictimam, ſeq́; ultro morti obtulit. Sed ante ſui precioſiſsimi corporis ſacrificium, eam ſua carne ſub ſigno panis contenta pauit, ſuumq́; ſanguinem ſub ſpecie uini eidem porrexit. Vult duntaxat paruulos, & à ſordibus animi repurgatos, gratiæ tanti ſacramenti participes fieri, tametſi toleret omnes indiſcriminatim in ſacra menſa diſcumbere. Optat maximopere, ſi numero prudentum adſcribi uelimus, ut abiiciamus nuces, & quæ ſunt paruuli, & nos totos cæleſtis philoſophiæ ſtudiis deuoueamus, ne à muliere ſtolida, garrula & illecebrarum refertiſsima circumueniamur.

CAPVT NONVM.

SApientia ædificauit ſibi domum. Excidit columnas ſeptem. Immolauit uictimas ſuas. Miſcuit uinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas ut uocarent ad arcẽ, & ad mœnia ciuitatis: Si quis eſt paruulus, ueniat ad me. & inſipientibus locuta eſt, Venite, comedite panem meum, & bibite uinum quod miſcui uobis. Relinquite infantiam, & uiuite, & ambulate per uias prudentiæ.)

Chriſtus vera & germana Dei ſapientia, extruxit ſibi domum, ſci-
Eſa.56. licet eccleſiam, de qua ſcriptum eſt, Domus mea domus orationis
Math.21. vocabitur. quã tamen Iudæi vſuris & auaritiæ addicti polluerant, eamq́ue fecerant ſpe-
Hiere.7. luncam latronum. De eadem nobiliſsima domo dicit Paulus Timotheo, Scias quomo-
1.Timo.3. do oporteat te in domo Dei cõuerſari, quæ eſt eccleſia Dei viui, columna & firmamen-
Hebr.3. tum veritatis. Et alibi, Chriſtus tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finem firmam retineamus. Hanc autem eccleſiam ædificauit Chriſtus in humanitate aſſumpta, verbo, doctrina & exemplo: In qua excîdit columnas ſeptem. Nam ſuam ſponſam ſeptem donis ſpirituſſancti illuſtrauit: aut inſtituit ſeptẽ ſacramẽta, quibus ſua fulcitur eccleſia. Auguſtinus lib. XVII. de ciuitate Dei cap. IIII. dicit ſeptenario numero vniuerſam eccleſiæ perfectionem ſignificatã eſſe, & probat cum ex hoc Salomonis loco, tum ex eo quòd Ioannes apoſtolus ſcribat ad ſeptem eccleſias, eo modo ſe oſtendens ad vnius plenitudinem ſcribere. Immolauit victimas ſuas, quia ſeipſum ad exhaurienda multorum peccata ſemel obtulit, & quidem vltro.
Eſa.53. Oblatus eſt enim quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Et dicitur victimæ, quia con-
Hebr.9. tinet virtutem omnium aliorum ſacrificiorum: quod ſcitè docet Paulus ad Hebræos dicens: Chriſtus aſsiſtens põtifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non huius creationis, neque per ſanguinem hircorũ aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redem-
Leuit.16. ptione inuenta. Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inqui-
1.Pet.1. 1 Ioan.1. natos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpi-
Apoca.1. ritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Et huius excellentiſsimæ victimæ ſacramentum Euchariſtiæ eſt memoria atque ſacrificium. Miſcuit vinum, hoc eſt, aqua quidem dilutum, ſub cuius ſpecie dedit Apoſtolis ſuum ſanguinem. Et propoſuit menſam ſuam, in qua diſcubuit cum duodecim diſcipulis ſuis. Et huiuſce
Mat.26. rei fidem facit Matthæus, dicens, Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? At Ieſus dixit, Ite in ciuitatẽ ad quendam, & dicite ei, Magiſter dicit, Tempus meum prope eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis. Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus, & parauerunt paſcha. Et in illa ſacra menſa exhibuit apoſtolis auguſtiſsimæ Euchariſtiæ communionẽ. Et tunc
Lucæ.22. temporis promiſit illis menſam cæleſtis conuiuij, dicens, Diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Miſit ancillas ſuas) id eſt, ſuos apoſtolos, qui ob promptiſsimum obſequium & magnam humilitatem dicti ſunt ancil-

læ, Quidam

læ.Quidam Hebræi doctores domo ſapientiæ Synagogã exprimũt,'& ancillis Moyſen
& Aaron. Vt vocarent ad arcem, ad Chriſti fidem,& euangelicam perfectionem. Nam
apoſtoli Chriſti cum miſsi ſunt in Iudæam ad obeundum ſuæ legationis munus, præ-
dicando dicebant, Appropinquauit regnum cælorum.Ciuitas hoc in loco militans eſt Mat 10.
eccleſia,de qua dicit Dauid, Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Et de eadem ſcripſit Pſal 86.
Ioannes dicens,Ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam deſcendẽtem Apoca.21.
de cælo,à Deo paratam,ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Mœnia autem huiuſce ciuita-
tis ſunt eccleſiæ propugnacula,vigilantiſsimi antiſtites,& eruditi doctores, quibus mu-
nitur & circunuallatur aduerſus pernicioſiſsimos hæreticos. Et huiuſmodi claſsici &
primarij duces vocant ad Chriſtum,Chriſtique doctrinam paruulos,id eſt ſimplices, &
pauperes ſpiritu,de quibus dicit Chriſtus in euangelio Matthæi,Cõfiteor tibi pater do- Matth.11.
mine cæli & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,& reuelaſti ea par-
uulis.Et cum turbæ offerrent Chriſto paruulos vt illos tangeret, diſcipuli autem com-
minarentur offerentibus,id indigne tulit dominus,& ait illis:Sinite paruulos venire ad Mar.10.
me,& ne prohibueritis eos.talium enim eſt regnum Dei. Alloquuta eſt & ſapientia inſi-
pientes gentiles, qui rebus inanimatis,vt lignis & lapidibus, diuinitatem attribuebant:
quod erat ſtolidiſsimum. Vult etiam peccatores omnes,& eos qui temporalia ſpiritua-
libus præferunt,& caduca perpetuis,ad ſe accerſiri:quandoquidem venit filius hominis Lucæ 19.
quærere & ſaluum facere quod perierat:& illorum ſalutem ſitiens, dicit, Venite ad me
per mentis conuerſionem,& fidem Euchariſtiæ ſuſcipite. Comedite panem meũ, id eſt
corpus meum in excellẽtiſsimo ſacramento.Ego ſum enim panis viuus,qui de cælo de- Ioan.6.
ſcendi.ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et paulò pòſt, Caro mea
verè eſt cibus.Et bibite vinum quod miſcui vobis:meum ſcilicet ſanguinem ſub ſpecie
vini,cui nonnihil aquæ immiſceri ſolet.Sanguis enim meus verè eſt potus)Ex hoc loco
agnoſcis Salomonem diuino numine inſpiratũ prophetaſſe de auguſtiſsimo & omniũ
ſupremo Euchariſtiæ ſacramento. Relinquire infantiã) Nam plus ſatis illecebris hu-
ius mundi & momentaneis voluptatibus incubuiſtis. Non ergo regnet amplius pecca- Roma.6.
tum in veſtro mortali corpore,vt obediatis cõcupiſcentiis eius: ſed neq; exhibeatis mẽ-
bra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquã ex mortuis viuentes,
& membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Et ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immũ-
ditiæ & iniquitati ad iniquitatem,ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in
ſanctificationem. Denique ſectamini Paulum ducem, qui de ſua puerili infantia & in-
fantiſsima pueritia dicebat, Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus,ſapiebã vt par- 1.Corin.13.
uulus,cogitabam vt paruulus. quando autẽ factus ſum vir,euacuaui quæ erant paruuli.
Et alibi nos monet vt expoliemus veterẽ hominem cum actibus ſuis, & induamus no- Coloſ.3.
uum. Viuite eam vitam quam viuunt viri quadrati & optimi, & ambulate per vias pru-
dentiæ, & præceptorum Dei ac conſiliorum. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſim- Matt.10.
plices ſicut columbæ.

¶ *Qui erudit deriſorem,ipſe ſibi facit iniuriam:& qui arguit impium, generat maculam ſibi. Noli arguere deriſorem,ne oderit te. Argue ſapientem,& diliget te. Da ſapienti occaſionem,& addetur ei ſapientia. Doce iuſtum,& feſtinabit accipere. Principium ſapientiæ timor domini, & ſcientia ſanctorum prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui,& addentur tibi anni uitæ. Si ſapiens fueris,tibimetipſi eris.ſi autem illuſor, ſolus portabis malum.)* Fruſtra laborat, qui lepidiſsimam ſapientiæ doctrinam inculcare
nititur ei qui audire contemnit,cuiuſmodi eſt importunus deriſor, exiſtimãs ſe cæteris
longè ſapientiorem eſſe. Idcirco incaſſum contendit,qui erudit deriſorem,quandoqui-
dem ſibiipſi facit iniuriam,prouocando deriſorem ad iniuriam ſibi faciendam. Hinc
loquitur dominus,Nolite dare ſanctum canibus,neque mittatis margaritas veſtras ante Matt.7.
porcos,ne forte conculcent eas pedibus ſuis,& conuerſi dirumpant vos. Præfectus tamẽ
eccleſiæ habens ſubditos deriſores, ea debet vti prudentia, vt quos verbis & monitis
inſtruere nequit,verberibus reprimat & caſtiget,ſi forſitan vexatio illis tribuat intelle-
ctum.ſiquidem refrenanda eſt ipſorum arrogantia,ne inficiant alios, & curent vt per-
ditiſsimos mores ebibant. Eſt etiam intelligẽdum prouerbiũ de illis qui ſuis cachinnis
pertinaciam adiungunt. Nouit philoſophus bonarum literarum ſtudioſiſsimus verum

eſſe illud Salomonis effatum, qui cum monet garrulum ſophiſtam ipſo Stentore clamoſiorem vt nænias & meras nugas abiiciat, laceſsitur iniuriis: & qui doctiſsimus eſt, ab indocto cenſetur eſſe indoctiſsimus. Qui arguit impium, generat maculã ſibi.) Siquidem impius, & ſuo induratus vitio, quem peccaſſe non pudet, nititur illũ à quo carpitur, infamia commaculare. In eum tamen virga iuſtitiæ animaduertendum eſt. Noli arguere deriſorem, ne oderit te.) Nec vetat ne arguatur deriſor & caſtigetur: ſed cum noſtra correctione aut monitione in nos exaſperatur odio, tunc non eſt arguendus. Nã compulſus ad odium, peior fieret, & vitium vitiò cumularet. Et cum priuata correctio ad emendationem delinquentis inflectenda ſit, ſi non tam emendetur quàm ſtimulatus in nos exardeſcat odio, aut deterior futurus ſit, vana erit & irrita huiuſmodi correctio. Fruſtra enim niti, & non aliud quàm odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Et cum nõ eſt ſpes de alterius correptione: qui conaretur peruerſum caſtigare, videretur ſtimulare inſanum, & incendium fouere incendio. Si tamen eò ſæuiat hominis peruerſitas, vt reipublicæ plurimum noceat, aut ſalutem ciuium euertat, obſeruato iuſtitiæ ordine, publica animaduerſione coercebitur. Verùm nobis periucundum erit arguere ſapientem, ſi leuiter aut grauiter deliquerit. Nam ea eſt dextra natura, eoque compoſito animo, vt perſpecta toto ſtudio ſua fragilitate, ſe hominem eſſe non inficietur: nec eam ſibi iuſtitiã arrogat, vt cum in ſublimi virtutum culmine ſtet, non arbitretur ſe aliquando non ca-

Iaco. 3. ſurum. Siquidem dicit Iacobus, In multis offendimus omnes. Et hoc multo apertius di-

1 Ioan. 1. uus Ioannes exprimit, dicens, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Nec fruſtra nitimur cum arguimus ſapientem. Nam æqui & boni conſulens ſe à nobis corrigi, vehementius nos amat. Et quantacũq; quis præcellat ſapientia (ſi modò gratia confirmatus non fuerit) dum hic peregrinatur, poteſt delinquere: cui ſi data fuerit occaſio cõſiderandi ſeipſum, & quæ ſunt vtilia, euadet ſapientior. Denique ſi iuſtum docueris quod eum forſitan fugit, tuam æquiſsimo animo doctrinam recipiet. Quis me hercle tam ſapiens eſt, qui diſcendo ſapientior fieri non poſsit? Principium ſapientiæ, timor domini.) Hoc abunde declaratum eſt primo capite huius operis. Decreui faciliora tranſigere, & in difficilioribus immorari. Scientia ſanctorum, prudentia.) Hic nomen ſcientiæ diſtendes ad praxim ipſius ſcientiæ: tametſi ſcientia preſſe ſumpta, à prudentia diſtinguatur, vt iam noſti. Hoc ſcientiæ genus ſuis apoſtolis Chriſtus infixit, cum illis ad prædicandum euangelium abeũtibus di-

Mat. 10. xit, Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Cauete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos: & ad præſides & reges ducemini propter me, in teſtimonium illis, & gentibus. Cum autẽ tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Per me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.) Hæc

1. Corin. 12 ſuis in locis iam declarata ſunt. Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris) Cum ſapientia ſit do-

1. Pet. 4. num ſpirituſſancti, & dicat Beatus Petrus in ſuis epiſtolis, Vnuſquiſq; ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei: quomodo verum erit quod hic ſcribit Salomon, Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris? Non eo inficias quin ſapiẽtiam à Deo nobis collatam, qua plurimum eccleſiæ prodeſſe poſſumus, aliis impartiri debeamus, ne tam inſignis gratia ſit vacua, & donis Dei abutamur. Sed primariò cedit in noſtram vtilitatem, & propriam mercedem, & perficit animã cui inhæret: ſecundariò tamen aliis eſt vſui, & à noſtro fonte in alios dimanat. Quòd ſi illuſores fuerimus ſanæ doctrinæ, ſoli pœnã incurremus. Et illæ duæ Salomonis ſen-

Gala. 6. tentiæ iis Pauli verbis cohærent, Opus autem ſuum probet vnuſquiſque, & ſic in ſemetipſo tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnuſquiſque enim onus ſuum portabit.

Hierony. Priorem iſtarum ſententiarum partẽ ediſſerens Hieronymus, ita ſcribit: Senſus iſte eſt, Tu qui te æſtimas ſpiritualem, & de alterius infirmitate robuſtior es, non debes imbecillitatem iacentis, ſed tuam fortitudinem conſiderare. Neque enim ſi alius perfectẽ nõ poteſt ad Chriſtianiſmum à Iudaiſmo tranſire, idcirco tu perfectus es Chriſtianus: ſed ſi te propria conſcientia non remordet, habes in temetipſo gloriam, & non in altero.

Athleta

Athleta non ideo ſortis eſt,quia vicit infirmum,& languida aduerſarij membra ſuperauit:ſed ſi robuſtus eſt,& in ſua fortitudine,non in infirmitate alterius gloriatur. Intelligi poteſt & aliter: Qui conſcientiam habet operis boni, & ſeipſum conſiderans, opus ſuum non reprehendit, non debet de hoc apud alium gloriari, & laudem ſuam foras fundere,& communicare cum cunctis,& ex hominum quærere fauore iactantiam, ſed in ſemetipſo habeat gloriam,& dicat: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo. Qui gloriam quærit ab altero, huic nec mundus crucifixus eſt, nec crucifixus eſt ipſe cum Chriſto. Recepit quippe,quod quærebat,ab hominibus mercedem ſuam.Hæc ille.Ex hac graui & erudita expoſitione poſſum coniicere, Salomonem iis verbis,Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris,hoc voluiſſe innuere, Si diuino fauore nactus fueris ſapientiam,ſis tibi ſapiens:ne inſoleſcas,& optes auram popularem venari, nec tuæ doctrinæ fumos popello vendites.Ita ſis ſapiens,vt non memineris te ſapientem eſſe.

Mulier ſtulta & clamoſa, plenaq; illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedet in foribus domus ſuæ ſuper ſellam, in excelſo urbis loco,ut uocaret tranſeuntes per uiam,& pergentes in itinere ſuo. Quis eſt paruulus? declinet ad me. Et uecordi locuta eſt, Aquæ furtiuæ dulciores ſunt,& panis abſconditus ſuauior. Et ignorauit quòd Gigantes ibi ſint, & in profundis inferni conuiuæ eius. Qui enim applicabitur illi, deſcendet ad inferos. Nam qui abſceſſerit ab ea, ſaluabitur.)

Spectando literam ſenſus eſt; Mulier fornicatrix ſiue adultera, ſtolida & garrula, ac libidinis eſca, in aquis furtiuis & pane abſcondito illicita & vetita connubia honeſtis & licitis exiſtimat eſſe ſuauiora, vt vecordem iuuenem, & inſano amore titillatum, facilius ad ſe ſuique conuiuij delicias alliciat. Sed ignorat miſer ille quòd Gigantes ſiue immundi ſpiritus illud conuiuium in abditiſsimis inferorum tenebris appararunt, vt cum primum luxuria inebriatus fuerit, ad ſtygias paludes demergatur. quod ſi ſapientiæ adhæſiſſet, procaciſsimæ meretricis illecebras ac Syrenæos cantus obturata aure pertranſiſſet. Hoc tamen Salomonis ænigma viri doctiſsimi ſenſu myſtico pertractant, & aquis furtiuis ac pane abſcondito peſtiferam hæreticorum doctrinam, quæ ſtolidis & perditis ſuauior videtur, ſignificari volunt. Quidnam autem de huiuſce prouerbij ſententia ſentiat Auguſtinus tractatu LXXXXVII. Auguſt.
in Ioannis euangelium, referemus. Hæc (inquit) mulier, vanitas eſt impiorum, cum ſint inſipientiſsimi, aliquid ſe ſcire opinantium, ſicut de iſta muliere dictum eſt, Inops panis efficitur. Quæ cum ſit inops panis, promittit panes. id eſt, cum ſit ignara veritatis, promittit ſcientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos tamen dicit libenter attingi: & aquæ furtiuæ dulcedinem, vt ea ſcilicet libentius & dulcius audiantur & agantur, quæ palàm in eccleſia dici crediq́ue prohibentur. Ipſa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarij doctores ſua venena curioſis, vt ideo ſe exiſtiment aliquid diſcere magnum, quia merentur habere ſecretum: & ſuauius hauriant inſipientiam,quam putant ſcientiam; cuius prohibitam quodammodo furantur audientiam. Hinc & nefarios ritus ſuis hominibus ſacrilega curioſitate deceptis vel decipiendis, magicarum artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ diuinationes inſpectis pecudum viſceribus occiſarum, aut vocibus & volatibus auium, aut ſignis multiformibus dæmoniorum, inſuſurrant auribus hominum imperitorum per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda ſecreta, mulier illa non ſolum inſipiens, verùm audax etiam nuncupatur. Sed hæc non ſolum à re ipſa, verum & à nomine noſtræ religionis aliena ſunt. Quid quòd mulier hæc inſipiens & audax ſub Chriſtiano vocabulo tot ſceleſtas hæreſes condidit, tot neſandas fabulas finxit? Vtinam tales quales in theatris ſiue cantantur, ſiue ſaltantur, ſiue mimica ſcurrilitate ridentur, & non quaſdam tales quales aduerſus Deum fingere potuiſſe ſic illam doleamus inſipientiam, vt miremur audaciam. Omnes autem inſipientiſsimi hæretici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum, quas maximè exhorret ſenſus huamnus, hac occaſione euangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi dominus ait, Adhuc multa habeo vobis dicere, Ioan.16.
ſed non poteſtis portare modo. quaſi hæc ipſa ſint quæ tunc diſcipuli portare

non poterant, & ea docuerit ſpirituſſanctus, quæ palàm docere atque prædicare,quan-
talibet feratur audacia, ſpiritus erubeſcit immundus. Hoc Apoſtolus in ſpirituſancto
2.Timot.4 præuidens ait, Erit enim tempus quo ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſe-
cundum deſideria ſua magiſtros ſibi coaceruabunt prurientes auribus: & à veritate
quidem auditum ſuum auertentes, ad ſabulas autem conuertentur. Illa enim ſecreti
furtiq́ue commemoratio qua dicitur, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furti-
uæ dulcedinem: pruritum facit audientibus in auribus ſpiritaliter fornicantibus, ſi-
cut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas caſtitatis. Audite
itaque apoſtolum talia præuidentem,& ea vitanda ſalubriter admonentem. Propha-
2.Timot.2 nas (inquit) verborum nouitates deuita. multum enim proficiunt ad impietatem, &
ſermo eorum ſicut cancer ſerpit. Et non ait,verborum nouitates,ſed addit, propha-
nas.ſunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum nouitates,ſicut ipſum no-
men Chriſtianorum quando dici cœperit, ſcriptum eſt. In Antiochia enim primùm
Acto.11. poſt aſcenſionem domini appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani, ſicut legitur in Actibus
apoſtolorum: & xenodochia & monaſteria poſtea ſunt appellata nouis nominibus:res
tamen ipſæ & ante nomina ſua erant,& religionis veritate firmantur,qua etiam contra
improbos defenduntur. Aduerſus impietatem quoque Arrianorum hæreticorum no-
uum nomen patres homouſion condiderunt, ſed non rem nouam tali nomine ſigna-
Ioan.10. uerunt. Hoc enim vocatur homouſion,quod eſt, Ego & pater vnum ſumus, vnius vi-
delicet eiuſdemq́ue ſubſtantiæ. Nam ſi omnis nouitas prophana eſſet, nec à domino
Ioan.13. diceretur, Mandatum nouum do vobis. Nec teſtamentum appellaretur nouum, nec
cantaretur in vniuerſa terra canticum nouum. Sed prophanæ ſunt verborum noui-
tates, vbi dicit mulier inſipiens & audax, Panes occultos libenter attingite, & aquæ
furtiuæ dulcedinem. Ab hac pollicitatione falſæ ſcientiæ prohibet etiam illo loco apo-
1.Timot.6. ſtolus, vbi dicit: O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum no-
uitates, & contradictiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa
fidem exciderunt. Nihil enim ſic amant iſti, quàm ſcientiam promittere, & fidem re-
rum verarum quas credere paruuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere. Hæc
ille. Vides ineſcatos hamo ſalſæ doctrinæ, & ab infeſtiſsimis fidei hoſtibus circun-
uentos, magis pernicioſam & adulterinam hæreticorum doctrinam quàm veram
& euangelicam expetere.

ARGVMENTVM DECIMI CAPITIS.

Modeſta liberorum ſapientia mirum in modum parentes oblectat, ſtultitia uero & petulantia triſtes & tæbidos reddit. Theſauri dolo rapina & direptione parti, nulli proderunt. Non patictur dominus uiros æquitatis ſtudioſiſsimos, & qui ſitiunt iuſtitiam, perire fame, quibus cæleſti benedictione donatis exoptatiſsimum ſui patris regnum pollicitus eſt: ſubdola uero impiorum machinamenta ac occultas inſidias ſubuertet, eorumq́; nomen & uanam gloriam delebit, & quod exhorrebant ſupplicium ipſis irrogabit. Eam conſtantiam & animi magnitudinem iuſtis tribuet, ut procelloſis aduerſitatum fluctibus iactati, non fluctuent, nec de gradu deiiciantur.

CAPVT DECIMVM.

P*Arabolæ Salomonis filii Dauid regis Hieruſalem. Filius ſapiens lætificat patrem: filius uero ſtultus mœſtitia eſt matri ſuæ. Non proderunt theſauri impietatis, iuſtitia uero liberabit à morte. Non affliget dominus fame animam iuſti, & inſidias impiorum ſubuertet. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, manus autem fortiũ diuitias parat. Qui autem nititur mendaciis, hic paſcit uentos: idem ſequitur aues uolantes. Qui congregat in meſſe, filius ſapiens eſt: qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.*) Quia nouum loquendi genus aggreditur, nouam ponit inſcriptionem: nec futuræ parabolæ eam retinent connexionem, quam præcedentes vna & eadem ſententia contextæ retinebant, ſed vnaquæque per ſe & ſeorſ...

ſeorſim ſententiam ſibi vendicabit, & plerunque vnius rei virtute alterius vitium elucеſcet. Filius accipiens à patre rectam educationem, & vtiliſsima honeſtæ vitæ præcepta, prudens ſapienſque euadit,& capeſſendo veram ſapientiæ culturam, non ſolum patri honorem & gloriam, ſed maximā animi lætitiam adfert.Nam optimos ſui patris mores, & natiuam indolem referendo,à præclara ſuorum parentum virtute non degenerat. Quid enim iucundius ac optabilius patri contingere poteſt quàm reſcire à viris probis ſuos liberos de virtute ad virtutem adoleſcere?Quid denique parentes magis oblectat,quàm liberorum cōmendatio?At verò quid magis patrē torquet & diſcruciat,quàm ſuorum filiorum improbitas,ſtultitia & arrogātia?Et forſitan ex eo pater explorata ſui filij ſapientia lætatur,quòd præſentiat ſuam œconomiam nōnihil commodi à prudentia ſui filij conſequuturam,quòd denique poſt ſuam mortem filius ſapientia præditus paternam domum prudenter moderabitur. Quod nobis compertum eſt de ipſo Ioſeph filiorum Iacob prudentiſsimo & ſapientiſsimo, qui cum irruiſſet in oſcula ſui patris in Aegyptum deſcēdentis,hæc à patre audiuit,Iam lætus moriar,quia vidi faciem tuam,& ſuperſtitem te relinquo. Filius verò ſtultus mœſtitia eſt matris ſuæ.) Sed dic quæſo cur potius matris quàm patris meminit,cum ſtoliditas liberorum non ſolùm mœrorem & triſtitiam incutiat matri, verumetiam & patri? Ex eo nuncupatim matris meminit,quoniam ſtulti cum ſint inepti ad obeunda foris munera, & expedienda negocia, ſolent domi manere vnà cum matre:quæ cognita liberorum ſtultitia,abſente viro vehementer angitur & dolet. Non proderunt theſauri impietatis.) id eſt,diuitiæ furto,calliditate,rapina & circunuentione partæ,officient plurimum ſaluti illius qui eas iniuſtè acquiſiuit. Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.Huic loco conſentaneum eſt quod in libro Hieremiæ dicit dominus de Hieruſalem, Diuitias tuas & theſauros tuos in direptionem dabo gratis in omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis,& adducam inimicos tuos de terra quam neſcis,quia ignis ſucceſus eſt in furore meo,& ſuper vos ardebit. Scribit & Oſee propheta, Adducet ventum vrentem dominus de deſerto aſcendentem,& ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius,& ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis. Et licet theſauri per impietatem acquiſiti videantur nos aliquando à morte corporali eripere, tamen plus nobis detrimenti pro ſua impietate quàm commodi adferunt.Aliter, Theſauri impietatis, ſunt bona temporanea,quæ licet non ſint malè acquiſita, dicuntur tamen theſauri iniquitatis propter adiunctum effectum,quoniam per accidens nobis ſuppeditant materiam & occaſionem multorum vitiorum.Nam diuites plerunque elati in ſuperbiam inſoleſcunt,& molliter educati declinant ad luxuriam.Idcirco dominus in euangelio vocat diuitias mammonam iniquitatis,dicens,Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.Quem locum enarrans Theophylactus dicit, Si diuitiæ quæ iuſtis modis partæ ſunt, ſiquando non bene diſpenſantur, & dantur pauperibus, iniuſtitia & mammona reputantur:quæ ex iniuſtitia, multo magis. Dicit etiam Paulus de iis qui immodicis congerendarum diuitiarum affectibus inuoluuntur, Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.Radix enim omnium malorum eſt cupiditas:quam quidam appetentes,errauerunt à fide,& inſeruerunt ſe doloribus multis. Tolle affectum diuitiarum quo inardeſcis,& tibi vtiles erunt diuitiæ. Siquidem ſunt nerui adipiſcendarum virtutum, quibus bene vtuntur iuſti, quorum iuſtitia non quærens aliena, liberat à morte corporea, & à perpetuis ſuppliciis, ſi modò in tali virtute ad finem vſq; perſeuerauerint. Nō affliget dominus fame animā iuſti.) Huic loco cohærere videtur quod dicit Dauid,Iunior fui, etenim ſenui,& non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Et licet dominus aliquando affligat fame corpus iuſti, aut permittat ad probandam eius patientiam vt omnino ſanie & vlceribus intabeſcat, quod de ipſo Iob (quem nemo negat fuiſſe rariſsimum patientiæ & iuſtitiæ exemplar) exploratum eſt,tamen non vexat fame & ſumma inedia animam iuſti, ſed eam ſua gratia ampliſsimè paſcit & fouet. Et inſidias impiorū ſubuertet.) Quia non permittit vt qđ vafrè in iuſtorū perniciē moliti ſunt,aſſequatur.Hinc dicebat Iob,Dominus diſsipat

Gene.46. Hier.15. Oſee.13. Luc.16. Theophylactus. 1.Timot.6. Pſal.36. Iob.5.

cogitationes malignorum,ne poſsint implere manus eorum quod cœperant.Et plerú-
que dominus retorquet inſidias impiorum in caput ipſorum:quod innuit propheta di-
Pſal.9. cens,In laqueo iſto quem abſconderunt , comprehenſus eſt pes eorum. Cognoſcetur
dominus iudicia faciens. In operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.
Subuertit etiam dominus inſidias Saulis quas parauerat Dauidi viro ſanè ſimpliciſsi-
Pſal 96. mo & religioſiſsimo,nec permiſit vt veniret in manus ſui inimici. Cuſtodit enim do-
Pſal.144. minus animas ſeruorum ſuorum:de manu peccatoris liberabit eos. Et alibi, Cuſtodit
dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Egeſtatem operata eſt
manus remiſſa, manus autem fortium diuitias parat.) Qui in labore ſocordes ſunt ,&
vmbratilem agunt vitam,ac intra conſepta deſides cũctantur,plerunque in extremam
paupertatem incidunt,& digni ſunt vt fame pereant. Qui verò viliſsimum torpedinis
ocium fugiunt,& pigritiam abhorrent, ſuaq́ue corpora ſub dio roborant & exercent,
cumulatiſsimas ſibi comparant diuitias : quandoquidem nihil eſt quod tam facilè ho-
minem diuitem reddat,quàm in opere labor aſsiduus. Qui nititur mendaciis , hic
paſcit ventos. Idem ſequitur aues volantes.) Qui conatur mendaciis & vafris commen-
tis quicquam obtinere,ludit operam,& vento inſtabilior efficitur. Nam ventus omnia
diſsipat,cogitq́ue euaneſcere. Idcirco perdit operam & oleum,ac inaniter laborat, qui
paſcit ventos. Similes ſunt eæ formulæ, reti ventos venari,vento loqui. Idem incaſſum
ſudat,qui ſequitur aues volantes,& propria inconſtantia circunfertur , & inſtar auium
vndique agitatur,nec illi certum eſt vbi nam locorum pedem tutò figet. Qui cógre-
gat in meſſe,filius ſapiēs eſt:qui autem ſtertit æſtate, filius confuſionis.) Dũ nobis pro-
ſperè arrident omnia,& floret ætas,debemus ſerere vt metamus,& opportuno tempore
nonnihil congregare,quò poſsimus noſtram ſenectutem iucundius tranſigere : & qui
hoc viuendi inſtitutum ſequũtur,filij ſunt ſapientiæ. Qui verò oſcitanter etiam ad me-
diam vſque lucem torpedine ſoluti ſtertunt,& bonas horas perdunt,filij ſunt confuſio-
nis, id eſt digni confuſione , ſicut Dauid dicebat ad Abner negligenter cuſtodientem
1.Reg.26. Saul, Viuit dominus,quoniam filij mortis eſtis vos,id eſt digni morte,quia non cuſto-
diſtis dominum veſtrum, Chriſtum domini.

¶ Benedictio domini ſuper caput iuſti , os autem impiorum operit iniquitas. Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Sapiens corde præcepta ſuſcipiet, ſtultus cæditur labiis. Qui ambulat ſimpliciter,ambulat confidenter: qui autem depravat uias ſuas , manifeſtus erit. Qui annuit oculo, dabit dolorem. Stultus labiis uerberabitur. Vena uitæ, os iuſti,os autem impiorum operit iniquitatem. Odium ſuſcitat rixas, & uniuerſa delicta operit charitas. In labiis ſapientis inuenitur ſapientia, & uirga in dorſo eius qui indiget corde. Sapientes abſcondunt ſcientiam : os autem ſtulti , confuſioni proximum eſt . Subſtantia diuitis , urbs fortitudinis eius : pauor pauperum , egeſtas eorum.)

Quos nouit dominus ſuis præceptis obſequi,bonorum omnium benedictione di-
Deute.11. tat : quod non difficile erit ex ſacris literis ſuadere. In Deuteronomio dicit,En propo-
no in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem , ſi
obedieritis mandatis domini Dei veſtri quæ ego hodie præcipio vobis. Maledictio-
nem , ſi non obedieritis mandatis domini Dei veſtri, ſed receſſeritis de via quam ego
Deute.28. nunc oſtendo vobis , & ambulaueritis poſt deos alienos , quos ignoratis. Iterum , Si
audieris vocem domini Dei tui , vt facias atque cuſtodias omnia mandata eius,quæ
ego præcipio tibi hodie , faciet te dominus Deus tuus excelſiorem cunctis gentibus
quæ verſantur in terra. Venientq́ue ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ,& apprehen-
dent te,ſi tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro.
Benedictus fructus ventris tui ,& fructus terræ tuæ , fructuſq́ue iumentorum tuo-
rum, greges armentorum tuorum,& caulæ ouium tuarum . Benedicta horrea tua , &
benedictæ reliquiæ tuæ . Benedictus eris ingrediens & egrediens . Dicit etiam Da-
Pſal.23. uid, Innocentem & mundum corde accepturum à domino benedictionem,& miſeri-
cordiam à Deo ſalutari ſuo. Huic quoq; Salomonis loco perſimile eſt illud Eccleſiaſtici,
Eccleſ.11. Benedictio Dei in mercedé iuſti feſtinat,& in honore veloci proceſſus illius fructificat.
Matt. 25. Iuſtis in extremo iudicio dicetur, Venite benedicti patris mei,poſsidete paratũ vobis re-
gnũ à cõſtitutione mũdi. Eſuriui enim,& dediſtis mihi mãducare:ſitiui,& dediſtis mihi
bibere:

bibere:hoſpes eram, & collegiſtis me:nudus, & operuiſtis me:infirmus, & viſitaſtis me: in carcere eram,& veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti dicentes, Domine quando te vidimus eſurientem,& pauimus?ſitientem,& dedimus tibi potum?quando autem te vidimus hoſpitem,& collegimus te?aut nudum,& cooperuimus te?aut quãdo te vidimus infirmum,aut in carcere,& venimus ad te?Et reſpondens rex dicet illis, Amen dico vobis,quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis,mihi feciſtis. Os impiorũ operit iniquitas.) Malorum omnium officina ex mendaciſsimo impiorum ore ac cõuiciatrice lingua diſfluit.Denique iniuriæ,contentiones, detractiones & obmurmurationes prodeunt. Nec abſurdè dixit diuus Iacobus linguam eſſe ignem,& vniuerſitatẽ Iaco.3.
iniquitatis,quæ maculat totum corpus,& inflammat rotã natiuitatis noſtræ,inflammata à gehenna. Aliter(vt alij volunt)os impiorum quod comeſſationi & ebrietati, & colloquiis malis ſeruiebat,iniquitate quam geſsit,condemnabitur. Denique os illius operuit iniquitas, qui in tormentis poſitus,linguam ſibi in qua ob plura ſcelera plus punitus eſt, refrigerari quæſiuit, nec tamen fuit refrigerata. Lucæ 16.
Memoria iuſti cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet.) Qui virtutes ipſas colunt, & ſolum quod honeſtum eſt admirantur,ſolent non ſolum iuſtos viuentes, ſed etiam defunctos laudibus efferre, quorum memoria immortalitati conſecrata eſt. Vnde dicit Dauid de perpetua iuſtorum commendatione,In memoria æterna erit iuſtus. Iniuſtorum verò & impiorum nomen ac memoria delebitur:quod paſsim ſacra ſcriptura monſtrat. Psal.111.
Siquidem in libro Iob ſcriptum eſt,Nonne lux impij extinguetur? nec ſplendebit flamma ignis eius? Iob.18.
Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius,& lucerna quæ ſuper eum eſt,extinguetur. Et paulò pòſt, Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis.Et huic ſubſcribit ſententiæ quod ſcribit Dauid,Increpaſti gentes,& periit impius: Psal.9.
nomen eorum deleſti in æternum,& in ſeculum ſeculi:inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti: Periit memoria eorum cum ſonitu.Item, Vultus Psal.33.
domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Nec ab iis diuerſum eſt quod dicit Eccleſiaſticus, Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu. Et alibi, Sunt quorum non eſt memoria: perierunt quaſi qui non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati. Eccleſ.10. Eccleſ.44.
Sapiens corde præcepta ſuſcipiet, ſtultus cæditur labiis.) Sapiens prompto animo morem gerit Deo & hominibus: nec quicquam putat ſibi eſſe vtilius, quàm ſanctas Dei leges in intimis præcordiis recondere, eaſque reconditas obſeruare. Stultus verò nolens rectè monenti parêre,nec maiorum ſancitis obſequi, labiis corrigẽtis tanquã flagellis affligitur. Qui ambulat ſimpliciter,ambulat confidenter. Qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit.) Ambulat ſimpliciter, qui licet & opibus & literis abundet, nihil tamen ſibi arrogat.In proſperis non attollit ſupercilium, nec in aduerſis decidit. Qui denique honores & magiſtratus deſpicit,& æquo animo ſiniſtra quæque tolerat: quandam ſimplicitatem columbinam præ ſe fert,& multis caſibus concuſſus,ac infortuniis iactatus, confidit tutò ſe per multas tribulationes ad regnum Dei venturum,dicens cum propheta, Dominus protector vitæ meæ,à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, Psal.26.
vt edant carnes meas: Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.Apoſtoli perfectæ ſimplicitatis alumni, confidenter ambulabant, cum dicebant Chriſto,Ecce nos reliquimus omnia,& ſecuti ſum⁹ te:quid ergo erit nobis?Quibus præceptor optimus dixit,Amen dico vobis,quòd vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores,aut patrem,aut matrem,aut vxorem,aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet,& vitam æternam poſsidebit. Aliter, Ambulat ſimpliciter,qui aliorum doctrinam extollit,ſuam verò extenuat,& rectam ac regiam ſectando orbitam, à communi doctorum iudicio nunquam diſcedit. Ille verò arroganter incedit, qui nimium ſibi placet,& ſuas virtutes, ſuaque ſtudia immodicè iactat, & maiorum cenſuras tanquam ſomnia deridet: ſed non ambulat confidenter, quia præceps in multos errores & plerunq; in hæreſim corruit,& à recto calle deflectẽdo,nolens pateſcit. Nihil Matt.19.

Math.10. enim authore Chriſto opertum eſt,quod non reueletur:& occultum, quod nõ ſciatur.
Qui annuit oculo,dabit dolorem.) Signis impudicitiæ, & tacito nutu quo venereum
amorem extraneæ mulieri indicamus,plerunque excitamus virum ad iracundiam ,&
huiuſmodi fraudulentis indiciis concipit dolorem. Aut,ſi mauis, Qui nutibus oculorũ
quempiam ſubſannat,non euadet ſine dolore tormenti aut pœnitudinis. Vnde in pſal-
Pſal.34. mis ſcriptum eſt,Non ſupergaudeant mihi qui aduerſantur mihi iniquè,qui oderũt me
gratis,& annuunt oculis.Illi annuunt oculis, authore Auguſtino interpretante verſicu-
Auguſti. lum illum,qui pronunciant vultu,quod in corde non geſtant.Et de illis ſubiungit pro-
pheta,Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, in iracundia terræ loquentes do-
los cogitabant. Stultus labiis verberabitur.) Huiuſce parabolæ ſententia diſcuſſa eſt.
Suis etenim affligetur labiis,quibus damnari meruit, aut ab illis ſententiam damnatio-
nis accipiet, à quibus corrigi non potuit. Vena vitæ ,os iuſtorum autem impiorum
operit iniquitatem.) A compoſito & pudico iuſtorum ore verba vitæ tanquam ſalu-
Lucæ.4. taris aquæ flumina prodeunt. Vnde de Chriſto apud Lucam ſcriptum eſt, Omnes teſti-
monium illi dabant:& mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius. Os
autem impij obtegit iniquitatem: quandoquidem impius ſua vitia aut negat aut prętę-
xit,aut excuſare nititur,ne quod demeruit tormentum ſufferat. Et pro euitatione hu-
Pſal.140. ius prodigioſi mali orauit propheta dicens,Ne declines cor meum in verba malitiæ ad
excuſandas excuſationes in peccatis. Odium ſuſcitat rixas.) Siquidem odium cum è
venenato corde erumpit,concitat tragœdias,& inimicas contentiones.Etiam cũ quem-
piam pertinaci odio perſequimur,facilè aduerſus illum in verba probroſa prorumpi-
mus.Nam odium,rixarum conuiciorum & malorum omnium ſeminarium eſt.Et huic
Eccleſ.5. loco conſentaneum eſt illud Eccleſiaſtici,Suſurratori odium,& inimicitia,& contume-
Eccleſ.6. lia.Et alibi,Eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam,& eſt qui odium & rixam & cõ-
uicia denudabit. Et vniuerſa delicta operit charitas.)Huic loco finitimum eſt illud Pe-
1.Pet.4. tri,Charitas operit multitudinem peccatorum.Et illa eſt qua diligimus Deum & proxi-
mum:& præclaris miſericordiæ officiis Dei ac hominum gratiam demeremur.Siquidẽ
charitatis mater eſt miſericordia ſiue eleemoſyna. Et eam ob cauſam charitas vniuerſa
delicta tegit,quia aufert vitia quibus à Deo auertebamur : nec illa nobis amplius impu-
Pſal.31. tat,& hoc beneficio beati ſumus:quod regius propheta declarat dicens, Beati, quorum
remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.Et tantæ eſt energiæ charitas, vt
ſuo feruore peccatorum omnium ignes extinguat. In labiis ſapientis inuenitur ſapiẽ-
tia.) Sapiens Chriſtum (qui vera eſt & ſumma ſapientia) prædicat & extollit , eiuſque
euangelicam philoſophiam docet.Et quoniam voces ſunt notę affectuum animi,ſapiẽs
ore profert quod mente concepit,nec eius vox ab animo diſsidet. Vnde dicebat Chri-
Mat.12. ſtus aduerſus Iudæos,Ex abundantia cordis os loquitur.Bonus homo de bono theſauro
profert bona,& malus homo de malo theſauro profert mala. Quòd ſi labia ſtultorum
ſtultitiam narrent,labia ſapientum ſapientiam narrabunt.Et hoc ſcitè declarat Eccle-
Eccleſ.21. ſiaſticus,dicens,Labia imprudentum ſtulta narrabunt,verba autem prudentum ſtatera
ponderabuntur.In ore fatuorum cor illorum,& in corde ſapientium os illorum. Et
virga in dorſo eius qui indiget corde.) Qui occæcatus eſt corde,nec prudentiam ac ra-
tionem ducẽ ſequitur,affligetur virga in poſterioribus, id eſt in futuro ſeculo. Et quòd
1.Reg.5. Philiſtæi propter ſuam inſipientiam,& detentionem arcæ, percuſsi fuerint in natibus,
præfigurabat,imprudentes,ſtolidos,& arrogantes,poſt hanc vitam (ſi eos nõ pœnitue-
rit) perpeſſuros ſupplicia. Dauid quoque prophetans de perditiſsimis Iudæis dicit in
Pſal.68. perſona Chriſti,Obſcurentur oculi eorum,ne videant:& dorſum eorũ ſemper incurua.
Auguſti. Hunc autem locum ediſſerens Auguſtinus dicit,Qui futuræ vitæ ſpem non intelligunt,
iam excæcati de inferioribus cogitant.& hoc eſt habere dorſum curuum,a quo morbo
Lucæ.13. dominus mulierem illam liberauit. Alligauerat enim eam ſatanas annis decem & octo,
& eam curuatam erexit:& quia ſabbato faciebat,ſcandalizati ſunt Iudæi.Bene ſcandali-
zati ſunt de illa erecta ipſi curui. Sapientes abſcondunt ſcientiam.) Sapientis eſt op-
portuno tempore & potiſsimum coram deriſoribus ſuam tacere ſcientiam,nec eam ſu-
Eccleſ.3. perbe iactare.Eſt enim tempus tacendi,& tempus loquendi. Et vbi potiſsimum fruſtra
niteretur

niteretur ſuam inuulgãdo doctrinam,debet ad tẽpus tacere. Et huic perſimile eſt quod
dicit Eccleſiaſticus,Homo ſapiẽs tacebit vſque ad tempus.Debet etiam abditiſsima ſuæ Eccle.20.
ſapientiæ myſteria coram illis reticere qui lacte indigent, & non ſolido cibo: perfectis
autem,& iis qui exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali, detegere:quod Hebr.5. 1.Corin.2.
ſuadet Paulus dicens,Sapientiam loquimur inter perfectos.Et alibi,Nõ potui vobis lo- 1.Corin.3.
qui quaſi ſpiritualibus,ſed quaſi carnalibus. tãquam paruulis in Chriſto, lac vobis po-
tum dedi,non eſcam:nondum enim poteratis,ſed nec nunc quidẽ poteſtis. adhuc enim
carnales eſtis. Os autem ſtulti confuſioni proximum eſt.) Nam ſtultus loquens quæ
non decet,& ſine rationis freno,confuſionem ſibi parit, & ſibi ruinam parat, cũ aperte
conuiciatur,& mala loquitur. Subſtantia diuitis, vrbs fortitudinis eius:pauor paupe-
rum,egeſtas eorũ.)Non minus diuites ſuis fidunt diuitiis,quàm ab hoſtibus obſeſsi mu-
ris fortiſsimis,nec egeſtatem reformidant.Pauperes verò idcirco pauent,quia norunt ſe
eſſe egenos,& maximè timent ne inopia deficiant.

¶ *Opus iuſti ad uitam,fructus autem impii ad peccatum.Via uitæ cuſtodienti diſciplinam: qui autem incre-
pationes relinquit,errat.Abſcondunt odium labia mendacia.Qui profert contumelian,inſipiens eſt.In multi-
loquio non deerit peccatum:qui autem moderatur labia ſua,prudentiſsimus eſt. Argentum electum lingua
iuſti,cor autem impiorum pro nihilo.Labia iuſti erudiunt plurimos:qui autem indocti ſunt,in cordis egeſtate
morientur.Benedictio domini diuites facit,nec ſociabitur eis afflictio.)* Eximia iuſtorũ officia tendũt
ad vitam cæleſtem,& ad gloriam æternã:denique iuſti fœliciſsima vita fruentur,de qui-
bus dicit Sapientia,Iuſti autem in perpetuum viuent, & apud dominum eſt merces eo- Sapi.5.
rum,& cogitatio illorum apud altiſsimum.Opera vero impiorum ſecum peccatum ac-
cerſunt,& ex conſequio mortem & gehennam.Nam ſtipendia peccati,mors. Via vitæ Roma.6.
cuſtodienti diſciplinam:qui autem increpationes relinquit,errat.) Qui non ſolum nõ
ægrè fert cum caſtigatur,ſed maxime gaudet,ſibi ſternit viam ad nanciſcendam vitam
æternam.Qui vero triſtatur,& iniquo fert animo ſe corrigi,& diſciplinam prorſus abii-
cit,à recto calle deflectit,& tota via aberrat. Abſcondunt odium labia mendacia:qui
profert contumeliam,inſipiens eſt.)Plerunque ſcatentes mendaciis, dum nobis callidè
blandiuntur & applaudunt,tegunt odia,& nituntur nobis occultè nocere,& ſimulant ſe
diligere quem vellent de vita ſublatum eſſe,ſicut Ioab dixit Amaſæ, Salue mi frater. & 2.Reg.20.
oſculando interfecit eum. Et Iudas ſceleratiſsimus proditor oſculo Chriſtum tradidit. Lucæ.22.
Et qui verba contumeliis conuiciiſque plena profert,nec reformidat viri probi famam
lædere,ſe inſipientem & deſpicatiſsimum oſtendit. In multiloquio non deerit pecca-
tum:qui autem moderatur labia ſua,prudentiſsimus eſt.)Πολυλογία ſiue multiloquium,
non tam in multis verbis quàm ſuperfluis reprehenditur:quod ſententia Auguſtini li-
bro primo cõtra Creſconium grammaticum capite primo,comprobare poſſumus, qui Auguſti.
hunc in modum ſcribit:Multiloquium eſt ſuperflua locutio, vitium ſcilicet loquendi
amore contractum.Et hanc garrulam loquacitatem in fundendis ad Deũ precibus de-
uitare debemus.Siquidem dicit Chriſtus in euangelio Matthæi, Orantes autem nolite Mat.6.
multum loqui,ſicut Ethnici faciunt.putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiãtur.
Nolite ergo aſsimilari eis.ſcit enim pater veſter quid opus ſit vobis,antequã petatis.Hũc
locum enarrans Auguſtinus libro II.de ſermone Domini in monte,dicit: Sicut hypo-
critarum eſt præbere ſe ſpectandos in oratione,quorum fructus eſt placere hominibus:
ita ethnicorum,id eſt gentilium,in multiloquio ſuo ſe putare exaudiri, Et reuera omne
multiloquium à gentilibus venit,qui exercendæ linguæ potius quàm mundando ani-
mo dant operam,vt hoc nugatorij ſtudij genus etiam ad precem fundendam transfer-
re conentur,arbitrantes Deum ſicut hominem iudicem verbis adduci in ſententiam.
Eandem quoque Chriſti ſententiam ediſſerẽs Hieronymus,dicit,Si ethnicus in oratio- Hierony.
ne multum loquitur,ergo qui Chriſtianus eſt, debet parum loqui. Et ſanè ab oppoſitis
efficaciſsimum texuit argumentum. Vult igitur Chriſtus vt non ſimus loquaces & bat-
tologi in precibus noſtris.Eſt autem battologia authore Theophylacto in enarratione Theophylactus.
eiuſdem loci,nugacitas:vt exempli gratia petere aliquid terrenum,gloriam,diuitias, vi-
ctoriã. Battariſmus enim eſt inarticulata vox:qualis eſt puerorum. Tu igitur ne nugax
& multiloquus ſis.Et eam ob cauſam in multiloquio non deeſt peccatum, quòd loqua-

ciores impendiò,& qui verbis humidis & lapſantibus diffluunt, nec ſua exacto iudicio
verba concoquunt,facilè labuntur,& in varios errores decidunt.Sic enim authore Gel-
Gellius. lio,libro primo Atticarum noctium capite X V.videas quoſdam ſcatere verbis ſine vl-
lo iudicij negocio ,cū ſecuritate multa & profunda ,vt loquentes plerunque videantur
loqui ſeſe neſcire Qui autem coercet linguam ſuam , & labia moderatur , nec dicit quæ
dicenda non ſint,ſed tempeſtiuè loquitur,prudentiſsimus cenſetur,qualis erat Vlyſſes,
vir quidem ſapienti facundia præditus,qui teſte Homero, non mittebat vocem ex ore,
ſed ex pectore.Et petulantiæ verborum coercendæ vallum dentium debet eſſe oppoſi-
tum,vt loquendi temeritas non cordis tantum cuſtodia atque vigilia cohibeatur,ſed &
quibuſdam quaſi excubiis in ore poſitis ſepiatur.Huic quoque Salomonis prouerbio cō
fine eſt illud adagium , Non eſt eiuſdem & multa & opportuna dicere. Sunt enim hæc
ſeiuncta,multa & apta dicere.Hoc autem adagio admonemur vt vitemus multiloquen-
tiam,quòd ferè labi neceſſe ſit,quiſquis multum loqui conetur . Argētum electum lin-
gua iuſti,cor autem impiorum pro nihilo.) Argentum electum eſt integrum , incorru-
ptum & probatum,omnibuſque vitiis detractis emaculatum , quod dici poteſt argētum
purum putū,ideſt valde purū,quaſi expuratū excoctūque,& omni aliena materia carēs.
Nec minus munda ſunt iuſti verba quàm argentum electum,quod ſuo fulgore paſcit o-
culos.Et inculpata iuſtorum vita igne ſpiritusſancti ſuccenſa,velut argentum examina-
tur.Argentum quippe vel aurum ſi adulterinum ſit,igne cōſumitur:ſi verò purum,igne
niteſcit,& proprium ſplendorem retinet.Sic nimirum eſt ſenſus vniuſcuiuſque operan-
tis.Nam qualis ſit,in eo quod laudatur,oſtenditur:quod expreſsit Paulus ad Corinthios
1.Cor.3. dicēs,Vniuſcuiuſque op⁹ quale ſit,ignis probabit.Dauid confert in Pſalmis eloquia do-
Pſal.11. mini caſta argento igne examinato,dicens,Eloquia domini eloquia caſta,argentū igne
examinatum,probatum terræ,purgatum ſeptuplum. Cor autem impiorū pro nihilo)
Siquidem impij & contemptiſsimi homines nihili fiunt , cum rectæ rationis cancellos
Pſal.57. tranſiliunt,& dei pręcepta tranſgrediuntur. Nam de ſceleratis canimus in eccleſia, Ad
Pſal.72. nihilum deueniēt,tanquam aqua decurrens.Iterum, Velut ſomnium ſurgētium , domi-
Hiere.10. ne in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.Inſuper Hieremias agens per-
ſonam peccatoris , dicit,Corripe me domine,veruntamen in iudicio , & non in furore
tuo,ne forte ad nihilum redigas me.Denique Chriſtus ſuos alloquens apoſtolos & apo-
ſtolicos viros,dicit:Vos eſtis ſal terræ.Quòd ſi ſal euanuerit,in quo ſalietur?ad nihilum
Mat.5. valet vltrà,niſi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus. Labia iuſti erudiūt plu-
rimos.) Nam iuſti ſanctiſsimo honeſtæ vitæ exemplo docent,& alios ad virtutum ſtu-
dia inflammant.Corrigunt & delinquentes , bonos hortantur vt in ſanctimonia vitæ &
morum probitate perſeuerent:malos vero,vt reſipiſcant.Etiam conſulunt quid agen-
dum ſit vel proſequendum,prædicant dum tempus poſtulant.Illi non abutuntur donis
Mat.25. dei,nec talentum ſibi concreditum in terram defodiunt. Alij receptis quinq; talētis,a-
lia quinque ſua induſtria ſuaq; diligentia ſuperlucrati ſunt. Alij duobus talentis alia duo
cum fœnore adiecerunt : quibus dominus in fine iudicij dicet: Intrate in gaudium do-
Eccleſi.27. mini veſtri. Et huic Salomonis ſententiæ cohæret illud Eccleſiaſtici, Vir peritus multos
Ibidem erudiuit.Item. Vir ſapiens plebem ſuam erudit,& fructus ſenſus illius fideles ſunt. Qui
autem indocti ſunt,in cordis egeſtate morientur.) Septuaginta legunt ἄφρονες,id eſt in-
ſipientes.Et illi ſunt qui ſapientiæ leges contemnunt,aut nolunt ſcire quæ ſunt neceſſa-
ria ad ſalutem:& quia negligunt ſuas ſaluare animas , non abſurde dicuntur cordis ino-
pia laborare:idcirco miſerè moriētur,& poſthac luent pœnas.Aut illi ſunt verè inſipiē-
tes,& potius ſtulti,qui talētum ſibi à domino concreditum abſcondunt in terra, quibus
nihil eſt cordis,nec integri animi.Nec iniuria dominus vehementer ſtomachatus eſt in
Mat.25. ſeruum negligentiſsimum,qui talentum fodit in terram,& abſcondit pecuniam domini
ſui.Et cum ſuæ ignauiæ prætexeret excuſationem , dicens,Domine,ſcio quia homo duc
rus es,metis vbi non ſeminaſti,& congregas vbi non ſparſiſti, & timens abij & abſcondi
talētum tuū in terra:ecce habes quod tuum eſt:reſpōdit ei dominus:Serue male & piger,
ſciebas quia meto vbi non ſemino,& congrego vbi non ſparſi?oportuit ergo te commit
tere pecuniam meam nummulariis,& veniēs ego recepiſſem vtique quod meum eſt,cum
vſura.

vſura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur,& abundabit:ei autem qui non habet,& quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores. illic erit fletus,& ſtridor dētium. Benedictio domini diuites facit,nec ſociabitur eis afflictio.) Hæc bona ex parte declarata ſunt eo in loco,Benedictio domini ſuper caput iuſti. Deus nobis benedicendo largitur abunde munera, & nos ſpiritalibus diuitiis (quibus nihil optabilius eſt) ditat: & huiuſmodi diuitiis nulla eſt afflictio adnexa, nec animi perturbatio. Deus ampliſsima benedictione benedixit Abrahæ, eiuſque nomen magnificauit; & ſemen Geneſ.12. multiplicauit ſicut ſtellas cæli, & velut arenā quæ eſt in littore maris. Meminit & Paulus Geneſ.22. ſpiritalium benedictionum quæ in Chriſtianorum animos Dei beneficentia transfunduntur. Benedictus (inquit) Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos Epheſ.1. in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto.

¶ *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt uiro prudentia. Quod timet impius, ueniet ſuper eum: deſiderium ſuum iuſtis dabitur. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit impius, iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum in uia. Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Expectatio iuſtorum, lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis, uia domini, & pauor his qui operantur malum. Iuſtus in æternum non commouebitur, impii autem non habitabunt ſuper terram. Os iuſti parturiet ſapientiam, lingua prauorum peribit. Labia iuſti conſiderant placita, & os impiorum peruerſa.)* Stultus ridendo mordet & detrahit:& ne videatur aperte famam proximi lædere, mouet riſum. quòd ſi læſus conqueratur, promerendo excuſationem dicet, Ludens feci. Aliter, Stultus gaudet in ſcelere, & exhilareſcit cum quodpiam flagitium commiſit. Et vbi peruerſam viuendi conſuetudinem induit, mortifera peccata reputat eſſe ludum,& tam facilè delinquit, atque ridet: ſed eius riſus in triſtitiam vertetur. Vnde dicebat Chriſtus, Væ vobis qui ridetis nunc, Lucæ.6. quia lugebitis & flebitis. Sapientia eſt viro prudentia.) Nam rerum diuinarum cognitio plurimum ſapienti confert vt res humanas moderetur, quod prudentis propriū eſt officium. Et huic loco cōducit illud Pauli, Spiritualis homo omnia iudicat. Quod ti- 1.Corin.2. met impius, veniet ſuper eum.) Huic loco videtur aduerſari illud Eccleſiaſtæ, Abſque Eccleſ.8. timore vllo filij hominum perpetrant mala. non tamen aduerſatur. Non enim voluit innuere Eccleſiaſtes quòd nullo timore concutiantur qui vitia committunt, ſed ex præcedentibus colligit, dicens, Etenim quia non profertur citò contra malos ſentētia, abſq; timore vllo filij hominum perpetrant mala. Adde, quòd licet ij qui ſuas ſequuntur perturbationes, aut furore correpti in exordio abſque vllo timore pœnæ proſiliant in flagitia, tamen commiſſo ſcelere, & ſedatis aliquātulum paſsionibus, & deferueſcente iracundia, reformidant ſupplicia quæ in hoc ſeculo aut in futuro ſubibunt. Etiam de illo impio dicit Salomon, qui ſciens peccat. Ille enim timet incurrere pœnam quam demeruit. Pertimeſcit etiam videre ſuæ impietatis iudicem. Horrēdum eſt enim (authore Hebr.10. Paulo) incidere in manus Dei viuentis. Dicit etiam Chriſtus, Nolite timere eos qui oc- Mat.10. cidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Saul propter inobedientiam abdicatus eſt 1.Reg.15. regno, quod maxime reformidabat:& Dauid Dei voluntate rex inſtitutus. Deſideriū 1.Reg.16. ſuum iuſtis dabitur.) Qui in hoc ſeculo ſitiunt iuſtitiam, eamque enixè colunt, æterna præmia pro quibus generoſiſsimè certarunt, ſummopere deſiderant, nec ſuo deſiderio fraudabuntur. Nam fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Sapi.3. Et qui iuſtitia cæteris præcellunt,& mundanas voluptates abiiciunt, nec rebus humanis gaudent, deſiderant diſſolui,& eſſe cum Chriſto. Quaſi tempeſtas tranſiens non erit Philip.1. impius, iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum.) Quoniam tempeſtas violento impetu fertur, ſubitò cadit, nec diu durare poteſt. Nec etiā improbiſsimi viri diu florent in ſuis vitiis, ſed citò tolluntur de medio,& pereunt. Quod planè docet Iob dicēs, Vidi eos qui operantur iniquitatem,& ſeminant dolores,& metunt eos, flante Deo per- Iob.4. iſſe, & ſpiritu iræ eius eſſe conſumptos. Et hanc confirmat ſententiam propheta dicēs, Sicut deficit fumus, deficiant: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Pſal.67. Dei. Et alibi, Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierūt propter Pſal.72.

iniquitatem ſuam. Iuſtus autem muro aheneo ſtabilior, ſolidiſsimum eſt fundamētum, quod turbine & aquiloniis ventis ac imbribus agitatū, nunquam corruit. Nam ſuam do
Mat.7. mum ædificauit ſuper firmiſsimam petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat ſuper petram. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his qui miſerunt eum in via.) Quemadmodum acetum ſua aſperitate dentibus nocet, quia eos reddit acidos, & fumus oculis tenebras offundit, ita piger ſua ſocordia illos affligit, à quibus ad obeundum munus quodpiam miſſus eſt, quia nec cauſas nec domeſtica negocia expedit, nec opportu-
4.Reg.20. nè redit. Timor domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur) Ezechias rex iuſtiſsimus poſt longam ægritudinem, & acutiſsimum morbum quo torquebatur, meruit orationibus & lachrymis quindecim annos ſuæ vitæ adiici. Et quia timebat offendere deum, & ambulauit coram domino in veritate & in corde perfecto, priſtinam incolumitatem recuperauit. Anni impiorum breuiabuntur.) Huic tamen ſententiolæ vi-
Eccleſ.7. detur illud Eccleſiaſtæ aduerſari, Impius multo viuit tempore in malitia ſua. non tamē aduerſatur. Nam licet dominus & clementiſsimus & patientiſsimus toleret ad tempus malos, eóſque permittat multos annos viuere, vt tandem reſipiſcant, plerunque tamen repentè propter ſua ſcelera interficiuntur, & gulæ ac impudicis voluptatibus dediti, intempeſtiuè ſeneſcunt, & ſuam vitam abbreuiant. Et nobis hac in re ſubſcribit Eccleſiaſtes
Eccle.8. dicens: Non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed quaſi vmbra trāſeant, quī
Auguſti. non timet faciem domini. Eandem quoque quæſtionem quam mouimus, diſcutiēs Auguſtinus in libro Quæſtionū veteris ac noui teſtamēti, quæſtione XXXII I. dicit, Dignū erat quidem omnes impios non ſolum citius hac luce carere, verumetiam nec vnius momenti temporis vita frui, qui conditoris ſui immemores, vitæ totius authoritatem imputant creaturæ. Sed ſcriptura hos impios alloquitur, qui cum ſub dei lege agerent, propenſiores ad idola erant. peiores enim ſunt cæteris impiis. ſcientes enim Deum, & contemnentes eum, obtemperant ſeruis. Et quòd de his dictum ſit, probat apoſtolus dicēs, Sci-
Roma.3. mus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt, loquitur. Gentiles autem non habentur in numero viuorum. Expectatio iuſtorum lætitia.) Iuſti in hoc ſeculo bene beateque viuentes, æternam expectant beatitudinem, cui lætitia & iucundiſſima fruitio annexa eſt, nec ab ea diuelli poteſt. Non enim quiſpiam eſt perfecte beatus, niſi rebus optatis fruatur. De hac expectatione dicit propheta: Et nūc quę eſt expectatio
Pſal.38. mea? nonne dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt. Et alibi, Suſcipe me ſecundum elo-
Pſal.118. quium tuum, & viuam, & non cōfundas me ab expectatione mea. Huic quoque applau-
Roma.8. dit ſententiæ Paulus, dicens, Spe ſalui facti ſumus. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiā
Roma.12. expectamus. Et alibi, Spe gaudentes. Spes autem impiorum peribit) Vana eſt impiorū ſpes, quæ non tam dicenda eſt ſpes, quàm pręſumptio, quia præſumunt impij ſe abſque vllis meritis regnum dei conſequuturos, dicentes, Deus non creauit nos vt damnemur, ſed vt ſaluemur. Et illi ab illa futili ſpe decidunt. Etiam ſpes illorum ex eo peribit & ex-
Iob.11. tinguetur, quia facientes mala nunquam exiſtimant eſſe punienda. De illis dicit Iob, Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ.
Sapi.5. Hoc autem exquiſitius in libro ſapientiæ declaratur: Spes impij tāquam lanugo eſt quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Aut ſi mauis, Eam ob cauſam ſpes impiorum peribit, quia frequenter dum ſperant ſe diu victuros, & fortunam ſibi ſemper fore proſperam, vnde liberius genioſiuſque deliciis indulgent, plerunque falluntur, & ſubitò decidunt: quod pulchrè docet dominus in euangelio Lucæ de quodam diuite cuius ager vberes fructus attulerat, & cogitabat intra ſe di
Lucę.12. cens, Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meę, Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi deus: Stulte, hac nocte animā tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cuius erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in deū diues.

diues. Fortitudo ſimplicis,via domini,& pauor iis qui operantur malum.) Quid eo
fortius dici aut excogitari poteſt,qui aduerſus carnem,mundum & dęmones luctando,
non ceſsit arenæ, nec vllis vitiis ſuccubuit, nec de animi magnitudine in aduerſis de-
iici potuit?Talis ſanè eſt vir ſimplex obſeruans ſumma cum diligentia Dei præcepta.
Et licet abſtruſiſsima rerum diuinarum myſteria & arcana non intelligat, non ta-
men de ſua ſalute deſperat, ſed continuò ambulat in lege domini, & dignus eſt vt in-
ter fortiſsimos Chriſti athletas connumeretur. Fracti vero ſunt animi & timidi, o-
mniaque exhorreſcunt ſupplicia, qui flagitia perpetrant. Nemo enim non nouit,for-
nicatores, adulteros, fures, & id genus hominum, vehementer timere ne in ſuis vitiis
deprehendantur, & deprehenſi vapulent. Siquidem culpata conſcientia, & à ſe demor-
ſa,nihil non timet. Si malum feceris,authore Paulo, time: non enim ſine cauſa prin- Roma.13.
ceps gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Iu-
ſtus in æternum non commouebitur, impij autem non habitabunt ſuper terram.)
Non eò tendunt hæc verba,vt autor velit dicere iuſtum nullo modo poſſe peccare,nec
à virtute decidere in vitium (nam dicit Eccleſiaſtes,Iuſtus perit in iuſtitia ſua. & rur- Eccleſ.7.
ſum,Non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum,& non peccet) ſed quòd iu- Ibidem.
ſtus,quatenus iuſtus, à ſtabilitate ſuæ virtutis non decidat, & mallet honeſtam oppetere
mortem, quàm iuſtitiam deſerere, iuſtitiæque leges tranſgredi. Vnde dicebat Iob, Do- Iob.27.
nec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iuſtificationem meam quam cœpi te-
nere, non deſeram. Et in libro pſalmorum ſcriptum eſt,Iucundus homo qui miſeretur Pſal.111.
& commodat: diſponit ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebi-
tur.Paulus rem iſtam apertius detexit, dicens, Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Roma.8.
Tribulatio, an anguſtia, an fames,an nuditas, an periculum,an perſecutio, an gladius?
ſicut ſcriptum eſt, Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues Pſal.43.
occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum
enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes,
neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum,
neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domi-
no noſtro. Impij autem non habitabunt ſuper terram.) Impius quatenus impius, &
niſi ſuam emendauerit vitam,non incolet beatorum terram,de qua ſcriptum eſt,Credo Pſal.26.
videre bona domini in terra viuentium. Os iuſti parturiet ſapientiam, lingua pra-
uorum peribit.)Ex ore iuſti dimanat ſapientia,qua indocti & inſipientes(ſi velint) eru-
diuntur. A lingua vero prauorum diffluunt mendacia,iniuriæ, blaſphemiæ,contentio-
nes,& rixæ:quæ idcirco computreſcet & peribit,quia ſuis vitiis damnabitur. Ex euan-
gelio nobis exploratum eſt, diuitem epulonem in inferis magis lingua quàm cæteris Lucæ.16.
partibus diſcruciatum fuiſſe. Labia iuſti cõſiderant placita,& os impiorum peruerſa.)
Iuſti ſuis labiis diſtillant gratias,& penſiculatim perpendunt quænam Deo & homini-
bus placere debeant, nec quicquam temere dicunt quod quempiam offendere poſsit.
Vt autem hoc inſtitutum diligenter obſeruemus, nos monet Paulus dicens ad Ephe-
ſios,Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus ad ædificatio- Epheſ.4.
nem fidei, vt det gratiam audientibus.Rurſum,Vt filij lucis ambulate,probantes quid Epheſ.5.
ſit beneplacitum Deo:& nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarũ, magis
autem redarguite.Ex ore verò impiorum prodeunt peruerſa quæq;, blaſphemiæ cõtra
Deum,& iniuriæ aduerſus proximum.Nihil deniq; ſcelerati ſua dicaci lingua & conui-
ciatrice euomunt quod non ſit peſtilens & nociuum: quod Chriſtus aduerſus Scribas &
Phariſæos expreſsit dicens, Quæ procedunt de ore,de corde exeunt,& ea coinquinant Matt.15.
hominẽ.de corde enim exeunt cogitationes malæ,homicidia,adulteria,fornicationes,
furta,falſa teſtimonia,blaſphemiæ.Hæc ſunt quæ coinquinant hominem.

ARGVMENTVM VNDECIMI CAPITIS.

Sua dominus munera illis impartitur, qui in rerum commutationibus æquiſsima obſeruant pondera. Illos uero deteſtatur & à ſe reiicit, qui ſtatera doloſa ſimplices circumueniunt, & fraudulentis menſuris ampliſsimum faciunt quæſtum. Iuſti quandam ſimplicitatem & euangelicam humilitatem præ ſe ferunt, quorum uirtutibus & ſingulari benedictione ciuitates florent & extolluntur. Iniuſti uero ac improbi elatione animi & ſuperba quadã arrogantia, qua odibilius eſt nihil, inſoleſcunt: & quo elatiores ſunt, eo minus ſapiunt, magiſque delirant, & facilius perfidia notati, ſecretiora amicorum arcana detegunt. Si prudentiſsimus ciuitati gubernator defuerit, ipſa ſane corruet & ſubuertetur: eam autem ab obſidione hoſtium & nocumentis omnibus exquiſitiſsima proborum hominum cõſilia protegent, qui pro iuſtitia ad uictricem palmam aſcendent.

CAPVT VNDECIMVM.

STatera doloſa, abominatio eſt apud deum: & pondus æquum, uoluntas eius. Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & cõtumelia. Vbi autem humilitas, ibi & ſapientia. Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum uaſtabit illos. Non proderunt diuitiæ in die ultionis, iuſtitia autem liberabit à morte. Iuſtitia ſimplicis diriget uiam eius, & in impietate ſua corruet impius. Iuſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidiis ſuis capientur iniqui. Mortuo homine impio nulla erit ultrà ſpes, & expectatio ſollicitorum peribit.) Illos execratur dominus & odit, qui fraudulenta ſtatera & iniuſtis menſuris ementes fallunt, nec quod vendũt, æqua lance librant. Nec immerito huiuſmodi homines corruptiſsimos ac fallaciſsimos (à quibus reſpublica non mediocre damnum patitur) abominatur dominus: nam clanculum furantur, tametſi eorũ furtum colore iuſtitiæ prætextum ſit. Et hic dolus aduerſatur iuri naturali, diuino, & humano, & pugnat cum ipſa charitate & æquitate. Id quoq; lege Moſaica vetuit dominus,
Leuiti.19. dicens, Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquúſque ſextarius. Et in Michea dicit
Mich.6. dominus: Nunquid iuſtificabo ſtateram impiam, & ſacculi põdera doloſa? In quibus diuites eius repleti ſunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Hæc autẽ eſt domini voluntas, de qua dicit Salomon: Pondus æquum, voluntas eius: & qui ſtateram tranſiliunt, dei voluntatem offendunt. Et
Deute.25. alibi dicit dominus, Non habebitis in ſacculo diuerſa pondera, maius & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor. Põdus habebis iuſtum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram quam dominus deus tuus dederit tibi. Abominatur enim dominus eum qui facit hæc, & auerſatur omnem iniuſtitiam. Reprehendit & Dauid illos qui in doloſis ſtateris nobis illudunt. Veruntamen, in-
Pſal.61. quit, vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vani-
Auguſtin. tate in idipſum. Hunc locum enarrans Auguſtinus, dicit: Falſo examine fallitis intuẽtes. neſcitis alium eſſe qui appendit, aliũ qui de pondere iudicat? Nõ videt cui tu appendis,
Ezec.45. ſed videt qui & teipſum appendit. Et his quoque teſtimoniis illud Ezechielis accedit, Statera iuſta, & ephi iuſtum, & batus iuſtus erit vobis. *Vbi fuerit ſuperbia, ibi erit & contumelia.)* Superbi in probroſa contumeliarum verba prorumpunt, conuiciis ſimplices inceſſunt, & alios contemnendo contumelioſe ſe gerunt. Et hoc nobis compertum eſt de Rapſace contumelioſiſsimo, qui multis probris & contumeliis ſeruos Ezechiæ reſper-
4.Reg.18 ſit. Cum enim illi Iudæos territanti dixiſſent, Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis ſyriace, ſiquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis iudaice audiente populo qui eſt ſuper murum: reſpondit ſuperbe dicens, Nunquid ad dominum tuum & ad te miſit me dominus meus vt loquerer ſermones hos, & non potius ad viros qui ſedent ſuper murum, vt comedãt ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum? *Vbi autem humilitas, ibi & ſapientia.)* Humilitas nullis vnquam encomiis ſatis laudata, nos iuuat
Eſa.66. plurimum vt ſapientiam nanciſcamur. Non enim requieſcet ſpiritus domini niſi ſuper quietum & humilem. Huic quoque ſententiæ ſubſcribit illud Chriſti memoratiſsimum,
Math.11. Confiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,

tibus,& reuelaſti ea paruulis. Ita pater,quoniam ſic fuit placitum ante te. Vis igitur ſapiens fieri?te deo & hominibus ſubmittas,nec tua iactites ſtudia, & ſiquam virtutis ſcintillulam habueris,ita ſis compoſito animo,vt non eam tibi vendices. Simplicitas iuſtorum diriget eos, & ſupplantatio peruerſorum vaſtabit illos.) Quoniam iuſtus non habet animũ fictũ neque ſimulatũ, ſed cordatum & integrum,& inter reliquas virtutes columbinam ſimplicitatem amat & colit, ad beatorum inſulas demigrabit, nec tantæ virtutis præſidio munitus à recto tramite deflectet. Supplantatio vero peruerſorũ qua ſimplices decipiunt, ad inferorum carceres illos deturbabit, vbi pro ſuis demeritis & improbitate vitæ perpetuò mulctabuntur. Non proderunt diuitiæ in die vltionis.) Planè docet quàm vanum ſit & ſtolidum immodica congerendarum opum ſollicitudine torqueri, & ſeruire pecuniæ,ac immoderatis acquirẽdarum poſſeſsionum affectibus retineri,cum diuitiæ male partæ,aut in terram defoſſæ,in die extremi iudicij,in quo dominus hominum ſcelera vlciſcetur, nihil nobis conducent; ſed in barathrum inferni nos detrudent:& tunc lata à ſummo iudice ſententia auaris dicetur, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram,& nõ collegiſtis me:nudus, & non operuiſtis me:infirmus,& in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt ei dicentes,Domine quando te vidimus eſurientem,aut ſitientem, aut hoſpitem,aut nudum,aut infirmum,aut in carcere,& non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit illis dicens, Amen dico vobis,quandiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Cum igitur tibi licuit tuas facultates pauperibus impartiri, eorũmque inopiam ſubleuare, cur contempſiſti illis patrocinari? Nonne erogando famelicis dei gratiam demeruiſſes, & reputaſſet tandem beneficium ſibi collatum fuiſſe? Quid tibi miſer profuit more Caligulæ Romani imperatoris,qui exiſtimabat aurum eſſe ſummum beatitudinis, ſuper innumeros aureorum aceruos nudis pedibus ſpatiari,& toto corpore aliquandiu volutari? En ſuffarcinatus auro,aureiſque gemmis onuſtus,hinc tutius excedes? Reddes rationem tuæ ſordidiſsimæ ac ſceleſtiſsimæ auaritiæ, & reddendo perpetuum perferes ſupplicium. Ludit alius teſſeris ducentos aureos, & aleam colit, & plerumque ingentem pecuniæ ſummam perdit, qui vix minimum quadrantem aut teruncium pauperibus daret. Alius prodigè ſuas diuitias decoquit. Alius inſaniens libidine & diffluẽs,ampliſsimum patrimonium cum meretricibus omnino conſumit. Sed perditiſsimum hoc hominum genus in die vltionis perpetuis affligentur tormentis: nec dabitur eis locus confugiendi ad fontem miſericordiæ, à quibus dominus ſuam faciem auertet. Nec ab hac Salomonis ſententia diſcedit illud Eccleſiaſtæ, Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et hoc ergo, vanitas. Vbi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit diuitias oculis ſuis? Dulcis eſt ſomnus operanti, ſiue parum ſiue multum comedat: ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire. Eſt & alia infirmitas peſsima quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui. pereunt enim in afflictione peſsima. Generauit filium, qui in ſumma egeſtate erit. Sicut egreſſus eſt nudus de vtero matris ſuæ, ſic reuertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas. Quomodo venit, ſic reuertetur. Quid ergo prodeſt ei quod laborauit in ventum? Audi quæſo bracteatam illam & verè auream Sapientiæ ſententiam, Quid nobis profuit ſuperbia,aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra,& tanquam nuncius præcurrens,& tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius,cum præterierit,non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut auis quæ tranſuolat in aere,cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius,ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem commotis alis tranſuolauit, &

Mat. 25.

Eccle. 5.

Sap. 5.

poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius. Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius. ſic & nos nati continuò deſiuimus eſſe, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Iuſtitia autem liberabit à morte.) Hic vides quàm vtile ſit & beatum, iuſtitiæ leges tueri, ad quam tanquam ad ſcopum dicta noſtra, facta, & cogitata omnia referenda ſunt. Nam quemadmodum iniuſtitia & oppreſsio pauperum nos ad mortem gehennæ perducit, ita iuſtitia communis æquitatis patrona, nos à morte gehennæ perpetuiſque ſuppliciis liberat. Quapropter dicæarchi, id eſt iuſtitiæ præfecti, omnibus neruis contendere debent vt ad oculum iuſtitiæ ſuas actiones, ſuaque officia ſemper inflectant, nec vnquam tranſiliant ſtateram, hoc eſt ne prætergrediantur iuſtitiam: & neglecta propria vtilitate, communia pro ſuis habeant, & ſua pro communibus. Iuſtitia ſimplicis diriget viam eius, & in impietate ſua corruet impius.) Nemo neſcit viam qua ad beatitudinem contendimus, à virtutibus ipſis profectam eſſe. Idcirco inculpata ſimplicis vita ac æquitas ipſum ad ſedes beatorum euehit. Impius verò ſuæ impietatis vitio dilabetur, & ad damnatorum carceres detrudetur. Iuſtitia rectorum liberabit eos, & in inſidiis ſuis capientur iniqui.) Iuſti de laqueo venantium liberantur, & liberati ad regnum Dei perducuntur: impij vero ſuis laqueis (quos aliis in ruinam parauerant) irretiuntur, & quod viris optimis tormentum moliuntur, plerunque in ipſorum caput recidit. Hinc illud pſalmographi
Pſal. 7. non minus verè quàm ſcitè dictum, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in fo-
Pſal. 9. ueam quam fecit. Iterum, In laqueo iſto quem abſconderunt, comprehenſus eſt pes
Danie. 13. eorum. Senes denique petulantiſsimi, & iniquiſsimi iudices, qui inſidiati ſunt Suſannæ pudiciſsimæ vt fœdè cum ea concumberent, non potentes ſuis frui deſideriis, aduerſus innocentiſsimam puellam falſum teſtimonium tulerunt, vt oppeteret mortem: qui tamen conuicti, & in ſuis mendaciis deprehenſi, luerunt pœnam mortis. Et huic Salomonis prouerbio, In inſidiis ſuis capientur iniqui, huiuſmodi parœmiæ perſimiles ſunt, Suo iumento ſibi malum accerſere, ſuo gladio, ſuóve telo iugulari, Incidit in foueam quam fecit, Suo ipſius laqueo captus eſt, Hanc technam in teipſum ſtruxiſti, Turdus ipſe ſibi malum cacat, Faber quas fecit compedes, ipſe geſtet. De antiquitate & explicatione iſtorum Adagiorum luculenter agit Eraſmus in ſuis Chiliadibus. Mortuo homine impio nulla erit vltrà ſpes.) Hac Salomonis ſententia reuincitur error Origenis, qui falſo dixit poſt vniuerſale iudicium dæmones & damnatos aliquando ſalutem æternam conſequuturos. Siquidem è vita excedentes cum peccato mortali, conſiderando definitam Dei ſententiam, & ſtatum in quo miſerè hinc diſcedunt, nunquam ſaluabuntur. Nam dicet Chriſtus in extremo iudi-
Mat. 25. cio impiis: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Etiam in inferno nulla eſt redemptio. Et rationem ſubiungam ad ſuadendum impios poſt hanc vitam non poſſe ſperare ſalutem æternam. Qui decedunt è vita ſarcina peccati mortalis onerati, ſunt extra tempus merendi. Idcirco nos
Gala. 6. monet Paulus, vt dum in hoc præſentis vitæ curriculo tempus habemus, operemur bonum. Sed impij (de quibus hic ſit ſermo) decedunt è vita ſarcina peccati mortalis onerati. igitur ſunt extra tempus merendi, & per conſequens non relinquitur eis ſpes conſequendi vitam æternam. Qui tamen cum leuiuſculis peccatis (qualia ſunt venialia) defuncti ſunt, ad tempus purgatricibus pœnis expiantur, & abluta quadam compunctione voluntatis culpa veniali, è carcere purgatorij ſoluti, cælum conſcendunt: aut ſi non ſatisfecerint vt oportuit in hoc ſeculo pro ſuis mortiferis delictis, poſt mortem luent pœnam purgatorij: deinde ſuorum precibus, & eleemoſynis, & ſacro miſſarum officio adiuti, ſoluta pœna beatorum commercio fruentur. Et illi qui hoc modo diſcedunt, non ſunt impij: ſed qui ſuæ ſalutis immemores & negligentiſsimi, cum peccato mortali decedunt è viuis, ſimpliciter ſunt impij. Et expectatio ſollicitorum peribit.) Vt facilius ſententiam hanc explicemus, adnotabimus duplicem ſollicitudinem in ſacris literis reperiri: alteram moderatã, ſanctã & ſpirituale͂, qua ſemper ad

per ad implenda dei præcepta præcingimur, & die nocteque meditamur ſolicita mente deo ſeruire, ac vnitatem eccleſiaſticam protegere. Et de hac ſolicitudinis formula loquitur Paulus ad Romanos dicens, Qui præeſt in ſollicitudine. Et paulò pòſt, Sollicitudine non pigri. Roma.12. Et ſcribens Corinthiis oſtendit quamnam ſollicitudinem pro ipſorum ſalute habuerit. 2.Cor.7. Igitur, inquit, & ſi ſcripſi vobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui paſſus eſt, ſed ad manifeſtandam ſollicitudinem noſtram quam habemus pro vobis coram deo. Item, Sed ſicut in omnibus abundatis fide & ſermone, & ſcientia, & omni ſollicitudine, inſuper & charitate veſtra in nos, vt & in hac gratia abundetis. 2.Corin.8. Tum ad Philippenſes ſcribit de accurata Timothei pro Philippenſibus diligētia. Philip.2. Neminem, inquit, habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſollicitus ſit. Quo denique animo fuerit pro Coloſſenſibus, oſtendit dicens, Volo vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis qui ſunt Laodiceæ. Coloſ.2. Idem ad Theſſalonicenſes, Fiduciam habuimus in deo noſtro loqui ad vos euangelium dei in multa ſollicitudine. 1.Theſſalo.2 Rurſum ad Hebræos, Cupimus autem vnūquenque veſtrum eandem oſtentare ſollicitudinē ad expletionem ſpei vſque in finem. Hebr.6. Altera eſt ſollicitudo immoderata & vana, qua quærimus anxie vnde nobis victum ſuppeditabimus, & interdum quæ ſunt vitæ ſuperflua, aut nimis anxij ſumus cum in accumulandis diuitiis, tum in apperēdis honoribus: & hæc eſt carnalis, & à Chriſto damnata: de qua in euangelio Matthæi ſcriptum eſt: Nolite ergo ſollicitii eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibiipſi. Math.6. ſufficit diei malitia ſua. Dicit etiā Paulus de coniugibus ne ſuis deſideriis acquieſcant, & impenſius voluptatibus huius mundi fruantur: Volo vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ domini ſunt, quomodo placeat deo. 1.Corin.7. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Expectatio igitur eorum qui contempto deo rerum terrenarum ſollicitudine torquentur, peribit: illorum verò expectatio qui ſollicita mente diuinis legibus parent, coronabitur. Loco illius contextus, Mortuo homine impio nulla erit vltrà ſpes, &c. Septuaginta interpretes legunt, τελευτήσαντος ἀνδρὸς δικαίου οὐκ ὄλλυται ἐλπὶς, τὸ δὲ καύχημα τῶν ἀσεβῶν ὄλλυται. Hoc eſt, Mortuo viro iuſto non perit ſpes, at gloria impiorum perit.

¶ *Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum ſuum, iuſti autem liberabuntur ſcientia. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas, & ore impiorum ſubuertetur. Qui deſpicit amicum ſuum indigens corde eſt: uir autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum. Vbi non eſt gubernator, populus corruet, ſalus autem ubi multa conſilia.)*

Plerunque accidit vt truculentiſsimi tyranni & ſæuiſsimi perſecutores ea ſufferant tormenta, quæ iuſtis intentauerant. Siquidem inſidiæ mortis & coniurationes quas ſceleſtiſsimus Abſalon aduerſus ſuum patrem Dauid, virum equidem iuſtiſsimum, molitus fuerat, in eis perniciem reciderūt. Nam Dauid fugiens à facie Abſalonis filij ſui perditiſſimi, qui fraudulēter regnū ſui patris occupauerat, conſilio Chuſai è multis anguſtiis ereptus, poſt miſerā Abſalonis mortem reſtitutus eſt regno. 2.Reg.17. 18 & 19. Denique Suſanna rariſsimū caſtitatis exemplar, quam vndique premebant anguſtiæ, ſuorū inimicorum manus euaſit: Danie.13. & quum primum Daniel eam declarauit eſſe innocentē à crimine intentato, fraudulenti teſtes & mendaciſsimi ſenes pro ea traditi ſunt morti. Beatiſsimus etiam Petrus cō iectus in carceres, dei beneficio ereptus eſt de manu Herodis, qui gladio occiderat Iacobum fratrem Ioannis: Acto.12. tandem Herodes percuſsus eſt ab angelo, eò quòd cum ad populū cōcionaretur, nō dediſſet honorē deo: & cōſumptus à vermibus, expirauit. Et huic Salomonis ſententiæ finitimū eſt illud Pſalmographi, Clamauerunt iuſti, & dominus exaudiuit eos, Pſal.33. & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Et paulò pòſt, Multæ tribulationes iuſtorū, & de oibus his liberabit eos dominus. Simulator ore decipit amicū ſuū, iuſti autē liberabuntur ſcientia) Hypocrita ſiue ſimulator qui aliud gerit in corde, & aliud prætendit in ore, ſibi vendicans ſanctitatem quam non habet, fallit amicum cui ſubdole blanditur, nec alio fine paraſiticum munus obeundo ei aſſentatur, niſi vt ab eo ditetur, aut in ſummos honores euehatur. Et huiuſmodi fictus homo propria

quærit commoda cum proximi damno. De iſtis ſimulatis amicis (à quibus ſummopere
Pſal. 27. præcauendum eſt) dicit propheta, Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Huic quoque ſententiæ accedit verbum domini dicentis per Hie-
Hiere. 9. remiam: Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam: quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuum deridebit, & veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt. Et paulò pòſt ſubnectit quod ad rem plurimum facit, Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur, & occultè ponit ei inſidias. Iuſti autem liberabuntur ab hac fraude, ſcientia quidem qua diſcernunt inter veram & fictam ſanctitatem. Poſſumus & hæc, ludendo ad allegoriam, accommodare hæreticis, qui ſimulantes Chriſtianam doctrinam, & genuinam ſacrarum literarum interpretationem, auditores decipiunt. Qui autem ſacram ſcripturam intelligit, & ad veritatem euangelij ambulat, hæreticorum decipulas effugiet. In bonis iuſtorum exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio.) Nobiliſsima eſt illa ciuitas, in qua æquiſsimi magiſtratus & iuſtiſsimi viri regnant, qui ſuis virtutibus ſuam illuſtrant ciuitatem, & pro tuendo reipublicæ bono ſuas opes expendunt. Quid enim illuſtrius, quid denique præſtantius, quàm moderata ſuorum largitione omnium gratiam ſibi demereri? & potiſsimum cum beneficia tum in vniuerſam rempublicam tum in ſingulos ciues conferuntur. Gaudent & optimi iudices ſi in ſceleratiſsimos quoſque (à quibus plerunque reipublicæ ſtatus euertitur) animaduerterint: & tale gaudium à ſeruore charitatis &
Pſal 57. ſyncero affectu exercendæ iuſtitiæ proficiſcitur. Lætabitur enim iuſtus cum viderit vindictam. Benedictione iuſtorum exaltabitur ciuitas, & ore impiorum ſubuer-
Geneſ. 18. tetur.) Non ſolum dominus non pluiſſet ſulphur & ignem ſuper Sodomam & Gomorram ſi in illis ciuitatibus inuenti fuiſſent decem iuſti, ſed illas vrbes exaltaſſet, & multis bonis cumulatiſsime ditaſſet. Siquidem merita iuſtorum ſunt cauſa cur ciuita-
4 Reg. 19. tes florent, & à multis periculis proteguntur. Ezechias quoque rex Hieruſalem Deo gratiſsimus, ſuis benedictionibus ſuiſque feruentiſsimis precationibus ſaluauit Hieruſalem de fortiſsima manu Sennacherib regis Aſſyriorum: quòd iuſtorum virtutibus ſaluetur ciuitas: iniuſtorum vitiis, proditorum ſeditione & coniurationibus ſubuertatur. Non enim hoſtes acerrimi ſuis irruptionibus ſuiſque munitionibus bellicis florentiſsimam ciuitatem tam facilè expugnant, diruunt & euertunt, quàm ſcelera populi, ciuium factiones, & magiſtratuum diſsidia. Qui deſpicit amicum ſuum, indigens corde eſt: vir autem prudens tacebit.) Qui elato animo contemnit amicum, cum quo communem habuit amicitiæ neceſsitudinem, & familiarem viuendi conſuetudinem, indiget corde, id eſt ſapientia: & eius cor longè abeſt à ſyncera & perfecta amicitia. Deſpicit & illum quem maximè diligere deberet, cum occulta eius vitia detegit, cum potius ſui amici infirmitatibus compati deberet: quod nos do-
Roma. 15. cet Paulus, dicens in epiſtola ad Romanos, Debemus autem nos firmiores imbe-
Gala. 6. cillitates infirmiorum ſuſtinere, & non nobis placere. Et alibi, Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Vir autem prudens, & appetentiſsimus ſalutis ſui amici, tacebit vitia occulta, & quidem publicè, tametſi nactus opportunitatem, ea priuatim caſtigabit. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum.) Simulatus & fraudulentus amicus non potens ſuam linguam loquaciſsimam rationis freno coercere, detegit arcana ſuæ fidei commiſſa. Hinc infidus cenſetur, & cui poſthac nihil arcani ac ſecreti concredi debeat. Et vbi celatio ſecreti non vergit apertè in detrimentum perſonæ priuatæ, aut perniciem boni communis: qui ſecretum propalat, grauiter delinquit. nam frangit fidem ſibi datam. Qui autem fidelis eſt, & optimi animi, celat amici ſecretum ſuæ fidei concreditum: & ea in proximũ charitate feruet & æſtuat, vt mallet vita defungi, q̃ tacitũ ſui amici peccatũ
Eccleſ. 27. prodere. Et huic ſententiæ conſentaneũ eſt illud Eccleſiaſtici, Qui denudat arcana amici, fidem

ci,fidem perdit,& non inueniet amicum ad animum ſuum. Vbi non eſt gubernator, populus corruet:ſalus autem,vbi multa conſilia.) Non minus ciuitas conſultiſsimo moderatore deſtituta periclitatur,quàm nauis carens gubernatore. Salus autem eſt populi, vbi exactiſsima ſunt prudentum conſilia , quibus agnoſcitur quidnam reipublicæ profuturum ſit vel obfuturum,& vbi in regenda ciuitate magiſtratus eſt conſultiſsimus,qui ſua diligentia,aſsiduitate & vigilantia cuncta moderatur,facienda præcipit,vitanda mõſtrat.Quid enim,me Hercules,præſtantius eſt atque laudabilius , quàm rebus omnibus adminiſtrandis aliquem præficere,qui cuncta prudenter expendat,moderatè diſpenſet, ſapienter adminiſtret?cuius nutui ac iuſsis reliqui obſequantur,quem vnum vt ducẽ ſectentur,colant vt principem,reuereantur vt rectorem.

¶ *Affligetur malo,qui fidem facit pro extraneo.Qui autem cauet laqueos,ſecurus erit.Mulier gratioſa inueniet gloriam,& robuſti habebunt diuitias.Benefacit animæ ſuæ uir miſericors:qui autem crudelis eſt , propinquos abiicit.Impius facit opus inſtabile : ſeminanti autem iuſtitiam,merces fidelis.Clementia præparat uitam,& ſectatio malorum,mortem.Abominabile domino cor prauum , & uoluntas eius in his qui ſimpliciter ambulant.Manus in manu,non erit innocens malus.Semen autem iuſtorum ſaluabitur.Circulus aureus in naribus ſuis,mulier pulchra & fatua.Deſiderium iuſtorum,omne bonum eſt:præſtolatio impiorum,furor.)*

Qui fideiubet pro alio,plerũque afficitur triſtitia & anxietate.Nam veretur ne ille pro quo ſpopondit , ſatisfacere non velit aut nequeat,ſicq́ue pro illo ſatisfacere compellatur. Qui autem cauet laqueos & pericula fideiuſsionis,ſecurus erit à debitis ſoluendis.

Mulier gratioſa inueniet gloriam , & robuſti habebũt diuitias.) Mulier variis virtutũ gratiis inſignita,apud omnes inueniet ſui nominis commendationem.Denique mulier pudica , caſta & honeſta,nobilitate animi veram gloriam ſibi comparat,vt de Iudith & Heſter ex ſacris literis nobis compertum eſt.Illa in conſpectu Holofernis in libidinem Iudith.13.
deſpumantis gratiam inuenit,cuius tamen caput amputauit.Hæc mirè placens Aſſuero Heſter.5.
regi,curauit Amã appendi ligno q̃d ipſe parauerat Mardochæo.Robuſti habebũt diui- & 7.
tias,quas induſtria animi & robore corporis ſibi comparant. Benefacit animæ ſuæ vir miſericors:qui autem crudelis eſt,propinquos abiicit.) Qui præclara pietatis officia exercet,ſpiritalibus beneficiis ſuam animam ditat: erogando pauperibus neceſſaria,ſuæ animæ cibum ſuppeditat,& ſua peccata eleemoſynis redimit:& cum alienæ miſeriæ & iacturæ ſui proximi miſerebitur,à domino miſericordiam etiam cum fœnore conſequetur.Dicit enim Chriſtus,Beati miſericordes,quoniã ipſi miſericordiam cõſequentur.Et Mat.5.
nos Paulus in epiſtola ad Epheſios hortatur ad mutuam miſericordiam , & vt parati ſimus aliis condonare veniam,ſi velimus deum nobis condonare. Eſtote,inquit,inuicem Ephe.4.
benigni,miſericordes,donantes inuicem,ſicut & Deus in Chriſto donauit vobis.Quod ſi(authore noſtro ſaluatore)non dimiſerimus aliis delicta,neque pater cœleſtis dimittet Mat.6.
nobis peccata noſtra.Qui autem crudelem & nimis ſeuerum geſtat animum , nec cupit aliorum miſereri:propinquos non tam contemnit quàm abiicit,eis negando cõſilium, opem & ſubſidium,quod legi naturali & mutuæ charitati aduerſatur. Impius facit opus inſtabile:ſeminanti autem iuſtitiam,merces fidelis.) Eam ob cauſam impius facit opus inſtabile , quia ſuis alligatus paſsionibus, facit opus quod a ſtabilitate virtutum & à rationis conſtantia non proficiſcitur.Et cum per illicitas cogitationes euagatur , nihil præclarum nihilq́ue ſyncerum molitur.Huic loco conſentit illud Threnorum,Pecca- Thre.1.
tum peccauit Hieruſalem , propterea inſtabilis facta eſt . Qui autem quàm diligentiſsimè ſeminat iuſtitiam , & æquitatis officia exercet,ęternam mercedem aſſequetur. Beati , inquit dominus , qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam , quoniam ipſi ſatura- Mat.5.
buntur : quorum merces copioſa eſt in cœlis. Clementia præparat vitam , & ſectatio malorum mortem.) Exiſtimant Peripatetici clementiam eſſe præclaram animi virtutẽ,qua quis nõ quærit vindictã, ſed eſt ad dandã veniã propẽſiſsimus.Seneca libro Seneca.
II.de clementia,hunc in modũ finit clementiã,Clemẽtia eſt tẽperãtia animi in poteſtate vlciſcendi,vel lenitas ſuperioris aduerſus inferiorẽ in cõſtituẽdis pœnis.Clemẽtiæ crudelitas eſt oppoſita , quæ nihil aliud eſt , quàm atrocitas animi in exigendis pœnis. Sed quidã non exigunt pœnas,crudeles tamen ſunt,tãquam qui ignotos homines & obuios

non in compendium,ſed occidendi cauſa occidunt,nec interficere contenti, ſæuiunt,
vt Buſiris ille,& Proclus,& Piratæ,qui captos verberant, & in ignem viuos imponunt.
Deinde dicit,Illos ergo crudeles vocabo , qui puniendi cauſam habent,modum nō ha-
bent,ſicut in Phalari,quem aiunt non quidem in homines innocentes,ſed ſuper huma-
num ac probabilem modum ſæuiſſe. Hæc ille. Et quia viri clementiſsimi relaxant vel
mitigant pœnam,illis largiuntur vitam qui forſitan pœnam mortis meruerāt. Inſuper
clementia virum miſericordem ad vitam beatam perducit:ſectatio vero malorum,im-
pios detrudit ad gehennam ignis . Hinc videmus non parum referre vt homo virtuti
vel vitio aſſueſcat.Qui virtuti aſſueſcunt,& bonorum veſtigiis adhærent,ſuas præparāt
animas ad nanciſcendam æternæ vitæ fœlicitatem. Qui verò vitiis aſſueſcunt , & per-
uerſam viuendi conſuetudinem malorum commercio imbibunt, ſuas animas multis
calamitatibus obductas ad damnatorum tormenta pertrahunt. Abominabile domi-
no cor prauum , & voluntas eius in his qui ſimpliciter ambulant.) His ſimillima alibi
declarata ſunt . Abominatur dominus & odit illum qui vitiis aſſueſcit , nec eius cor
emollitur pœnitentia.Domini vero voluntas illos ad ſe allicit,qui cōtemptis fluxis ho-
noribus,& exoſa ſuperbia ſimplicitatem & modeſtiam colunt. Manus in manu,non
erit innocens malus.) Loco huius , manus in manu , legunt Septuaginta interpretes,
χειρὶ χεῖρας ἐμβαλών, id eſt manui manum iniiciens:& ſenſus eſt, Tametſi malus iun-
gat manum in manu,& ad horam ab iniquo opere ſubtrahat manum , nihilque mali
exterius operetur,non propterea cordis innocentiam retinebit:nam interius alit mon-
ſtrum,& nonnihil mali cogitat.Siquidem mens innocentis eſt ſerena, & nullis noxiarū
cogitationum nubeculis obducta. Semen autem iuſtorum ſaluabitur.) Enimuero iu-
ſtorum liberi à ſuis parentibus rectè educati,virtutis ſemitam ſectantes, à lapſu vitiorū
multiſque animi periculis liberantur:& qui iuſtorum veſtigia ab ipſa pueritia ſequun-
Pſal.24. tur,ad æternam ſalutem perueniunt.Hinc dicit propheta, Quis eſt homo qui timet do-
minum?legem ſtatuit ei in via quam elegit.Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen
Eccleſ.44. eius hæreditabit terram. Nec ab hac ſententia digreditur Eccleſiaſticus dicens, Illi viri
miſericordiæ ſunt, quorum pietates non defuerunt , & cum ſemine eorum permanet
bona hæreditas,& nepotum ipſorum ſemen propter illos vſque in æternum manet.
Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Circulus aureus in naribus ſuis,
mulier pulchra & fatua.) Quemadmodum ſi in naribus ſuis circulum aureum infixe-
ris,non deſiſtit illa ſubigere terram,nec ſe in volutabro luti volutare:ita mulier fatua ſi
carnalibus illecebris dedita fuerit,& elegantiſsima ſui vultus pulchritudine immodicè
delectetur,non deſinet cœno voluptatis ſe immergere & inquinare.Aliter ad allegoriā
dices,Hæreticus licet pulcherrimis rhetorum ornamentis ſit excultus , ſi nimium ſibi
placeat,ſuæque perditæ ſectæ faueat,non deſinet ſe luto hæreſeos ſordidare. Deſideriū
iuſtorum,omne bonum eſt:præſtolatio impiorum,furor.) Iuſti maximè deſiderant re-
gnum Dei,in quo ſupereminenter eſt bonorum omnium fons vberrimus : impij verò
& ſceleſtiſsimi(quos non pœnituit male vixiſſe) expectant furorem venturi iudicij. Et
Hebr.10. de hac formidanda diuinæ vltionis expectatione dicit Paulus ad Hebræos , Terribilis
autem quædam expectatio iudicij,& ignis æmulatio,quæ conſumptura eſt aduerſarios.
Denique Iob loquens de hoc furore Dei qui in extremo iudicio decidet ſuper malos,di-
Iob.21. cit,In diem perditionis ſeruatur malus,& ad diem furoris ducetur.

¶ *Alii diuidunt propria,& ditiores fiunt. Alii rapiunt non ſua,& ſemper in egeſtate ſunt. Anima quæ benedicit,impinguabitur:& qui inebriat,ipſe quoque inebriabitur. Qui abſcondit frumenta,maledicetur in populis:benedictio autem ſuper caput uendentium. Bene conſurgit diluculo,qui quærit bona:qui autem inueſtigator malorum eſt,ab eis opprimetur. Qui confidit in diuitiis ſuis,corruet:iuſti autem quaſi uirens foliū germinabunt. Qui conturbat domum ſuam,poſsidebit uentos:& qui ſtultus eſt,ſeruiet ſapienti. Fructus iuſti, lignum uitæ. Et qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt. Si iuſtus in terra recipit quanto magis impius & peccator?)*

Hoc in loco planè docet Salomon quantum vtilitatis nobis adferat ſpontanea bo-
norum noſtrorum largitio.Qui enim ſuas facultates pauperibus erogāt , & frangūt eſu-
rienti panem,& cætera pietatis officia lubenter exercent, cum extraneis fortunæ bonis,
Mar.19. tum ſpiritalibus beneficiis ditiores fiunt,& centuplum in hoc ſeculo accipient, & in fu-
turo

turo vitam æternam poſsidebunt. Huic Salomonis ſententiæ conſentaneum eſt illud euangelij de iis qui talenta ſibi à domino concredita locupletarunt: Omni habenti dabitur,& abundabit:ei autem qui nõ habet,& quod videtur habere, auferetur ab eo. Matt. 25.
Qui autem prædantur & diripiunt aliena,in maximam paupertatem incident, & fame contabeſcent,eò quòd furto & rapinis ſublata,perperam expendunt. Anima quæ benedicit,impinguabitur:& qui inebriat,ipſe quoque inebriabitur.) Qui Deum laudat, eiuſque admirandam maieſtatem reueretur, & ſanctiſsimis orationibus incumbit, ac proximum inſtruit, rore cæleſtis gratiæ irrigabitur. Vnde Dauid orando dicebat, Sic Psal. 62.
benedicam te in vita mea,& in nomine tuo leuabo manus meas, ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,& labiis exultationis laudabit os meum. Et qui ſacris eloquiis mentem auditoris inebriat ac reficit,torrente cæleſtium bonorum inebriabitur. Nam quanto liberalius eximias ſui animi dotes aliis impartietur,tanto vberiorem à domino gratiam recipiet. Hinc illud prophetæ receptiſsimum, Inebriabũtur ab vbertate domus Psal. 35.
tuæ,& torrente voluptatis tuæ potabis eos. Dicit quoque dominus per Hieremiam, Inebriabo animam ſacerdotum pinguedine,& populus meus bonis meis adimplebitur. Hier. 31.

Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis:benedictio autem ſuper caput vendentium.) Omnium maledictione dignus eſt qui abſcondit frumenta,eo potiſsimum tempore,quo pauperibus & indigentibus vendi debent, & ea in proprium vſum reſeruat:& nemo eſt qui non debeat illis imprecari malum,qui ſtudio auaritiæ capti, in ſua horrea recondunt frumentum, vt poſthac carius vẽdant. tales ſiquidem auidi quæſtus, legi naturali aduerſantur,quæ vetat ne facias alteri, quod nolles tibi fieri:& præcipit vt Matt. 7.
facias alteri quæ velles tibi fieri. Illi ſiquidem viliſsima & abiectiſsima auaritiæ mancipia,digni ſunt vt explodantur,& ab hominum commercio exulent. Et verè cenſendi ſunt homicidæ. Qui enim periclitantibus & indigentibus quum ſuccurrere poteſt,non ſuccurrit,occidit. Qui verò prompta volũtate & promptiori obſequio ſua horrea pauperibus aperit,& iuſto precio ſua frumenta vendit,omnium gratiam & benedictionem promeretur. Nam afflictis fame & perituris ſuccurrit,& ſuccurrendo communẽ amicitiam(qua reipublicæ nihil eſt melius ac expetibilius)tuetur. His ſanè officiis & hac inſigni virtute Ioſeph pauperum alumnus, ſummopere fuit commendatus ab illis qui Genes. 47.
fame premebantur in Aegypto. Bene conſurgit diluculo,qui quærit bona:qui autem inueſtigator malorum eſt,ab eis opprimetur.) Is fœliciter ſub auroram ſurgit,qui tempeſtiuè perueſtigat bona,quibus ſibi & proximo conſulat. Qui autem inſidiatur bonis, & curioſe perquirit mala,aut vt accuſet, vel perſequatur vel diffamet, ſeipſum prodit, ſuiſque laqueis irretietur. Et hoc de ipſo Saule innoteſcere poteſt, qui poſtquã conſuluit 1. Reg. 28.
phytoniſſam quidnam agere deberet vt aciem Philiſtinorum propulſaret, audiuit à Samuele ſuſcitato ſuæ mortis ſententiam,& ſubitò conſternatus cecidit in terrã. Qui confidit in diuitiis ſuis,corruet:iuſti autem quaſi virens folium germinabunt.) Qui magis diuitias quàm Deum colunt,& in terrenis poſſeſsionibus magis confidunt quàm in domino,corruent,& delabentur ad inferos. Vnde dicit Dauid de iuſtis qui ridebũt auidiſsimos quæſtus, Videbunt iuſti & timebunt,& ſuper eum ridebunt,& dicent, Ecce homo qui non poſuit Deum adiutorem ſuum,ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum,& præualuit in vanitate ſua. Et alibi nos hortatur vt non infigamus animum noſtrum caducis opibus. Diuitiæ, inquit,ſi affluãt,nolite cor apponere. Et periculũ quod Psal. 51. Psal. 61.
imminet iis qui congerendarum diuitiarum incendio aduruntur,aperit Paulus in prima ad Timotheum epiſtola,dicens: Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem & 1. Timo. 6.
in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidã appetentes,errauerũt à fide,& inſeruerunt ſe doloribus multis. Deinde dicit, Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere,neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo Ibidem.
viuo. Iuſti autem confidentes in domino,& non in diuitiis, tanquam lignum vireſcens (quod paulatim in iuſtam quantitatem creſcit)germinabunt, & proficientes de virtute in virtutem,optimum fructum producent. Hinc illud pſalmographi de viro beato,qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit: Erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus de- Psal. 1.

curſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet:
& omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Qui conturbat domum ſuam, poſſide-
bit ventos: & qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti.) Qui ſuis domeſticis aut cognatis perturba-
tionem ingerit & moleſtiam, quos tamen deberet tranquillos reddere, à ſuis expulſus,
ventis exponetur, nec tutam ſtationem reperiet. Nobis prohibet Eccleſiaſticus ne cape-
Eccle. 4. ratam frontem & nimis ſeueram noſtris domeſticis oſtendamus. Noli (inquit) eſſe ſicut
leo in domo tua, euertens domeſticos tuos, & opprimens ſubiectos tibi. Qui verò ſtultus
eſt, obtemperet ſapienti. Siquidem lex naturæ depoſcit vt ſapiens præſit, & inſipiens
ſubiiciatur. Ordine tamen præpoſtero, neſcio quanam temporum calamitate, in rebus
humanis plerunque videmus ſtolidos & ignauiſſimos cum in honoribus tum in ſacer-
dotiis obtinẽdis, ſapiẽtibus præfici. Nec peſtis illa quæ latè graſſatur, extincta eſt. Fru-
ctus iuſti, lignum vitæ.) De ſuauiſſimo vitæ ligno quod martyribus & generoſiſſimis
Apoca. 2. Chriſti athletis repromiſſum eſt, dicit ſpiritus in Apocalypſi Ioannis: Vincenti dabo
edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Nec minus iuſtorum officia iuſtos re-
Geneſ. 3. ficiunt, quàm lignum vitæ edentem, cuius fructum qui comediſſet, in æternum vixiſſet.
Denique merces iuſti eſt viſio Chriſti, qui eſt vera & perfecta ſapientia, de qua dictũ eſt,
Lignum vitæ eſt amplectentibus eam. Et qui ſuſcipit animas, ſapiens eſt.) Qui ſuſci-
pit curam animarum, ſi modò ſit ad obeundum id muneris idoneus & ſufficiens, ſapiẽs
1. Timot. 3. eſt. nam eligit opus bonum. qui enim epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, nõ
quidem appetendo celſitudinem gradus neque præfecturam, ſed optimum officium, vt
ſuperintendat diligenter & incumbat vtilitati ſuarum ouiũ. Si iuſtus in terra recipit,
quanto magis impius & peccator?) Si iuſtiſſimi viri affligantur in hoc ſeculo & perfe-
rant cruciatus, vt Abel, Tobias & Iob, quanto magis impij in futuro torquebuntur, &
perpetuis tormentis cruciabuntur? Nam illi abſque vllis demeritis vapularunt, iſti verò
Hiere. 25. pro ſuis demeritis & flagitiis vapulabunt. Vnde dicit dominus per Hieremiam, Quia ec-
ce in ciuitate in qua inuocatum eſt nomen meum, ego incipio affligere, & vos quaſi in-
nocentes & immunes eritis? Non eritis immunes. Loco huius ſententiæ, Si iuſtus in ter-
ra recipit, &c. Septuaginta interpretes legunt, εἰ μὲν δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρ-
τωλὸς ποῦ φανεῖται; hoc eſt, Si quidem iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi ap-
parebit? Et hanc veterem Septuaginta interpretum editionem ſequutus eſt beatiſſi-
mus Petrus loquens in ſuis epiſtolis de manifeſto iudicio quod incipiet à domo dei, id
1. Pet. 4. eſt à Chriſtianis, vbi dicit, Si primùm à nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei
euangelio? Et ſi iuſtus quidem vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?

ARGVMENTVM DVODECIMI CAPITIS.

Qui nihil ſibi arrogant, nec ſua iactitant merita, à uiuis ac conſpicuis Dei fontibus gratiam haurient, & præclaras ſui animi dotes illuſtriores reddent. Qui uerò nimium ſuis bonis operibus confidunt, & plus ſuis meritis quàm diuinæ gratiæ tribuunt, à ſua gloria decident, & incuruabuntur. Mulier honeſta, modeſta & pudica, plurimum ornamenti & honoris ſuo uiro, quem ſummopere diligit, adfert, & inſigni coronæ ſui uiri gratiam adiicit. Impudica uero & adultera, ac in lutulentum luxuriæ cœnum proſtrata, multas ſuo coniugi moleſtias ingerens, ſuam domum polluit & contaminat, quæ ſectando ocium & effrenatam concupiſcentiam, ultrices Dei manus non effugiet, qui redditurus eſt unicuique iuxta facta ſua, iuſtis quidem uitam æternam, impiis uerò perpetuam afflictionem.

CAPVT DVODECIMVM.

Qvi diligit diſciplinam, diligit ſcientiam: qui autem odit increpationes, inſipiens eſt. Qui bonus eſt, hauriet à domino gratiam. qui autem confidit cogitationibus ſuis, impie agit. Non roborabitur homo ex impietate, & radix iuſtorum non commouebitur. Mulier diligens, corona eſt uiro ſuo: & putredo in oſſibus eius, quæ confuſione res dignas gerit. Cogitationes iuſtorum iudicia, & conſilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum inſidiãtur ſanguini: os iuſtorum liberabit eos. Verte impios, & non

erunt:

erant: domus autem iuſtorum permanebit.) Qui exoſculatur illum à quo corripitur, & ipſam caſtigationem amat, prudens eſt, & ſuis vitiis moderata correctione repurgatis, præparatur ad capeſſendum ſapientię ſtudium. Qui verò ſuis indulgendo vitiis, increpationes odit, nec patitur ſe corrigi, inſipiens eſt & ſuperbus. Vnde dicit dominus per prophetã peccatori, Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Scribit & Eccleſiaſticus de ruina quæ imminet oſoribus correctionis: Qui odit (inquit) correptionem, minuetur vita. Et alibi, Qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris. Qui bonus eſt, hauriet à domino gratiam: qui autem confidit cogitationibus ſuis, impie agit.) Qui diuinis legibus obſequitur, & rectè vtitur donis ſpiritusſancti, nec ſuo conatu ſuaq; induſtria iuſtitiam ſibi vendicat, ſed ſua honeſtæ vitæ officia Deo refert acceptiſſima, in conſpectu domini gratiam inueniet. Quod ſi vineam domini aſsiduo labore excoluerit, dicat cum Paulo, Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Nec audeat ſe inſerere aut conferre illis qui ſeipſos commendant, ſed ſeipſum ſuique animi vires metiatur, & ſeipſum ſibiipſi conferat. Et ne forte inſoleſcat & extollatur, non ex operibus, ſed in domino glorietur: cui bonum erit vt cum totis viribus liberi arbitrij ſui veraciter dicat, Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Ad hæc vt inanem gloriam vitet, & ſtultiſsimam arrogantiam, firmiſsimè credat ſe nõ poſſe habere cogitationem bonam, niſi & ipſam Deus miſericordiſsimus ſibi inſpiret. Qui verò de ſua induſtria ſuiſque ſtudiis multa præſumit, ſibique placet, & nimium ſuis cogitationibus confidit, impie agit, quia deſertus à domino cadet & periclitabitur: quandoquidem vt ſcribit Auguſtinus epiſtola C V I. contra Pelagianos (in qua clariſsime docet opera bona eſſe ex gratia, & non ex operibus gratiam) Qui ſuis meritis præmia tanquam debita expectant, nec ipſa merita Dei gratiæ tribuunt, ſed viribus propriæ voluntatis, de carnali Iſrael, perſequentes legẽ iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non perueniunt. Quare? quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus. Ipſa eſt enim iuſtitia ex fide, quam gentes apprehenderũt, de quibus dicit Paulus: Quid ergo dicemus? Quia gentes quæ non cognouerunt iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt. Iſrael autem perſequens legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus. Et alibi ad frangendum ſupercilium & arrogantiam illorum qui plus æquo ſuis bonis operibus fidunt, dicit Paulus: Quid enim habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Item, Non enim ſufficientes ſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Rurſum, Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate. Longè plura de hac re ſcripſimus libro X I I I. noſtræ Theoſophiæ cap. X I I. Non roborabitur homo ex impietate, & radix iuſtorũ non commouebitur.) Hoc de ſæuiſsimo Saule notum euadit, qui impiè iuſsit occidi ſacerdotes: & perſequens Dauid, cui proſperam fortunam inuidebat, non fuit roboratus in ſuo regno, quod tamen poſtulabat, ſed ab arce regiæ maieſtatis deiectus eſt. Etiã Sennacherib Aſſyriorum rex ſæuiens in Ezechiam regem Hieruſalem, nõ fuit ſtabilitus in ſuo regno: qui poſtquam vidit centum octoginta quinq; milia ſuorum militum ab angelo percuſſa, reuerſus eſt in patriam ſuam: & cum adoraret in templo Neſrach Deum ſuum, à ſuis filiis percuſſus gladio, miſeram mortem oppetiit. Aliter, Impietas omnis & vnumquodque peccatum frangit animi vires, animam vulnerat, & naturam lædit. Radix autem iuſtorum non commouebitur. Nam ſtabilitas virtutum muro aheneo firmior, non cadit, nec honor à virtute profectus. Vnde Dauid fuit ſtabilitus in regno pro ſe & ſua poſteritate. Et licet nonnunquam viri iuſtiſsimi turbulentis perſecutionũ procellis concutiantur, nõn tamen immerguntur, nec aduerſis ſuccumbunt. Mulier diligens, corona eſt viro ſuo, & putredo in oſsibus eius, quæ confuſione res dignas gerit.) Mulier alligata iugo coniugij, ſyncero amore diligens ſuum virum, nec minus quàm ſuam propriam carnem, ſuis virtutibus gloriam & honorem ſui viri adauget, quę mallet è vita excedere, quàm ſanctiſsimam matrimonij fidem frangere. Quæ verò igne libidinis ardet, & alterius viri amorem deperit, cum quo obſcœnum adulterij vitium cõmittit, vnde ſcabiem animi & fœtidam putredinem ſibi contrahit, genialem ſui viri torum inquinat, ſuamque familiam dehoneſtat. Cum dicit Salomon, putredo ſit in oſsibus

Pſal.49. Eccleſ.19. Eccleſ.21. 1.Corin.15. 2.Corin.10. Pſal.58. Auguſti. Roma.9. 1.Corin.4. 2.Corin.3. Philip.2. 1.Reg.22. 4.Reg.19.

eius,quæ confuſione res dignas gerit, id eſt cum mœchatur, alludit (vt coniicere poſ-
ſum)ad legem zelotypiæ,quæ ita ferebatur in ſuſpectum vxoris adulterium, Si ſpiritus
Nume.5. zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem ſuam,quæ vel polluta eſt, vel falſa ſuſpi-
cione appetitur,adducet eam ad ſacerdotem,& offeret oblationem pro illa decimá par-
tem ſati farinæ hordeaceæ.Non fundet ſuper eam oleum,nec imponet thus,quia ſacri-
ficium zelotypiæ eſt,& oblatio inueſtigans adulterium.Offeret igitur eam ſacerdos, &
ſtatuet coram domino,aſſumetq́ue aquam ſanctam in vaſe fictili, & pauxillulum terræ
de pauimento tabernaculi mittet in eam.Cumq́ue ſteterit mulier in conſpectu domi-
ni,diſcooperiet caput eius,& ponet ſuper manus illius ſacrificiū recordationis, & obla-
tionem zelotypię iipſe autē tenebit aquas amariſsimas,in quibus cum execratione ma-
ledicta congeſsit:adiurabitq́ue eam,& dicet,Si non dormiuit vir alienus tecum, & ſi nō
polluta es deſerto mariti toro,non te nocebunt aquæ iſtæ amariſsimæ in quas maledi-
cta congeſsi.Si autem declinaſti à viro tuo,atque polluta es,& concubuiſti cum altero,
his maledictionibus ſubiacebis.Det te dominus in maledictionem,exemplumq́ue cun-
ctorum in populo ſuo.Putreſcere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus diſrumpa-
tur.Ingrediátur aquæ maledictæ in ventrē tuū,& vtero tumeſcēte putreſcat femur tuū.
Et reſpondebit mulier,Amen,Amen.Si polluta erat illa mulier, inflato ventre eius fe-
mur computreſcebat.ſi verò polluta nō fuerit,erat innoxia. Cogitationes iuſtorum,
iudicia,& conſilia impiorum fraudulenta.) Aequiſsimi viri & iuſtitiæ præſides ex cæ-
leſti quodam ſpeculatorio actiones ſuas & cogitationes contemplantur atque introſpi-
ciunt,vt iuſtiſsimè ac integerrimè iudicent. Et quia æqua lance mentis cogitata truti-
nant,& ad amuſsim duce prudentia diſcutiunt,rectè iudicant, & quod longa & exquiſi-
ta meditatione verſarunt,æquis iudiciis accommodant. Impij verò à iuſtitiæ tramite
deuij aberrātes, à quibus non procul eſt impoſtura,fraudulentis conſiliis & vafris com-
Pſal.82. mentis ſimplices fallunt & circunueniunt:de quibus dicit Dauid,Super populum tuum
Eccle.27. malignauerunt conſilium,& cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos. Et Eccleſiaſticus, Fa-
cienti nequiſsimum conſilium, ſuper ipſum deuoluetur,& non agnoſcet vnde eueniet
illi. Verba impiorum inſidiantur ſanguini,os iuſtorum liberabit eos.) Ex ſacris literis
3.Reg.21. nobis exploratum eſt duos viros perditiſsimæ vitæ, filios Belial, contra Naboth ſuaſu
Iezabel vxoris Achab falſum dixiſſe teſtimonium, videlicet, Benedixit Naboth Deum
& regem.Quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem,& lapidibus interfecerunt. Os
Danie.13. verò iuſtorum innocentes ab inſidiis malorum & à morte liberabit,ſicut os Danielis li-
berauit Suſannam iniuſtę morti adiudicatam. Verte impios,& non erunt:domus au-
tem iuſtorum permanebit.) Si tuis aſsiduis & feruentiſsimis orationibus aut recta ad-
monitione impium ad bonum conuerteris, deſinet eſſe impius:nam vitam in melius
Iaco.5. commutauit.Vnde dicit beatus Iacobus,Fratres mei, ſi quis ex vobis errauerit a verita-
te,& conuerterit quis eum,ſcire debet quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab er-
rore viæ ſuæ,ſaluabit animam eius à morte.Aliter,Si proſperitatem impiorum immu-
taueris,cito deficient. Septuaginta interpretes legunt, ὗ ἐὰν ϛρεφῇ ὁ ἀσεβὴς ἀφανίζεται
id eſt,vbicunque vertatur impius,deletur. Siquidem impij memoria repentè deletur &
perit:domus vero iuſtorum, ſcilicet ſancta eccleſia, in gratia permanebit, & immor-
talitatem ſibi comparabit.

❡ *Doctrina ſua noſcitur uir. Qui autem uanus & excors eſt, patebit contemptui. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi,quàm glorioſus & indigens pane.Nouit iuſtus animas iumentorum ſuorum: uiſcera autem impiorum crudelia.Qui operatur terram ſuam,ſaturabitur panibus:qui autem ſectatur ocium, ſtultiſsimus eſt. Qui ſuauis eſt,uiuit in moderationibus, & in ſuis monitionibus relinquit contumeliam. Deſiderium impij monumentum eſt peſsimorum:radix autem iuſtorum proficiet.Propter peccata labiorum ruina proximat malo, effugiet autem iuſtus de anguſtia.De fructu oris ſui unuſquiſque replebitur bonis, & iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei.)* Studioſus & virtute præditus ſanam docendo doctrinam, quam
operibus implet,ſanctus eſſe colligitur,& de vnoquoque literarum profeſſore à doctri-
na quam profitetur,iudicamus.Si ſophiſticas nugas & callidas argutiolas docuerit, nu-
gaciſsimus & arguciſsimus ſophiſta dicetur. Si veram & germanam philoſophiam exa-
ctiſsimè doceat,optimus philoſophus iudicabitur.Si mathematicas diſciplinas,mathe-
maticus,

maticus. Si verò ſacras literas, Theologus, quem maxime decet eam viuere vitam
quam docet & prædicat. Siquidem dicit Paulus: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem 1. Corin. 9.
redigo: ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Idem doctor gentium illos
reprehendit qui prædicant non eſſe furandum, & tamen furantur: & non mœchandũ, Roma. 2.
& ipſi mœchantur: & cum alios docent, ſeipſos nõ docent. Chryſoſtomus homilia pri- Chryſoſt.
ma in acta Apoſtolorum, exponens quod dicit Lucas de Chriſto, Cœpit facere & do- Acto. 1.
cere, dicit: Nihil doctore frigidius, qui verbis duntaxat philoſophatur: neque hoc do-
ctoris eſt, ſed hiſtrionis & hypocritæ. & Homilia prima in Geneſin, Si ſanam doctri-
nam habueris, & rectam vitam contempſeris, quid tibi doctrinæ proderunt? Sunt tamẽ
audiendi qui apud populum concionando deteſtantur vitia, & concitant atque inflam
mant animos audientium ad nanciſcenda virtutum ſtudia, tametſi turpiter viuant, &
non habeant eam vitæ ſanctimoniam, quam prædicant. Dicit enim Chriſtus: Super ca Matt. 23.
thedram Moyſi ſederunt ſcribæ & phariſæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis,
ſeruate & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim, & nõ faciũt.
Ille vero contemptiſſimus eſt, & dignus vt ab omnibus rideatur & deſpiciatur, qui vi-
rilis animi fortitudinem habere contempſit. Et ex eo vanus eſt, quòd ſpretis cæleſtium
bonorum diuitiis, ſolùm fluxas opes, tumidos honores, & quæ vanitati ſunt obnoxia
deſideret. Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, q̃ glorioſus & indigens pane.) Glorioſus
hoc in loco is eſt, qui honorem ſibi circumponit, qui deniq; ſuas iactat opes & ſtudia,
& aliis deſpectis ſoli ſibi placet. Melior eſt igitur pauper tenui victu & veſtitu conten-
tus, quàm is qui inſignes diuitias in rebus vanis conſumit Habentes, inquit Paulus, ali- 1. Timot. 6.
menta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Melior eſt etiam, authore Eccleſiaſtico,
victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quàm epulæ ſplendidæ in peregre ſine domici- Eccleſ. 29.
lio. Denique melior eſt homo qui minuitur ſapientia, & deficiens ſenſu, in timore Dei, Eccleſ. 19.
quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur legem altiſsimi. Nouit iuſtus animas iu-
mentorum ſuorum, viſcera autem impiorum crudelia.) Dominus iuſtus, & ad miſeren-
dum propenſiſsimus, hebetudini ſuorum ſeruorum (quibus tanquam inſtrumentis &
iumentis in ſuis operibus vtitur) condolet, & ſubditorum ſibi commiſſorum fragilitati
compatitur, & ſagaci iudicio ac exquiſita prudentia perpendit quid valeant humeri, &
virium diuerſitatem agnoſcit, nec onus ſuis imponit quod ferre non poſsint: nec ita
cogit vnum ad laborandum, vt ſinat alterum eſſe ocioſum, & ſomnolentam ducere vi-
tam: ſedulis & vigilantiſsimis pro iuſto labore præmium rependit, pigros verò in officio
manſuetè corrigit, nec delinquentibus ſeueram & pluſquam Catonianam frontẽ oſtẽ-
dit: nec more furibundi excandeſcit & ſtomachatur, ſed compoſito animo in ſuos ani-
maduertit: quod ſanè iubet Paulus dicens, Et vos domini eadem facite illis, remittentes Epheſ. 6.
minas, ſcientes quòd & illorum & veſter dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio
non eſt apud Deum. Impij verò & ferociſsimi domini (quorum viſcera præ nimia cru-
delitate crepant) non ſolum non compatiuntur ſuis ſubditis, ſed eos mutilant, & acerri-
mis ſuppliciis afficiunt. Qui operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus: qui autem
ſectatur ocium, ſtultiſsimus eſt.) Qui ſuam terram aut ſua aut ſuorum induſtria ſtrenue
colit, eamque aſsiduitate laboris feraciorem reddit, vberrimos fructus colliget, & abun-
de cibo reficietur. Qui verò ſua ignauia ſinit ſuam terram ſterileſcere, opprimetur in-
opia. Et qui bonas horas perdit, & tempus pigro ocio terit, non præuidens extremã ege-
ſtatẽ in quam incidet, ſtultiſsimus eſt, & ſua pigritia feretur præceps in multa vitia. Vnde
dicit Eccleſiaſticus, Multam malitiam docuit ocioſitas. Qui ſuauis eſt, viuit in mode- Eccleſ. 33.
rationibus, & in ſuis monitionibus relinquit contumeliam.) Qui benignus eſt, ſuauis &
modeſtus, ita ſua verba moderatur, vt monendo alios, non prorumpat in contumelias,
& fratrem in aliquo delicto præoccupatum in ſpiritu lenitatis corripiet. Verſus ille non Gala. 6.
eſt in Hebræo, & aliter Septuaginta interpretes legunt, ὅς ἐστιν ἡδὺς ἐν οἴνων διατριβαῖς, ἐν τοῖς
ἑαυτοῦ ὀχυρώμασι καταλείψει ἀτιμίαν, id eſt, Qui eſt ſuauis in vinorum immorationibus, in
ſuis munitionibus relinquet ignominiam. Deſideriũ impij monumentũ eſt peſsimo-
rum, radix autem iuſtorum proficiet.) Monumenta impiorum ſunt, male actorum re-
cordatio, ſuas obſcœnas libidines iactare, lætari quòd pupillos & viduas calumniis op-

preſſerint,quòd in rempublicam coniurauerint,quòd latrociniis & rapina ſuos ditauerint,quòd verſuram fecerint & impoſturam,& innocentes fefellerint,quòd deniq; multos interfecerint,& quòd etiam aliorum damno & inſigni iactura, & (ſi dicam) ſimonia,ampliſsima ſacerdotia obtinuerint.Hæc malorum ſunt monuměta, quæ pleriſque imitanda relinquunt. Siquidem impij præcedentium malorum veſtigia ſectantur, & de his quæ ab illis turpiter & flagitioſe geſta ſunt,libenter loquuntur. Radix autem iuſtorum,ſcilicet ſtabilitas virtutū, fides, ſpes & charitas,quibus radicati ſunt in Chriſto, proficiet.Nam ad perfectiora ſemper accreſcet.Et hæc firmiſsima radix nunquam ſuccidetur,nunquam de ſede ſuæ dignitatis dimouebitur.In hac radice plantati ſunt, qui ſyncera fide & honeſtæ vitæ officiis Deum cognoſcunt,& iuſtitiam eſuriunt ac ſitiūt: & ſuauiſsimus fructus quem ex hac radice decerpūt,eos donat immortalitate. Vnde in li-
Sapi.15. bro Sapientię legimus,Noſſe enim te,conſummata iuſtitia eſt:& ſcire iuſtitiam & virtutem tuam,radix eſt immortalitatis. Propter peccata labiorum ruina proximat malo, effugiet autem iuſtus de anguſtia.) Quantum noceant vitia linguæ, quæ ſanè nequaquam puſilla ſunt,oſtendit Salomon.Nam illis de ſalute animæ periclitamur,illis à gratia Dei excidimus,illorum denique peſte percuſsi, ad damnationem æternam (niſi nos pœnituerit) corruimus.Sunt autem peccata labiorum,mendacia,falſa teſtimonia, detractiones,conuicia,ſuſurrationes,contentiones,rixæ,ſeminaria diſcordiarū,& conſimilia,quibus onerati in profundum inferni præcipitantur. Iuſti verò qui norunt rationis freno ſuam coercere linguam,tantorum malorum pericula effugient,& de anguſtiis miſeræ mortis eripientur. De fructu oris ſui vnuſquiſq; replebitur bonis,& iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei.) Optimi fructus noſtri oris ſunt,rectæ monitiones,ſana doctrina,ſalutaria verba,laudes Dei,aſsiduæ precationes,& cætera huiuſmodi, quibus (ſi modo bona opera illis reſpondeant) meremur vt anima noſtra æternæ vitæ bonis ſatietur.Nec Salomon ſubticuit opera noſtra,& vim liberi arbitrij, cum ſubiunxit,Et iuxta opera manuum ſuarum retribuetur ei. Siquidem Deus bonis quidem pro ſuis meritis vitam æternam retribuet,malis verò pro ſuis demeritis perpetuum ſuppli-
Iob.34. cium.Huic ſententiæ conſentit illud Iob, Abſit à Deo impietas,& ab omnipotente iniquitas.Opus enim hominis reddet ei,& iuxta vias ſingulorum reſtituet eis. Hoc idem
Matt.16. expreſsit Chriſtus in euangelio Matthæi dicēs,Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis,& tunc reddet vnicuique ſecundum opera eius. Quidnam au-
Roma.2. det reddet domin⁹ in die iudicij,declarauit Paulus in epiſtola ad Romanos,dicēs, Reddet vnicuique ſecundum opera eius:iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt,vitam æternam:iis autem qui ſunt ex contentione,& qui non acquieſcunt veritati,credunt autem iniquitati, ira & indignatio,tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.Et ad Epheſios
Ephe.6. loquens de ſeruis qui debent ex animo facere voluntatem ſui domini,dicit: Vnuſquiſq; quodcunque fecerit bonum,hoc recipiet à domino,ſiue ſeruus,ſiue liber.

Via ſtulti recta in oculis eius:qui autem ſapiens eſt,audit conſilia.Fatuus indicat ſtatim iram ſuam:qui autem diſſimulat iniuriam,callidus eſt.Qui quod nouit loquitur,index iuſtitiæ eſt:qui autem mentitur, teſtis eſt fraudulentus. Eſt qui promittit,& quaſi gladio pungitur conſcientiæ: lingua autem ſapientium eſt ſanitas.Labium ueritatis firmum erit in perpetuum:qui autem teſtis eſt repentinus, concinnat linguam mendacii. Dolus in corde cogitantium mala:qui autem pacis ineunt conſilia,ſequitur eos gaudium.Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit:impii autem replebuntur malo.) Quemadmodum habenti oculos humore ſanguineo reſperſos,omnia videntur eſſe rubra,ita ſtulto quæ obliqua ſunt vidētur eſſe recta:quandoquidem ſtulti & peruerſi hominis ratio noxiis affectibus vulnerata,& vitiis ac erroribus obſcurata,peruerſe iudicat,nec minus quàm febricitans cibum omnem etiam ſuauiſsimum iudicat eſſe amarum.Et quod quiſq; amat, iudicat eſſe bonum.Nam nimius ſui amor,& odium alterius,peruertunt iudicium.Dominus per pro-
Amos.6. phetam Amos illis imprecatur malum,qui conuerterunt in amaritudinem iudicium,&
Eſa.5. fructum iuſtitiæ in abſinthium.Et hoc expreſsius multo apud Eſaiam legimus: Væ qui dicitis malum bonum,& bonum malum,ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras,
Micheæ.3 ponentes amarum in dulce,& dulce in amarum.Tum in prophetia Micheæ,Nunquid

non

non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum? Qui autem ſapiens eſt: antequam ardua ſubeat negocia, non ſuo confidens iudicio, prudentes & ſapientes conſulit, nihilque quod ſerium ſit & graue, molitur, quod non ſit exquiſito conſilio perpenſum. Fatuus indicat ſtatim iram ſuam.) Ardentiſſima fatui ira cum foris erumpit, maximè feruet: & quia ſtolidus iracundia commotus ſuas paſsiones deſerta ratione ſequitur, apertis ſignis ardentem ſui perturbati animi flammam indicat: ſi tamen non detineat iram (vt iracundi & ſummæ bilis homines) cito deſiſtet. Seneca libro primo de ira, lepidiſsime docet affectum iræ ex omnibus maxime tetrum eſſe ac rabidum. Siquidem cæteris aliquid quieti placidique ineſt, hic verò totus concitatus & in impetu eſt doloris, armorum, ſanguinis, ſuppliciorum: minime humana fruens cupiditate: dum alteri noceat, ſui negligens: in ipſa irruens tela, & vltionis auidus. Et quemadmodum furentium certa indicia ſunt, audax & minax vultus, triſtis frons, torua facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebra & vehementius acta ſuſpiria: ita iraſcentium eadem ſigna ſunt. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, & æſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus, mugituſque, & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & complosæ ſæpius manus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque iræ minas agens, fœda viſu & horrenda facies deprauantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias vtrum magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Cætera licet abſcondere, & in abdito alere: ira ſe profert, & in faciem exit: quantoque maior hæc eſt, efferueſcit manifeſtius. Non vides, vt omnium animalium, ſimul ad nocendum inſurrexerunt, præcurrant notæ, ac tota corpora ſolitum quietumque egrediantur habitum, & feritatem ſuam exaſperent? Spumant apris ora, dentes acuuntur attritu, taurorum cornua iactantur in vacuum, & arena pulſu pedum ſpargitur. Leones fremunt, inflantur irritatis colla ſerpentibus, rabidarum canum triſtis aſpectus eſt. Nullum eſt animal tam horrendum, tam pernicioſumq́ natura, vt non appareat in illo, ſi illud ira inuaſit, nouæ feritatis acceſsio. Nec ignoro cæteros quoque affectus vix occultari, libidinem, metumque & audaciam dare ſui ſigna, & poſſe præcognoſci. Neque enim vlla vehemētior intrà cogitatio eſt, quæ nihil moueat in vultu. Quid ergo intereſt? quòd alij affectus apparent, hic eminet. Iam verò ſi effectus eius damnaque intueri velis, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Videbis cędes ac venena, & eorū mutuas ſordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium & principum, ſub ciuili haſta capita venalia, & ſubiectas tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſsimarum ciuitatum fundamenta vix notabilia, has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa milia ſine habitatione deſertas, has ira exhauſit. Aſpice tot memoriæ proditos duces, mali exempla fati. Alium ira in cubili ſuo confodit, alium intra ſacra menſæ ira percuſsit. Alium inter leges celebriſque ſpectaculum fori lancinauit, alium filij parricidio dare ſanguinem iuſsit. Alium ſeruili manu regale aperire iugulum, alium in cruces membra diffindere. In eodem libro reprehendit Ariſtotelem, quòd dixerit iram nonnihil adiumenti ſubminiſtrare viris fortiſsimis. Et primò quæ illic ſcribit Seneca aduerſus Ariſtotelem, referemus: deinde quid ſenſerit ille ſummus philoſophus de ira coadiuuante viros pugnaces, patefaciemus. Et profectò videtur Seneca multa aſcribere Ariſtoteli quæ non dixit. Verba autem Senecæ eo in loco ſunt hæc: Ira, inquit Ariſtoteles, neceſſaria eſt, nec quicquam ſine illa expugnari poteſt, niſi illa impleat animum, & ſpiritum accendat. Vtendum autem illa eſt non vt duce, ſed vt milite. quod eſt falſum. Nam ſi exaudit rationem quam ſequitur, qua ducitur, iam non eſt ira, cui proprium eſt contumacia. Si verò repugnat, & non vbi iuſſa eſt quieſcit, ſed libidine ferociaque prouehitur, tam inutilis animi miniſter eſt, quàm miles qui ſignum receptui negligit. Hæc ille. Qui diligenter & exactè libros Ethicorum Ariſtotelis excuſſerunt, nunquam Seneca.

repererunt Ariſtotelem dixiſſe iram debere implere animum ſi quicquam expugnari debeat,licet excitet fortem ad generoſius confligendum,ſi modò temperata fuerit, &
Ariſtote. rationis freno repreſſa. Et quid de hac re ſentiat Ariſtoteles libro III. Ethicorum capite VIII. vbi docet illos non eſſe verè fortes, qui ira perciti more ferarum feruntur ad aggredienda pericula,referemus. Atqui, inquit, iram etiam ad fortitudinem referunt.fortes enim & ij videntur, qui ob iram feruntur perinde atque feræ, in eos qui ipſos vulnere affecerunt, quia & fortes concitantur ira. Eſt enim ira res impetuoſiſſima ad aggredienda pericula: quapropter & Homerus dixit, Vires iniecit iræ.&,animum ira concitauit. &, acuta per nares vis. &, efferbuit ſanguis. Hæc enim vniuerſa iræ concitationem impetumve ſignificare videntur. Deinde philoſophus oſtendit illos non eſſe ſimpliciter fortes, qui impetu iræ res arduas aggrediuntur. Fortes(inquit) ob honeſtatem agunt, & ipſa ira ſubminiſtrat: feræ autem ob dolorem, quia nanque vulnus acceperunt, vel quia timent. Nam ſi ſuis in luſtris ſint, non inuadunt. Non igitur ſunt fortes propterea,quòd à dolore concitati ac ira,ad periculum irruunt,nihil præuidentes malorum. Nam hoc pacto & ipſi aſini cũ eſuriunt fortes eſſent.non enim à pabulo verberibus dimouentur. Adulteri quoque propter libidinem multa audent. Non igitur fortes ſunt, qui ob dolorem ac iram ad pericula compelluntur. Maxime autem naturalis ea eſſe videtur,quæ eſt ob iram,& eſſe fortitudo electione ſumpta, fineque:& ipſi etiam homines cum iraſcuntur,dolent:cum vlciſcuntur,capiunt voluptatem.Qui autem propter hæc agunt, pugnaces quidem ſunt, at non fortes. non enim ob honeſtatem agunt, nec vt ratio præcipit, ſed ob ipſum affectum. Nec verum eſt quod dicit Seneca,Si exaudit rationem, quã ſequitur,qua ducitur, iam non eſt ira. Licet enim non ſit ira immoderata, eſt tamen ira moderata. Alioqui nullo modo liceret iraſci. quod eſt abſurdum. Dicit enim Philoſophus libro IIII. Ethicorum capite V. Is igitur qui pro quibus, & quibus oportet, & vt oportet, & cum oportet, & quanto in tempore oportet, iraſcitur, laudatur: eſtque hic manſuetus. ſiquidem laudatur ipſa manſuetudo, quæ ex eodem authore mediocritas eſt circa iram: iracundia ve-
Pſal.4. rò, exceſſus iræ, vituperatur. Etiam dicit pſalmographus, Iraſcimini, & nolite pec-
Epheſ.4. care. Et hunc locum explanat Paulus ad Epheſios dicens, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Hoc eſt, Tametſi vobis liceat iraſci, & quidem propter veſtra aut aliorum peccata, cauete tamen ne ira diu perſiſtens veſtram rationem obtenebret. Nam quando obſcurat imperium rationis, confundit iuſtitiam, amicitiam rumpit, concordiam diſsipat, aufert pacem pectoris, & nullum eſt ſcelus quod non intenter. Qui autem diſsimulat iniuriam, callidus eſt.) Qui fingit ſe ignorare iniuriam ſibi factam, vt acerbius poſthac eam vindicet, aſtutus eſt & vafer: quod fecit Ioab præfectus militiæ Dauid, qui cum reſciuit poſt mortem Abſalo-
2.Reg.19. nis (quem tantopere Dauid luxerat) Amaſam in ſuum locum ſuffectum fuiſſe, & Dauidis gratiam ſibi conciliaſſe: vt facilius Amaſæ iugulum peteret, diſsimulauit
2.Reg.20. iniuriam quam credidit ſibi factam fuiſſe, & Amaſæ ſibi occurrenti dixit, Salue mi frater. Et tenuit manu dextra mentum Amaſæ, quaſi obſculans eum. porrò Amaſa non obſeruauit gladium quem habebat Ioab, qui percuſsit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, & mortuus eſt. Inſuper Abſalon finxit ſe nullam
2.Reg.13. affectum fuiſſe iniuria quòd Ammon oppreſsiſſet & violaſſet ſuam ſororem Thamar: & cum illa dolore contabeſceret, dixit, Nunquid Ammon frater tuus concubuit tecum? Sed nunc ſoror tace, frater tuus eſt, neque affligas cor tuum pro hac re. Expleto tamen biennio, cum inuitaſſet ſuum fratrem Ammon ad lautiſſimum conuiuium, iuſsit ſuis famulis vt cum Ammon temulentus eſſet vino, & obrutus, eum interficerent. & ita euênit. Aliter hic Salomonis locus poteſt explicari, & forſitan melius. Qui diſsimulat iniuriam, hoc eſt, qui non vult ſcire iniuriam ſibi factam fuiſſe, ac ſi omnino obliuiſceretur, nullo modo auidus vindictæ, callidus eſt, id eſt aſtutus, ſagax, & ſapiens. Nam euangelicis

conſiliis

conſiliis rectè inſtitutus, non vult vlciſci iniuriam, nec conuicium conuicio reta-
liare. Siquidem Chriſtus dicit in euangelio Matthæi, Dico vobis non reſiſtere ma- Matt.5.
lo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et huic
ſubſcribit ſententiæ Paulus dicens in epiſtola ad Romanos, Nulli malum pro malo Roma.12.
reddentes. Et paulò pòſt, Non voſmetipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum
iræ. Scriptum eſt enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit dominus. Nobis com- Deute.32.
pertum eſt ex libris Regum, Saulem à Samuele in regem filiorum Iſrael vnctum, diſ-
ſimulaſſe iniuriam ſibi factam in exordio ſui regni à filiis Belial, nec tamen eam voluiſ-
ſe vlciſci. Dixerunt illi mordaciſsimi viri: Num ſaluare nos poterit iſte? Et deſpexe- 1.Reg.10.
runt eum, & non attulerunt ei munera. Ille vero diſsimulauit ſe audire. Res ſiquidem
magnæ gloriæ eſt magis indulgendo peccata corrigere, quàm vindicando. Septuagin-
ta interpretes legunt, ἄφρων αὐθήμερον ἐξαγγέλλει ὀργὴν αὐτοῦ, κρύπτει δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀτι-
μίαν πανοῦργος, id eſt, fatuus ipſo die indicat iram ſuam, celat autem ſuam ignominiam
callidus. Qui quod nouit loquitur, iudex iuſtitiæ eſt: qui autem mentitur, teſtis eſt
fraudulentus.) Is cui indictus eſt dies vt compareat coram iudice ad ferendum teſti-
monium, ſi quod nouit eſſe verum, proferat & atteſtetur, iudex eſt iuſtitiæ, quia verita-
tem loquitur in iudicio, non quòd præſit iuſtitiæ & cauſis iudicandis, ſed quòd bona fi-
de & integra conſcientia annunciat iudici quod plurimum conducit ad rectè iudican-
dum. Qui verò falſum fert teſtimonium vt ſuo proximo noceat, teſtis eſt fraudulen-
tus, & dignus vt acerrimas luat pœnas. Nam tranſgreditur illud præceptum domini,
Non loquaris contra proximum tuum falſum teſtimoniũ. Eſt qui promittit, & qua- Exod.20.
ſi gladio pungitur conſcientiæ: lingua autem ſapientum eſt ſanitas.) Qui viro probo
nonnihil pollicetur, gladio conſcientiæ & remorſu compungitur, ſi non ſteterit pollici-
tis. Nam datæ fidei & pollicitationis arguetur: quod in eius dedecus cedit, cum abſque
periculo aut ſuo vel reipublicæ damno poteſt præſtare quod pollicitus eſt. Lingua au-
tem ſapientum eſt ſanitas. Nam quod tempeſtiuè ſapientes promiſerunt, præſtant. Et
ſicut ſanitas eſt humorum temperamentum & proportio, ita in verbis & factis ſapien-
tis viri certa proportio reperitur, cui vehementer diſpliceret ſi eius verba à factis diſ-
ſiderent. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem teſtis eſt repenti-
nus, concinnat linguam mendacij.) Quia ipſa veritate nihil eſt firmius & ſtabilius,
pro qua vſque ad mortem certandum eſt, veraces nihil teſtantur quod non ſit firmum
& ſtabile. Qui autem vacillant, & ſuis verbis variant, & leuiter ac indiſcrete teſtimo-
nium proferunt, & quidem plerunque falſum, concinnant linguam mendacij, quia
pro ſua aut aliorum commoditate expoliunt linguam ad effutiendum mendacium,
quod fuco quodam obtegunt, & nituntur ſuis vafris commentis falſum tanquam ve-
rum colorare. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt conſilia, ſe-
quitur eos gaudium.) Qui excogitant qualiter aliis nocebunt, ſæpe confingunt vias
quibus id doloſe implere poterunt: & quod viribus exequi non valent, conantur frau-
dulentis inuentis exequi. Qui verò inter ſe conferunt, & toto animo diſquirunt quo-
nam pacto inibunt fœdus, & tranquilla pace fruentur, exhilareſcunt. Beati enim pacifi- Mat.5.
ci, quoniam filij Dei vocabuntur. Et Paulus nos cohortatur, vt, ſi fieri poſsit, demus o- Roma.12.
peram ad habendum cum omnibus hominibus pacem. Vult etiam in epiſtola ad Ephe- Epheſ.4.
ſios vt ſoliciti ſimus ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Non contriſtabit iu-
ſtum quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo.) Iuſtus eam animi magni-
tudinem cum in proſperis tum in aduerſis retinet, vt rebus ſiniſtris non frangatur, ſed
aduerſam fortunam æquo animo tolerat. Et licet aliquando triſtetur quòd non modi-
cam ſuorum bonorum iacturam fecerit, tamen non ſuffundetur triſtitia, neque vllo
dolore ac mœrore animi à ſua virtute deiicietur. Impij verò impatientia fracti, mul-
tis ſuppliciis affligentur.

¶ *Abominatio eſt domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Homo verſutus celat ſcien-
tiam, & cor inſipientium prouocat ſtultitiam. Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſer-
uiet. Mœror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono lætificabitur. Qui negligit damnum propter
amicum, iuſtus eſt. Iter autem impiorum decipiet eos. Non inueniet fraudulentus lucrum, & ſubſtantia ho-*

minis erit auri precium. In ſemita iuſtitiæ, uita:iter autem deuium ducit ad mortem.) Deus veri-
tatum omnium ſons exuberantiſsimus, & qui eſt ipſa veritas, mendaces abominatur.
quòd ſi fidem dederint, non eam præſtant, nec quicquam fidelitatis in eis inuenitur: &
potiſsimum illos dominus deteſtatur, qui dedita opera & certa malitia mẽtiuntur. Qui
autem in ſuis promiſsis fideles ſunt, & ab omni circunuentione, dolo & impoſturis ab-
Pſal.144. horrent, mirum in modum domino placent, qui in omnibus verbis ſuis eſt fidelis, &
eam ob cauſam Deo grati ſunt, qui in ſuis verbis & factis retinentes fidelitatis virtutem
eum ipſa iuſtitia copulatam, fiunt Deo ſimiles. Similitudo autem eſt ratio amoris. Quã-
obrem dominus in euangelio laudans illum qui quinque talenta locupletauerat, dicit,
Matt.25. Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra
in gaudium domini tui. Eodem laudis genere commendauit illum qui duo talenta ad-
Eccleſ.15. auxerat. Dicit & Eccleſiaſticus, Sapientiæ Dei aſtabit laus, & in ore fideli abundabit, &
Cicero. dominator dabit eam illi. Cicero loquens de fide iuſtorum hominum libro II. Officio-
rum, dicit, Iuſtis autem & fidis hominibus ita fides habetur, vt nulla ſit in his fraudis in-
iuriæque ſuſpicio: itaque his ſalutem noſtram, his fortunas, his liberos rectiſsimè com-
mitti arbitramur. Homo verſutus celat ſcientiam, & cor inſipientium prouocat ſtul-
titiam.) Non ſum neſcius verſuti nomen plerunque ſumi in malam partem: vnde il-
lud Ciceronis in loco nuper citato, Quo enim quis verſutior & callidior, hoc inuiſior
& ſuſpectior, detracta opinione probitatis. tamen hoc in loco in bonam partem ſu-
mitur, & quidem pro ſapiente & prudente, qui (vt ſcribit in hunc locum venerabilis
Beda. Beda) nonnunquam de induſtria ſuam celat ſcientiam, duplici nimirum ratione, vel
1.Corin 3. non valens infirmis auditoribus loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: vel no-
Mat.7. lens dare ſanctum canibus, neque ante porcos margaritas proiicere. Cor autem in-
Roma.12. ſipientium prouocat ſtultitiam. Nam qui volunt & appetunt plus ſapere quàm opor-
tet, eo vſque meditando proſiliunt, vt loco ſapientiæ ſtultitiam teneant. Vel certe alios
quæ necdum capere queunt, docere nitentes, ad maiorem eos ſtultitiam prouocant.
Aliter, Stolidi & inſipientes, ad inania quæque, diſſolutos riſus, & vana ludicra, & ridi-
culas geſticulationes alios excitant. Aut ſi mauis, cor inſipientium prouocat contra ſe
alienam ſtultitiam, quia prorumpens in contumeliam ſubitò ſe manifeſtat. Loco hu-
ius, Homo verſutus celat ſcientiam, Septuaginta interpretes legunt, ἀνὴρ συνετὸς θρό-
νος αἰσθήσεως, id eſt, vir prudens thronus ſenſus. Manus fortium dominabitur: quæ
autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.) Ex ſacris ſcripturis memoriæ proditum eſt, fi-
Ioſue.17. lios Iſrael fortiſsimos & maximè ſtrenuos ſuæ ditioni ſubieciſſe Chananæos, & fe-
2.Reg.8. ciſſe ſibi tributarios. Tum etiam Dauid percutiens Philiſtæos fecit vt Moab ſibi ſer-
3.Reg 9. uiret ſub tributo. Inſuper, poſtquam Pharao rex Aegypti aſcendit & cepit Gazer,
ſuccenditque eam igni, & Chananæum qui habitabat in ciuitate, interfecit, & de-
dit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis, filios Amorræorum, Ethæorum, Phe-
rezæorum, & Euæorum & Iebuzæorum, quos non potuerant filij Iſrael exterminare,
fecit Salomon tributarios. Denique quis ignorat Iudæos à Romanis imperatoribus
ſubiugatos illis pendiſſe tributum? Quòd autem reges terræ ab alienis accipiant tri-
Matt.17. butum, patefecit Chriſtus in euangelio Matthæi, vbi planè docet ſe non fuiſſe ob-
noxium exoluendis huiuſmodi tributis. Cum enim diſcipuli eius veniſſent Ca-
pharnaum, & acceſsiſſent qui didrachma ſolebant à Iudæis accipere, ſciſcitantes à Pe-
tro cur eius magiſter non ſolueret didrachma, præueniens Petrum, ne huiuſce rei fie-
ret anxius & ſollicitus, dixit, Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum?
A filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi Ieſus, Ergo liberi ſunt fi-
lij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piſcem
qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies ſtaterem: illum ſumens,
da eis pro me & te. Mœror in corde viri humiliabit illum, & ſermone bono
lætificabitur.) Qui plurimum ægrè fert quòd diuinam maieſtatem offenderit, &
poſt offenſam ſuum luget peccatum, ſuamque fragilitatem agnoſcit, & nihil ſeipſo
vilius & abiectius eſſe exiſtimat, fit humilis: & poſtquam confugiendo ad fontem
diuinæ miſericordiæ, ſuum ſcelus lachrymis abſterſit, & ſalutari triſtitia ſuam
culpam

culpam abluit,lætatur.Vnde dicebat Dauid, Priuſquam humiliarer ego deliqui: pro- Pſal.118.
pterea eloquium tuum cuſtodiui.Rurſum, Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam
iuſtificationes tuas.Dicit & Paulus ad Corinthios loquens de vera & vtili triſtitia quæ
nos ad pœnitentiam adducit, Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt,pœnitentiam in ſalu- 2.Corin.7.
tem ſtabilem operatur:ſeculi autem triſtitia,mortem operatur. Qui negligit damnum
propter amicum,iuſtus eſt:iter autem impiorum decipiet eos.) Qui patitur iacturam
bonorum fortunæ,& paruipendit damnum temporaneum, vt ſui amici inopiam ſub-
leuet,eumque à morte corporali vel ſpiritali eripiat,iuſtus eſt. Nam amicus longe ma-
gis diligendus eſt quàm diuitiæ.Quòd ſi ſuas fortunas amico præferret, iura charitatis
violaret.Siquidem dicit Ioannes, Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fra- 1.Ioan.3.
trem ſuum neceſsitatē habere,& clauſerit viſcera ſua ab eo,quomodo charitas Dei ma-
net in eo?Qui verò propter Deum & Chriſti amorem ſuas opes contemnit, & ingentes
fortunæ procellas ac aduerſa quæque magno animo tolerat, nec pro tuenda fide mor-
tem exhorreſcit,maxime iuſtus eſt,quia nullis ærumnis,nullis denique tribulationibus
concuſſus à charitate Dei diuelli potuit.Impij verò & auidi quæſtus à ſeipſis decipiun- Roma.8.
tur, quòd magis ſuas facultates ament & colant quàm amicum: & inhiantes opibus,
propter hæc terrena & caduca (quorum cupiditate occæcantur) deſerant proximum.

Non inueniet fraudulentus lucrū,& ſubſtancia hominis erit auri preciū.) Qui frau-
de & callidis inuentis ſibi comparant opes,non ditabuntur, ſed eorum diuitiæ putre-
ſcent,& in cineres ac fauillas redigentur. Aurum & argentum illorum æruginabit, & Iaco.5.
ærugo erit illis in teſtimonium. Et plerunque accidit vt facultates iniuſtè partæ, ſuos Eccleſ.20.
poſſeſſores(verius fures & expilatores)adigant cruci:& ſi Eccleſiaſtico fidem adhibueri-
mus,perditionem hæreditabunt.Qui verò ſuam ſubſtantiolam impartitur pauperi,the-
ſaurizat in cælo,& diuitias auro & argēto precioſiores à domino recipiet. In ſemita iu-
ſtitiæ,vita:iter autem deuium ducit ad mortem.) Qui tutiſsimā iuſtitiæ ſemitam ſectā-
tur,diuinæq; legis præcepta cuſtodiunt,ad exoptatiſsimam beatorū vitam ingrediūtur.
Siquidem Chriſtus cuidam adoleſcenti ſciſcitanti quidnā boni faceret vt haberet vitam
æternam,reſpondit:Si vis ad vitā ingredi,ſerua mādata Qui verò per diuerſa vitiorū ac Matt.19.
errorū diuerticula abeuntes,à recto virtutum tramite deflectunt, & à Dei mandatis de- Pſal.118.
clinant,diuinæ ſententiæ maledictionem incurrunt,& ad gehennam ignis deiiciuntur.

ARGVMENTVM DECIMITERTII CAP.

Summopere gaudet pater ſapientiſsimus ſi à ſe liberi recta educatione & utiliſsimis honeſtæ uitæ præceptis inſtituti,optimos mores ſanamq; doctrinam imbiberint:quorum gloria,ſapientia & uirtutes, quibus effulgent,in decus patris perpetuamq; nominis commēdationem cedunt.E diuerſo pater doctiſsimus plurimum dolet & mœrore contabeſcit, ſi liberi rectam uitæ morumque inſtitutionem abiecerint & contempſerint, nec monitis paternis cum arguentur,obtemperarint. Agnoſcent iuſti ſua in rempublicam iuuandam conferentes ſtudia,quàm utile ſit & Deo gratum,æqua lance diuitum & pauperum cauſas trutinaſſe, & omnibus profuiſſe:quandoquidem lux eorum fulgidiſsima perpetuò fulgebit.Iniuſti uerò & impii (quorū obſcurata lucerna extinguetur) propriæ utilitatis amatores, communis uero contemptores negligentiſsimi, cū perpetuis tormentis affligentur,ſentient quàm ſit iniquum & moleſtum iuſtitiæ leges uiolaſſe.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Filius ſapiens, doctrina patris:qui autem illuſor eſt,non audit cum arguitur. De fructu oris ſui homo ſatiabitur bonis, anima autem impiorum iniqua. Qui cuſtodit os ſuum,cuſtodit animam ſuam:qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala.Vult & non uult piger:anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax iuſtus deteſtabitur,impius autem confundit & confundetur.Iuſtitia cuſtodit innocentis uiam, impietas autem peccatorem ſupplantat. Eſt quaſi diues, cum nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitiis ſit.)

Filius prudens modeſtus & ſapiens exhortationes paternas ac correctiones bono

animo recipit, & in ſuam vtilitatem conuertit: in cuius ſapientia ac virtute relucet ſui
patris doctrina. Spiritalem ſectando intelligentiam, dices Chriſtum Dei filium eſſe ſa-
pientiam & doctrinam ſui patris. Nam pater per filium nos docet quæ ad aſſequendam
æternæ vitæ fœlicitatem magnopere conducunt: quod in transfiguratione Chriſti in-
Matt. 17. dicauit vox illa paterna cælitus demiſſa, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene
Ioan. 8. complacui: ipſum audite. Dicit & Chriſtus in euangelio Ioannis, Sicut docuit me pater,
hæc loquor. Qui autem ſapientiæ præcepta deridet, nec ſe docilem pręſtat, ſed auditum
Heſiod. mētis ab illo à quo corripitur auertit, demens eſt & inutilis. Hinc illud Heſiodi memo-
ratiſſimum, & quod refert philoſophus IIII. cap. I. Ethicorum,

Optimus ille quidem eſt, ex ſeſe qui omnia nouit,
Perceptis quæ pòſt, & ſemper ſunt meliora.
Is rurſus bonus eſt, paret qui recta monenti.
At qui ex ſe neſcit, cuiquam nec porrigit aures
Vt bona percipiat, demens & inutilis ille eſt.

Eſaiæ. 66. Dicit quoque dominus per Eſaiā de iis qui in abominationibus ſuis delectati ſunt, Vn-
de & ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant, adducam eis: quia vocaui, & non
erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierunt. De fructu oris ſui homo ſatiabi-
Prouer. 12. tur bonis.) Hic locus illi perſimilis eſt, De fructu oris ſui vnuſquiſque replebitur bo-
nis. Hoc autē fructu ſermo bonus & vtilis exprimitur. Qui igitur bona loquitur (ſi mo-
dò verbis vita reſpondeat) bonis donabitur æternis. Anima autem impiorū iniqua.)
Quia Deum offendit, eiuſque leges præuaricatur, & proximum lædit. Qui cuſtodit os
ſuum, cuſtodit animam ſuam: qui autem inconſideratus eſt ad loquendū, ſentiet mala.)
Qui linguam ſuam refrenat, & linguæ plectrum moderatur, ab aduerſariorum inſidiis
ſuam animam eripit, qui nituntur calūniādo nonnihil ab ore eius rapere, vnde poſsint
eum accuſare: quod aduerſus Chriſtum moliebantur Phariſæi & legiſperiti. Cum enim
Lucæ. 11. dixiſſet, Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui
introibant, prohibuiſtis: cœperunt illi grauiter inſiſtere, & os eius opprimere de multis,
inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accuſarent eum. Huic Salomo-
Iaco. 3. nis ſententiæ ſubſcribit illud Iacobi, Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir,
potens etiam freno circunducere totum corpus. Qui verò impetu & vento loquacitatis
rapitur, nec præmeditatur quidnam aut de quibus loquatur, ſed importunè ac perperā
Eccleſ. 4. fundit ſermonē, multa vitia incurret. Quapropter dicit Eccleſiaſticus, Noli citatus eſſe
in lingua tua. Et alibi aperit pericula & detrimenta quæ ex præcipiti & immoderata lin
Eccleſ. 28. gua emergūt. Flagelli (inquit) plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuet oſſa.
Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam. Et
paulò pòſt oſtendit quod huic loco commodiſsimum eſt, Sepi aures tuas ſpinis, & lin-
guam nequam noli audire: & ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis. Aurum tuum &
argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos, & attende
ne forte labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit ca-
ſus tuus inſanabilis in mortem. Vult & non vult piger, anima autem operantium
impinguabitur.) Vult piger ditari, ſed non diſquirit quæ ad aſſequendas diuitias deſti-
nata ſunt. Nam laborem refugit, idcirco non vult plene neque efficaciter ditari: & ita
finem illum vult, imperfecte quidem, quem non vult abſolute. Volunt etiam plurimi
beatitudinem æternam, & eos delectant præmia, ſed certamina refugiunt, neque man-
data Dei obſeruant, quæ ad nanciſcendam vitam æternam neceſſaria ſunt, nec volunt
ſuam carnem ieiuniis macerare, nec in ſanctis vigiliis & orationibus perdurare. Illi ſunt
Iaco. 1. me Hercules viri duplices animo, idcirco inconſtantes in omnibus viis ſuis. Qui verò
manum operi admouent, & ſub dio & ſole ſuos artus exercent, nec labori parcunt, ſibi
diuitias accumulabunt. Et eorum anima diuinis legibus obtemperans, poſt ſudores &
Pſal. 18. ærumnas huius mundi immarceſcibili corona donabitur. Hinc illud pſalmographi, In
Pſal. 62. cuſtodiendis illis retributio multa. Et alibi, Sicut adipe & pinguedine repleatur anima
mea. Verbum mendax iuſtus deteſtabitur, impius autem confundit & confundetur.)
Quoniam iuſtus veritatis eſt amantiſsimus, & ad eam, cum iuſta decernit, mentis aciem
infle-

inflectit, idcirco mẽdacium ab æquitate & iuſtitia maximè diſsidens odit & deteſtatur. Impius verò & iniuſtus fautor mendaciorum mentiendo confundit proximum & offendit, ſed à domino confundetur. Vnde dicit Dauid, Cõfundantur omnes iniqua agẽtes. Psal. 24. Iuſtitia cuſtodit innocentis viam, impietas autem peccatorem ſupplantat.) Dominus cuſtodit iuſtos & innocentes, eoſque à multis periculis eripit. Siquidem Ioſeph à ſuis fratribus venditus ne eis dominaretur, propter ſuam innocentiam fuit à domino cuſtoditus, & ſuis fratribus præfuit. Geneſ. 37. Et Daniel iuſtiſsimus diuina gratia à leonibus liberatus, de ſeipſo dicebat: Deus meus miſit angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. Danie. 6. Impij verò, & moribus corruptiſsimi, à domino ſupplantantur & deſeruntur. Hinc illud pſalmographi, Præcinxiſti me virtute ad bellum, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me. Psal. 17. Eſt quaſi diues, cũ nihil habeat: & eſt quaſi pauper, cum in multis diuitiis ſit.) Diues eſt, qui caſula & tenui agello contentus eſt: & cenſetur ex eo nihil habere, quia non deſiderat diuitias. Et certe plurimum habet, qui minimum cupit. Auarus autem tametſi multis opibus affluat, extremam tamen inopiam patitur, quia nec ſuæ, nec aliorum vitæ conſulit. Vnde dicit Eccleſiaſtes, Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Eccleſ. 5. Et hoc ergo vanitas. Recta quoque eſt illa ſententia ab antiquis vſurpata, Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.

¶ *Redemptio animæ viri, diuitiæ ſuæ: qui autem pauper eſt, increpationem non ſuſtinet. Lux iuſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt cuncta conſilio, reguntur ſapientia. Subſtantia feſtinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Spes quæ differtur, affligit animam. Lignum vitæ, deſiderium veniens.)* Plurimum conducunt diuitiæ cum in pios vſus expenduntur ad expiandam à peccatis animam, & ad redimẽda delicta. Vnde dicebat Daniel ipſi Nabuchodonoſor, Peccata tua eleemoſynis redime, & Danie. 4. iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Tobiæ. 4. Huic ſubſcribit ſententiæ illud Tobiæ, Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Qui pauper eſt, cognitione ſcilicet rerum diuinarum, non ſuffert increpationem. Siquidẽ defectus diuinæ ſapientiæ præpedit quo minus æquo animo caſtigationem toleremus, quam tamen ſapientes (vt iam viſum eſt) amplexantur. Septuaginta interpretes legunt, πτωχὸς δὲ ὐχ ὑφίςαται ἀπειλὴν. Hoc eſt, Médicus autem non ſuſtinet minas. Aliter, Qui extrema paupertate premuntur, non facilè reprehenſionem admittunt, quãdoquidem dura eſt in afflictione increpatio. Et vulgatum eſt illud, Afflicto non eſt danda afflictio. Lux iuſtorum lætificat, lucerna autem impiorum extinguetur.) Luce iuſtorum moderata bonorum proſperitas deſignatur: & tenebris, malorum aduerſitas. Cum igitur iuſti rebus proſperis & ad voluntatem fluentibus bene vtuntur, gaudent, & magis cum animi culturam ſuis virtutibus adaugent. Lucerna vero impiorum, id eſt proſperitas & fœlicitas labentis ſeculi, qua abutuntur iniuſti, repente extinguetur. Hinc illud Iob memoratiſsimum, Nonne lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Iob. 18. Aeque alio loco, Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio. Iob. 21. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt: qui autem agunt cuncta conſilio, reguntur ſapiẽtia.) Superbi ac ambitioſi mutuis diſsidiis, inteſtinis bellis ac iurgiis ſeſe dilacerant, nec ferunt quempiam ſibi eſſe parem aut priorem: ſicut Pompeius non exiſtimabat quempiam principem etiam generoſiſsimum ſibi eſſe parem, nec Cæſar priorem.

Quis iuſtius induit arma,
Scire nephas: bello ſe iudice quiſque tuetur,

vt ſcribit Lucanus. Ea eſt ſtolidiſsima hominum inſania, vt nemo ſit tam puſilli ingenij, vt non velit cæteris præcellere, & præripere gloriam. Et quemadmodum humilitas parit pacem, ita ſuperbia bella & lites. Huic loco conſentaneum eſt illud Eccleſiaſtici, Effuſio ſanguinis in rixa ſuperborum. Eccleſ. 27. Qui exactiſsimo proborũ conſilio res ſuas agũt, reguntur ſapientia, & non propria voluntate, quæ plerunque cæcutit. Prudẽs ſiquidem longa meditatione cuncta perpendit & ruminat. Subſtantia feſtinata minuetur: quæ

autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.) Opes feſtinanter & citò partæ minuũtur, & plerunque à prodigis filiis dilapidantur. Quæ autem iuſto labore & ſenſim acquiruntur, accreſcunt, & paulatim vberiores fiunt. Alibi dicit Salomon, Vir qui feſti-
Prouer.28. nat ditati, & aliis inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei. Spes quæ differtur, affligit animam: lignũ vitæ, deſiderium veniens.) Qui ſummos honores ſummaque ſacerdotia deſiderant, antequam rebus ſperatis fruantur, & ſui voti compotes fiant, maximopere torquẽtur, & ſi non aſſequantur quod ab opulentiſsimis eccleſię claſsicis ſperabant ſe habituros, inſaniunt, magiſque clamant quàm qui ferro transfiguntur. Spes etiam futuræ beatitudinis quodammodo affligit animam nondum è carcere corporis ſolutam.
Philip.1. Roma.8. Vnde dicebat Paulus: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et alio in loco, Scimus enim quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc. Non ſolum autem illa, ſed & nosipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum dei expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autẽ quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus,
Pſal.119. ſperamus, per patientiam expectamus. Dicebat etiam Dauid: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Certiſsima tamen futuræ beatitudinis expectatio, & confidentia
Roma.12. perueniendi ad præmium æternum, exhilarat animam anhelantis. Hinc illud Pauli, Spe gaudentes. Lignum vitæ, deſiderium veniẽs) Senſus eſt, Boni deſiderati adimpletio eſt cauſa delectationis & gaudij. Lignum etiam vitæ, quod eſt Chriſtus Ieſus, in ſe-
Pſal.16. de beatorum appetitum noſtrum ſatiat. Vnde dicebat Dauid: Satiabor cum apparuerit gloria tua.

Qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat. Qui autem timet preceptum, in pace uerſabitur. Animæ doloſe errant in peccatis: iuſti autem miſericordes ſunt & miſerantur. Lex ſapientis, fons uitæ, ut declinet à ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam, in itinere contemptorum uorago. Aſtutus omnia agit cum conſilio: qui autem fatuus eſt, aperiet ſtultitiam. Nuncius impij cadet in malum, legatus autem fidelis ſanitas. Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguenti glorificabitur.)

Qui rebus bonis detrahit, aut viris probis conuiciatur, ſeipſum adſtringit ad exoluendam pœnam ſuis conuiciis debitam. Quamobrem beatus Paulus in epiſtola ad Ro-
Roma.1. manos non abs re dixit Detractores traditos eſſe à deo in reprobum ſenſum, vt faciant
Sapi 1. ea quæ non conueniunt. Et in libro Sapientiæ legimus, A detractione parcite linguæ.
Eccleſ.38 denique monet eccleſiaſticus detractorem vt faciat luctum vno die vel duobus propter
Lyranus. detractionem. Lyranus hunc Salomonis locum ita explicat: Qui detrahit alicui rei, eam vituperando, ipſe ſe in futurum obligat ad non commendandum eam, quia ſic inhoneſtè veniret contra verbum ſuum. Sed ridicula videtur eſſe expoſitio. Nam qui detrahendo viri boni famam lædit & denigrat, ad famę reſtitutionem adſtringitur. Idcirco ſi mẽtitus ſit vituperando ſuum proximum, tenetur mendacij verbum retractare: & licet verum eſſet quod protulit ſuum amicum vituperando, ſi inordinate & detractionis forma cum vituperauerit, conſtringitur dicere ſe indiſcretè & inordinatè loquutum. Sed qui timet tranſgredi præceptum diuinum, tranquillam aget vitam, & cum deo ac homi-
Pſal.118. nibus pacem habebit. Vnde dicit Dauid, Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Nec pax in illis reperiri poteſt, qui iuſtitiæ leges violant, & iniuſtè agunt.
Eſa.32. Eſa.48. Siquidem dicit Eſaias, Erit opus iuſtitiæ pax. Et alibi, Non eſt pax impiis. Nam ſceleratiſsimi cum à ſua conſcientia remordentur, & agnoſcunt ſe turpiſsimum facinus perpetraſſe, ſentiunt animum vndique procellis & fluctibus commotum, nec poſſe conquieſcere. Animę doloſæ errant in peccatis, iuſti autem miſericordes ſunt, & miſerãtur.) Qui fraudem committunt, & circumueniunt proximum, à recta via exorbitant, & ſuorum errorum pedicis inuoluuntur. Iuſti autem ſunt benigni & miſericordes, nec afflictis,
Mat.5. delinquentibus & egenis viſcera miſericordiæ claudunt, idcirco digni ſunt vt à domino
Ephe.4. miſericordiam conſequantur. Et ad hæc officia nos cohortatur Paulus dicens, Eſtote inuicem benigni, miſericordes, donantes inuicem, ſicut & deus in Chriſto donauit vobis. Septuaginta interpretes legunt, υἱῷ δολίῳ οὐδὲν ἔσται ἀγαθόν, οἰκέτῃ δὲ σοφῷ εὔοδοι ἔσονται πράξεις, καὶ κατευθυνθήσεται ἡ ὁδὸς αὐτοῦ. id eſt, filio doloſo nullum erit bonum, famulo autem ſapienti proſperæ erunt operationes, & dirigetur via eius. Lex ſapiẽtis, fons vitæ,

vt

vt declinet à ruina mortis.) Lex diuina à ſummo ſapiente condita, vel illa quã ſapiens obſeruat, ex eo fons vitæ cenſetur, quia ab ea bene viuendi rationem haurimus. Siquidẽ in illa ſunt bonorum omnium ſeminaria, & ab ea virtutũ gurgites largiſsimè profluũt. Et qui hanc legem diligenter obſeruant, declinant à ruina gehennæ, & perditionis barathrum deuitant. De hoc puriſsimo fonte dicit pſalmographus, Quoniam apud te eſt fons vitæ. Et Eccleſiaſticus, Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Et ſaluator noſter fons donorum omnium copioſiſsimus, dicit in Apocalypſi Ioannis, Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Doctrina bona dabit gratiam, in itinere contemptorũ vorago.) Sana doctrina (quam ſtudioſiſsimi quique amplecti debent) largitur & docenti & audienti gratiam. Siquidem refecti cibo bonæ doctrinæ, docentem mirum in modũ laudant & extollunt, & exhilareſcit doctor optimus ſi nouerit ſuum laborem auditoribus eſſe gratiſsimum. Et præſertim doctrina diuinitus inſpirata dat gratiam, quæ vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Sed qui ſemitam ſalutaris doctrinæ contemnit, ruit de peccato in peccatum vſque ad profundum, & tandem ad inferorum voraginem præcipitatur. Aſtutus omnia agit cum conſilio: qui autem fatuus eſt, aperiet ſtultitiam.) Ille cẽſetur aſtutus bono aſtu, qui nouit euadere pericula, nec quicquam præcipitanter agit. Fatuus autem & imprudens à ſuis paſsionibus impulſus, temere & tumultuarie negocia ſua agit: idcirco ſuã omnibus ſtultitiam prodit. De verſatili ingenio fatui dicit Eccleſiaſticus: Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius. Nuncius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, ſanitas.) Qui obit munus fraudulentæ legationis, corruet in malum: & nuncius ab impio miſſus, cuius vitio conſentit, præcipitium faciet, & in malum culpæ & penæ decidet. Qui verò iuſtam agit legationem, & à fideli domino pro rebus honeſtis ad id muneris obeundum mittitur, pacem & concordiam inter homines procurabit. Et ſicut ſanitas efficit vt humores corporis non ſeſe oppugnent, ſed temperati ſint & quieti: ita fidelis legatus ſua legatione faciet vt homines neceſsitudinem amoris inter ſe retineant: aut ſi ab inuicem diſſenſerint, concordes fiant. Egeſtas & ignominia ei qui deſerit diſciplinam: qui autem acquieſcit arguẽti, glorificabitur.) Meretur inopiam & ignominiam incurrere, qui correctionem abiicit. qui verò manum ferulæ ſubmittit, & prompta voluntate acquieſcit arguenti, honorem & gloriam conſequetur. Nam fraterna illa correctio quã lubenter amplexatur, ſuis medetur vitiis, eumq; plurimum iuuat vt malam viuendi conſuetudinem deſerat, & purgatis animi morbis ſe totum virtuti addicat.

Pſal 35.
Eccleſ.1.
Apoca.21.
2.Timo.3.
Eccleſ.33.

¶ *Deſiderium ſi compleatur, delectat animam: deteſtantur ſtulti eos qui fugiunt mala. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum efficietur ſimilis. Peccatores perſequitur malum, & iuſtis retribuentur bona. Bonus relinquet heredes, filios & nepotes, & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris. Multi cibi in noualibus patrum & aliis congregantur abſque iudicio. Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit. Iuſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis.)*

Quoniam deſideramus quæ nondum aſſequuti ſumus, præſentibus autem oblectamur, deſideriũ vbi ad effectum peruenit, delectat animam. Sed ſtulti qui carnalibus ſolùm deſideriis gaudent, illos deteſtantur & rident, qui cæleſtium amore capti, pereuntia carnis oblectamenta contemnunt, quandoquidem his terrenis & blandis voluptatibus deliniti duntaxat quæ ſenſilia ſunt ſectantur. Idcirco exiſtimant illos qui à malis declinant, fugere quæ verè bona ſunt. Beatus Petrus huiuſmodi perditiſsimorum hominum meminit in ſuis epiſtolis, dicens, Sufficit præteritũ tempus ad voluntatẽ gentium conſummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, ebrietatibus, & illicitis idolorum cultibus: in quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes, qui reddent rationem ei qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit: amicus ſtultorum efficietur ſimilis.) Is cum ſapientibus graditur, qui honeſta ſapientum officia, mores, vitæ inſtituta ac exempla ſectatur: & talis dignus eſt vt inter ſapientes annumeretur. Qui verò hiſtrionum ac mimorum geſticulationes ac vana quæque amat, & ſtultos propter ludicra & inanes ludos diligit, ſtultorum nota inuritur,

1.Pet. 4.

& peruerſis conſentiendo peruerſus redditur. Etenim præclarè dictum eſt à Pſalmographo, Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris: & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Peccatores perſequitur malum, & iuſtis retribuentur bona.) Malos comitatur afflictio, & conſcientiæ remorſus peccatores non deſerit: nec qui improbe viuunt, vltionis pœnam effugient. Nullum ſiquidem eſt ſcelus quod remaneat impunitum. Et quis ignorat voluptatis comites eſſe dolorem & triſtitiam? & Deam amoris ſui amantiſsimis loco præmij Neapolitanum morbum, exulcerationes corporis, & membrorum diſſolutionem relinquere? Denique eam eſſe peccati vim, vt & corpus & animam contaminet, noſque affectibus obtenebratos ad miſerorũ carceres detrudat? O deploranda male viuentium calamitas. Prò dolor, cum ſæuiſsima vitiorum lues tanta nobis venena propinet, & ob improbam viuendi conſuetudinem atrociſsima ſufferamus tormenta, cur non peccatum odio inſectamur? cur denique aduerſus vitiorũ aciẽ non confligimus? cur ſcuto fidei, galea ſalutis, & lorica iuſtitiæ cõtra dæmonum poteſtates non armamur? An vſque adeo molles & euirati ſumus, vt carni & diabolo obſiſtere non poſsimus? Non enim deus, niſi reclamemus, nos deſerit, ſed ſemper paratus eſt ſuum nobis præſtare auxilium, vt & peccata & peccatorum pœnas vitemus: & ea erga nos benignitate vtitur, vt longè maius nobis repẽdat præmiũ, quàm meruerimus. Bonus relinquet hęredes, filios & nepotes, & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris.) Ex ſacris bibliis perſpicuum euadit, Ioſeph virum caſtiſsimum & iuſtiſsimum vidiſſe Effraim filios vſque ad tertiam generationem. Si tropologiam ſpectaueris, dices Chriſtum bonorum omnium & virtutum exemplar, poſt ſuam paſsionem reliquiſſe hæredes ſuæ doctrinæ, Apoſtolos, qui ad chriſtianam fidem multos cõuerterunt, in quorum perditione & infidelitate hoſtis callidiſsimus ſuam ſubſtantiam ſuaſque opes collocauerat. Etiam plerũque ſubſtantia peccatoris & ampliſsimum patrimonium diuina permiſsione iuſtis exhibetur. Siquidem bona Nabal viri impij & inhumaniſsimi reſeruata ſunt ipſi Dauid accipienti in vxorem Abigail. Subſtãtia etiam populi Iſraelitici diuinas leges tranſgredientis, cuſtodita eſt iis qui ſimplicitate mentis & puro corde euangelicam philoſophiam ſectati ſunt. Vnde dicit Chriſtus, Auferetur à vobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Multi cibi in noualibus patrum, & aliis congregantur abſque iudicio.) Nouale, ager eſt nunc primum proſciſſus, ſiue nouiter cultus. Vult igitur Salomon innuere (ſi ad literam reſpexerimus) patres antiquos ſuis indefeſsis laboribus terras prius incultas, & vepribus ac ſpinetis obſitas, coluiſſe, quarũ cultura & fertiliſsimo fructu ditati ſunt, ſuiſque poſteris abſque labore diuitias pepererũt. Qui denique ſuis ſtudiis & vigiliis non pepercerunt, vt rẽpublicam literariam iuuarent, fecerunt vt ſtudioſiſsimi nullo vel minimo labore literas diſcerent. Qui parcit virgæ, odit filium ſuum: qui autem diligit illum, inſtanter erudit.) Qui moderatam correctionem à ſuis liberis & ſubditis ſubtrahit, magis videtur eos odire quàm diligere: quãdo quidẽ nullum eſt amoris argumentum neque indicium, ſi fratrem in foueam collapſum non iuuerimus, neque vt ab ea explicetur, adiutricem manum porrexerimus. Præclaram huiuſce rei habemus hiſtoriam de ipſo Heli, cui dominus vehementer ſuccenſuit, quòd cum nouiſſet ſuos filios indignè agere, & dormire cũ mulieribus, non eos vt decebat corripuit. Sed qui ſuos filios monitis, exemplis & interdum flagellis caſtigat, eos cenſetur prudenter inſtruere. Audi lubenter quidnã de corrigẽdis filiis dicat Eccleſiaſticus: Qui diligit filium ſuum, aſsiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſsimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia. Qui docet filiũ ſuũ, laudabitur in illo, & in medio domeſticorũ in illo gloriabitur. Et paulò pòſt, Equus indomitus euadet durus, & filius remiſſus euadet præceps. Lacta filiũ tuũ, & pauentẽ te faciet. Lude cum eo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne condoleas: & in nouiſsimo obſtupeſcent dentes tui. Non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Plura de hac re ſacri eloquij proferremus teſtimonia, niſi hæc alibi à nobis ſatis eſſent declarata. Iuſtus comedit, & replet animam ſuam: venter autem impiorum inſaturabilis.) Qui amat parſimoniam, & vitæ frugalitatem, minimis cibis contentus eſt, nec quærit lautiores ac delicatiores epulas ſibi

Pſal. 17. | Gene. 50. | 1. Reg. 25. | Mat. 21. | 1. Reg. 2. & 3. | Eccleſi. 30.

admoueri

admoueri. Qui vero addictus eſt ventri & gulæ, nec ſibi admotis epulis contentus eſt,
non ſine magna ſui nominis ignominia cenſetur eſſe inſatiabilis. Idcirco dominus
propter ingluuiem ventris iratus eſt populo Iſraelitico, eumq́ue plaga non modica per- Nume. 11.
cuſsit, quòd carnibus ſatiari non vellet.

ARGVMENTVM DECIMIQVARTI CAP.

Qui à recto uirtutum tramite nuſquam deflectunt, nec tutiſsimam ſapientiæ ſemitam deſerunt, & maximè timent ne diuinam maieſtatem offendant, ab illis deſpiciuntur, qui ſumma cum impudentia & fronte perfricta iuſtitiæ uias effringunt, & infami ac impudico greſſu incedentes, honeſtatis limites tranſiliunt, & in ſuperbiam elati, nec Deum timent, nec Dei furorem ac iracundiam reformidant: ea denique mentis inſania laborant, ut ſi deliquerint, rideant: quos tamen luctus, ſuſpiria, dolores & ſupplicia tandem inuadent, & torquebuntur ac plurimum ægrè ferent quòd iuſtorũ numero non ſunt aſſcripti, qui felicitatem adepti ſunt, quòd miſeriis, ærumnis, & infortuniis pauperum condoluerint, quòd eximiã miſericordiæ uirtutẽ cũ ipſa iuſtitia & ueritate copulauerint, quòd deniq; iniuriarum & aduerſitatum tolerantiſsimi fuerint.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SApiens mulier ædificabit domum ſuam, inſipiens extructam quoque deſtruet manibus. Ambulans recto itinere, & timens Deum, deſpicitur ab eo qui infami graditur uia. In ore ſtulti, uirga ſuperbiæ. Labia ſapientum cuſtodiunt eos. Vbi non ſunt boues, præſepe uacuum eſt. Vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo bouis. Teſtis fidelis non mentietur, profert mendacium doloſus teſtis. Quærit deriſor ſapientiam, & non inueniet: doctrina prudentium facilis. Vade contra uirum ſtultum, & neſciet labia prudentiæ. Sapientia callidi eſt intelligere uiam ſuam, & imprudentia ſtultorum errans.) Mulier ſapientiæ præſidiis adiuta, ſuam domũ extructam ſaluat, & opulen-
tiorem reddit, ſuamq́ue familiam optime inſtruit & gubernat. Et hac virtute excelluit
Abigail mulier ſanè prudentiſsima, quæ ſuauiſsimis verbis & donis fregit animũ Daui- 1. Reg. 25.
dis erga Nabal maximè commotum, & ſuis precationibus obſtitit ne Dauid vleiſcere-
tur gladio iniuriam ſibi à Nabal factam, quòd denegaſſet ei victualia, & reddidiſſet ma-
lum pro bono. Niſi enim illa ſedaſſet iram Dauidis, non reliquiſſet Dauid de omnibus
quæ ad ipſum Nabal pertinebant, vſque mane: mingentem ad parietem, & totam domũ
ipſius Nabal euertiſſet. Mulier autem ſtolidiſsima & imprudẽtiſsima, ſuis manibus, hoc
eſt ſuis malis operibus, ſuam domum ſuamq́ue familiam deſtruit: quod de ipſa Iezabel
pernicioſiſsima compertum eſt, quæ inducens Achab virum ſuum, & prolem ſuam ad 4. Reg 9.
cultum idolorum, prouocauit dominum ad iracundiam; & fuit in cauſa vt tota domus
Achab ab ipſo Iehu rege Iſrael deleretur. Ambulans recto itinere, & timens Deum,
deſpicitur ab eo qui infami graditur via.) Dauid ambulans in ſimplicitate ſui cordis, &
timens dominum offendere, fuit deſpectus & deriſus à Goliath gigante immaniſsimo,
quem tamen ſtrenuiſsimè in certamine vicit, eiuſq́ue caput præcidit: & in illo conflictu 1. Reg. 17.
plane docuit quòd non in gladio nec in haſta ſaluat dominus, cuius ſanè eſt & bellum &
victoria. In ore ſtulti, virga ſuperbiæ. Labia ſapientum cuſtodiunt eos.) Nihil eſt
ſtulto odibilius & fugibilius, qui ſua lingua dicaciſsima ſeipſum in ſuperbiam attollit,
ſuæq́ue linguæ mordacitate & cõtumeliis obuios quoſque ſubſannat: cuius lingua viros
probos & clariſsimos magis ferit quàm acutus gladius, & virga percutiẽtis. Humiles ta-
men ſpiritu, & moribus compoſitiſsimi, ſtultorum conuicia & vaniloquia contemnũt,
& doctrina ſapientiæ ne ab eis fallantur, ſeſe muniunt, & ab omnibus amãtur, quòd ſuis
verbis neminem lædant, nec temere vocem profundunt quæ cuipiam nocere poſsit.

Vbi nõ ſunt boues, præſepe vacuum eſt. vbi autem plurimæ ſegetes, ibi manifeſta fortitudo bouis.) Quoniam bos authore Varrone cæteras pecudes honore ſuperare debet, præſertim autem in Italia, quæ ab hoc nuncupationem traxiſſe creditur, quòd olim tauros Græci ἰταλὺς vocarent, & maximè labori & agriculturæ eſt habilis: idcirco an-

tiquitus homines duntaxat vtebantur bobus in cultura agrorum:& vbi deerant boues, deerat & agri fertilitas, & ſegetum copia. Ediuerſo vbi copioſiſsimus erat boum nu-
Columella merus quibus excoleretur terra,erat & ſegetum abūdantia. Columella lib. VI. de re Ruſtica,capite III. loquens de boum cura & cibariis,dicit,Ad præſepia boues alendi ſunt, quibus pro conditione regionum cibi præbentur : eoſque nemo dubitat quin optimi ſint vicia in faſcem ligata,& cicercula,itemq; pratēſe fœnum. Minus commode tuemur armentum paleis,quæ vbique,& quibuſdam regionibus ſolæ,præſidio ſunt.eæ probantur maximè ex milio,tum ex hordeo,mox etiam ex tritico. ſed iumentis iuſtam operam reddentibus,hordeum præter has prębetur. Spiritalem verò huiuſce loci intelligentiam penſiculando,dicemus his bobus doctores catholicos deſignari : & hoc præſepe,cœtum eſſe auditorum:ſegetes vero dici fructus bonorum operum. Et ſenſus eſt,vbi deſunt doctores peritiſsimi,& optimi concionatores, quorum induſtria labore & ſtudiis vinea domini excolitur,frigeſcit auditorium,& fruſtra turba plebeiorum & vulgus imperitiſſimum confluit & concurſitat ad audiendum balbutiētiſsimum & imperitiſsimum prædicatorem. Cum verò magna eſt Chriſtianorum copia,& honeſtæ vitæ officia exercentur,vtiliſsimus pr̨edicatorum labor,& ſapientum doctrina inclareſcit. Et ad hos boues, laboris æſtus & frigoris patientiſsimos,quibus pro opera cibus debetur, alludit Paulus
1.Cor.9. ad Corinthios,proferens quod in lege Moſaica ſcriptum eſt,Non alligabis os boui tri-
Deute 25. turanti. Teſtis fidelis non mentietur,profert mēdacium doloſus teſtis.) Fideliſsimus teſtis longe pluris faciens fauorem dei quàm hominum ,nec precibus nec precio nec vllis muneribus allici poteſt vt mentiatur,& falſum proferat teſtimonium. Aſtutus autē & doloſus teſtis ,à quo magis quàm à vipera præcauēdum eſt, non veretur ſua mendaciſsima lingua reipublicæ ſtatum labefactare,& fraudulento teſtimonio ſuum proximū decipere. Hæc alibi declarata ſunt. Quærit deriſor ſapiētiam,& non inueniet: doctrina prudentium facilis.) Qui præclaras antiquorum ſententias audire contemnit, nec maiorum ſcripta recipit , ſed magis ſuo quàm aliorum ingenio confidit, quantumuis laboret vt perueſtiget ſapientiam,non tamen inueniet,quia ſui pręſumptio & ſuperbia eum occæcat. Et talis eſt deriſor,de quo hic Salomon loquitur. Prudentes verò quæ ab antiquioribus didicerunt , & melius nouerunt , in communem ſtudioſorum vtilitatem proferunt,& magna cum facilitate ſuos auditores docent , & ſeſe captui ſuorum attemperant,quorum ingenia nec multitudine authorum nec obſcuritate ſententiarum obruunt. Vade contra virum ſtultum,& neſciet labia prudentiæ.) Nihil tibi prodeſt feſtinare vt arguas ſtultum,cum nec paratus ſit nec velit tuis monitionibus obſequi,nec exi-
Eccle.c.10 ſtimet te prudenter loquutum. De illo loquitur Eccleſiaſtes dicens, Cum ipſe inſipiēs ſit, omnes ſtultos æſtimat. Sapientia callidi eſt intelligere viam ſuam,& imprudentia ſtultorum errans.) Is cenſetur callidus hoc in loco,qui perſpicaci ingenio præuidet quæ ſibi ſunt profutura vel obfutura:& quia nouit quidnam debeat fugere,idcirco pericula ab aliis ſibi præparata facilius declinabit. Stulti vero & imprudentiſsimi quia non præſentiunt neque præuident quid fugiendum ſit,& à quibus præcauere debeant,facile cadunt in laqueos.

¶ *Stultus illudit peccatum,& inter iuſtos morabitur gratia. Cor quod nouit amaritudinē animæ ſuæ,in gaudio eius non miſcebitur extraneus. Domus impiorum delebitur,tabernacula iuſtorum germinabunt. Eſt uia quæ uidetur homini iuſta, nouiſsima autem eius deducunt ad mortem. Riſus dolore miſcebitur,& extrema gaudii,luctus occupat. Viis ſuis replebitur ſtultus,& ſuper eum erit uir bonus. Innocens credit omni uerbo,aſtutus conſiderat greſſus ſuos.)*

Stultus eò amentiæ proſilit, vt cum dei leges tranſgreſſus eſt,non erubeſcat,nec vllo dolore afficiatur,& ita aſſuetus eſt peccare,vt peccatum exiſtimet eſſe ludum : & pro nihilo reputat deum offendere , & lętatur cum male fecerit,& exultat in rebus peſsimis. De
Eſa.30. huiuſmodi perditiſsimis hominibus in Eſaia ſcriptum eſt,Populus enim ad iracūdiam prouocans eſt,& filij mendaces,filij nolentes audire legem dei:qui dicūt videntibus,Nolite videre:& aſpiciētibus,Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia,videte nobis errores,auferte à me viam,declinate à me ſemitam,ceſſet à facie no

ſtra

ſtra ſanctus Iſrael. Propter hæc dicit ſanctus Iſrael, Pro eo quòd reprobaſtis verbum
hoc,& ſperaſtis in calumniam & in tumultum,& innixi eſtis ſuper eo,propterea erit vo-
bis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens,& requiſita in muro excelſo:quoniam ſubito
dum non ſperatur, veniet contritio eius,& comminuetur ſicut conteritur lagena figuli
contritione perualida,& non inuenietur de fragmentis eius teſta in qua portetur igni-
culus de incendio,aut hauriatur parum aquæ de fouea.Hæc Eſaias.Iuſti autem quia ſtu-
dent diligenter euitare peccata,ſuam gratiam illuſtriorem & vberiorem reddent. Cor
quod nouit amaritudinem animæ ſuæ,in gaudio eius non miſcebitur extraneus.)Ama-
ricatur illius anima,& mœrore contabeſcit,qui ſuis delictis diuinam maieſtatem offen-
dit,& cum graui triſtitia & compunctione cordis profundit lachrymas, & vili ſacco &
cilicio indutus pœnitentiam agit,deiq́ue miſericordiam implorat,vt ſibi condonet ve
niam:& quum primum eã obtinuit, & aſsidius precibus extorſit, maxime gaudet:cuius
perenni gaudio non miſcebitur extraneus,id eſt,is qui detrectauit & neglexit reſipiſcẽ-
tiam agere.Bono & pœnitenti latroni dixit Chriſtus,Amen dico tibi,hodie meum eris Lucæ.23.
in paradiſo.à quo alter impœniteus,& qui blaſphemabat,fuit excluſus. De amaritudine Iob.13.
adnexa peccato,dicit Iob,Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis pecca-
tis adoleſcentiæ meæ.Et Ezechias cum ęgrotaſſet,& conualuiſſet de infirmitate ſua, di- Eſa.38.
cebat,Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ezechiel quoq; Ezec.27.
loquens de fletu & ruina Tyri, dicit,Et plorabunt te in amaritudine animæ ploratu a-
mariſsimo. Domus impiorum delebitur,tabernacula iuſtorum germinabunt.) Do-
mus Hieroboam euerſa eſt & deleta de ſuperficie terræ, quia non eſt reuerſus Hiero- 3.Reg.13.
boam de via ſua peſsima.Diruit etiam dominus domum Baaſa regis Iſrael,eò quòd am- 3.Reg.16. Ibidem
bulaſſet in via Hieroboam,& fecerat peccare populum Iſrael. Cecidit & domus Zambri 4.Reg.9.
quòd ſequutus fuiſſet rex Zambri vias peſsimas ipſius Hieroboam. Corruit & domus
Achab propter eadem nephanda ſcelera. Amplius,Nabuchodonoſor rex Babylonis de- 4.Reg.25.
leuit domum Sedechiæ regis Hieruſalem,qui dominum grauiter offenderat. Iuſti autẽ
floridiſsimũ virtutũ florẽ producent,& diuinis legibus obſequentes,germinabunt,ac ad
fructũ vſq; ſuauiſsimũ cœleſtis patrię pertingent. Vnde dicit Dauid,Iuſtus vt palma flo- Pſal.91.
rebit,ſicut cedrus Libani multiplicabitur.Plãtati in domo domini, in atriis domus dei
noſtri florebunt.Et de fertiliſsima iuſtorum radice dicit Oſee propheta,Iſrael germina- Oſeæ.14.
bit ſicut lilium,& erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius,& erit quaſi oliua gloria
eius,& odor eius vt Libani. Eſt via quæ videtur homini iuſta,nouiſsima autem eius de-
ducunt ad mortẽ.) Quoniam multa ſunt vitia quę quãdam virtutũ ſpeciem & colorem
præ ſe ferunt,idcirco via peccatorũ videtur delinquẽti iuſta,qui ſuorũ affectuũ & nõ ra-
tionis iudiciũ ſequitur:nouiſsima tamẽ ei⁹ & demerita ad perpetuã mortẽ deducẽt.Nec
ab hoc loco diuerſum eſt quod ſcribit Paulus ad Timotheum, Habentes ſpeciẽ quidem 2.Timot.3.
pietatis,virtutem autem eius abnegantes.Audax etiam,qui ne lato quidem vngue exiſti-
mat ſe à medio virtutis diſcedere,fortem,timidum vocat:timidus autem,audacẽ appel-
lat,vt ſcribit Philoſophus.II.Ethicorũ cap. VIII.tametſi lõgè ſec⁹ cõtingat.Et IIII.Ethi- Philoſophus.
corũ capite VII.diſſerens de mediocritate arrogãtiæ,dicit,Qualis eſt vnuſquiſque, talia
tã dicit quàm agit,& ita viuit. Riſus dolore miſcebitur,& extrema gaudij luctus occu-
pat.) Qui more Sardonio profuſius diſſolutiuſq; rident,plerũq; poſt riſum dolore tor-
quẽtur & lugẽt.Loquẽs Chriſtus in Euangelio Lucæ de illis qui pręſentis vitæ oblecta-
mẽta in honoribus,deliciis & impudicis cantibus collocarunt,dicit, Væ vobis qui ride- Lucæ.6.
tis nunc, quia lugebitis & flebitis. Et certe vlulatus, vociferatio, & ingens lu-
ctus in inferorũ ſedibus extrema gaudij occupabit.His cohærẽt quæ dicit Iob de illis qui Iob.21.
miniis luſibus exultãt: Tenẽt tympanũ & citharã,& gaudẽt ad ſonitũ organi.Ducunt in
bonis dies ſuos,& in puncto ad inferna deſcendunt.Et alibi, Verſa eſt in luctum cithara Iob.30.
mea,& organum meum in vocẽ flentium. Viis ſuis replebitur ſtultus,& ſuper eum erit
vir bonus.)Demeritis retribuentur ſupplicia,& qui occalluerunt vitiis,affligẽtur. Siqui-
dẽ dicit dominus per Ezechielem,Immittã furorẽ meum in te,& iudicabo te iuxta vias Ezech.7.
tuas,& ponã contra te oẽs abominationes tuas,& nõ parcet ocul⁹ meus ſuper te,& nõ mi
ſerebor,ſed vias tuas ponã ſuper te,& abominationes tuæ in medio tui erũt.Itẽ, Secũdũ

& calcabitis impios,cum fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum.Et alibi,Egredientur & videbunt cadauera virorum qui præuaricati ſunt in me. Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur,& erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.Et quòd videant tormenta malorum,cedet in eorum gloriam,& miſerorum confuſionem.Denique gaudebunt quòd de ſuis inimicis patientia & tolerantia ſubiugatis coronam reportent. Denique nihil ipſis erit iucundius, quàm meminiſſe ſe tot tantaque ſupplicia pro nomine Chriſti æquo animo pertuliſſe. Etiã proximo ſuo pauper odioſus erit:amici vero diuiti,multi) Sunt quidam vſque adeo in ſuperbiam elati,crudeles & impij,vt dedignentur aſpicere pauperes,quos prorſus aſpernãtur, & perſequuntur odio. Et de hac quorundam hominũ erga pauperes inhumanitate loquitur beatus Iacobus, dicens,Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulũ habens in veſte candida,introierit autem & pauper in ſordido habitu,& intendatis in eum qui indutus eſt veſte pręclara,& dixeritis ei,Tu ſede hic bene:pauperi autem dicatis,Tu ſta illic,aut ſede ſub ſcabello pedum meorum:nonne iudicatis apud voſmetipſos,& facti eſtis iudices cogitationum iniquarum?Audite fratres mei dilectiſsimi , Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo,diuites in fide,& hæredes regni quod repromiſit deus diligentibus ſe?Vos autem exhonoraſtis pauperem.Nonne diuites per potentiam opprimunt vos,& ipſi trahunt vos ad iudicia?Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen quod inuocatum eſt ſuper vos? Huic ſubſcribit ſententiæ illud Ioannis:Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi,& viderit fratrem ſuum neceſsitatem habere,& clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Amici diuiti,multi.) Quis nõ aſſurgit & applaudit diuiti?quis aceruis auri & argẽti oneratos tanquam terrena numina non ſuſpicit & colit? Pauperes & pannoſiſsimi quique, qui vix ſuam carnem nudam linteolo obtegere poſſunt, honorant diuites,eoſque omnium fœlicifsimos eſſe cenſent. Sed qui comitatum diuitum ſectantur venaturi prædam,non impendunt opulentis honorem propter ſe, ſed propter diuitias,à quibus ſperant ſe nonnihil commodi conſequuturos.Et quoniam pecuniæ obediunt omnia,diuites multorum amicitiam ſibi comparant. Qui deſpicit proximum ſuum,peccat:qui autem miſeretur pauperi,beatus erit.) Hæc ſanè non obſcurum erit ex euangelio Lucæ comprobare,in quo ſcriptum eſt,Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hiericho,& incidit in latrones,qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto. Accidit autem vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via,& viſo illo præteriuit.Similiter & Leuita,cum eſſet ſecus locum, & videret eum,pertranſiit.Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum,& videns eum,miſericordia motus eſt:& appropians,alligauit vulnera eius,infundẽs oleũ & vinum:& imponens illum in iumentum ſuum,duxit in ſtabulum, & curam eius egit.Et altera die protulit duos denarios,& dedit ſtabulario, & ait, Curam illius habe:& quodcunque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones?At ille dixit,Qui fecit miſericordiam in illum.Et ait illi Ieſus, Vade,& tu fac ſimiliter.Hæc contextus.Saluator noſter hæc verba dirigit ad quendam legiſperitum,qui cum vellet ſe iuſtificare quòd præcepta de dilectione dei & proximi obſeruaſſet,dixit ad Ieſum,Et quis eſt meus proximus?Hunc pręclare docuit præceptor optimus Samaritanum fuiſſe proximum illi qui inciderat in latrones, non autem Sacerdotem nec Leuitam,qui neglexerunt ſuam opem præſtare illi viro multis plagis vulnerato,& deſpicientes ſuum proximum,grauiter peccabant.Samaritanus autem qui condoluit illi pauperi,& ſedulam eius curam egit,dignus inuentus eſt qui in beatorum numerum cooptaretur.Siquidem Chriſtus concionando dicebat,Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Et in die vltionis dicet illis qui pietatis officia egenis non præſtiterunt, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui,& non dediſtis mihi potum:hoſpes eram,& non collegiſtis me: nudus, & non operuiſtis me: infirmus,& in carcere,& non viſitaſtis me. His euangelicis verbis conſentaneum eſt quod aliubi dicit Salomon, Qui pronus eſt ad

Marginal notes: Eſ.66. — Iaco 2. — 1.Ioan.3. — Eccleſ.10 — Luc.10. — Mat.5. — Mat.25.

miſericordiam, benedicetur: de panibus enim ſuis dedit pauperi. Victoriam & honorē acquiret qui dat munera. Qui credit in domino, miſericordiam diligit: errant qui operantur malum.) Sunt tamen qui credunt, & fidem Chriſti amplexati ſunt, qui tamen non diligunt opere miſericordiam, nec Dei iuſsis obſequuntur, quandoquidē dicit Chriſtus, Non omnis qui dicit mihi, Domine, domine, intrabit in regnum cęlorum: ſed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.

Matt.7.

Gala.5. Sed loquitur Salomon de iis qui credunt in domino ea fide quæ per charitatem operatur. Siquidem huic perfectiſsimæ fidei coniuncta eſt pietas: idcirco diligunt vera dilectione miſericordiam charitati adnexam. Illi autem tota via aberrant, & à rectitudine æquitatis diuertunt, qui malum culpæ & nephandiſsima ſcelera perpetrant. Miſericordia & veritas præparant bona.) Qui ſuis operibus miſericordiam & veritatem copulat, ad omnia virtutum officia paratiſsimus eſt: nec ita delinquentibus condonat veniam, vt omnino velit ab eis correctionem dimoueri, alioqui non obſeruaret neque retineret veritatem iuſtitiæ: nec tam ſeuerè & ridigè in ſceleratos animaduertendum eſſe cenſet, vt nihil eis condonet, alioqui non eſſet clemens & miſericors: ſed rigorem

Pſal.84. iuſtitiæ dulcore miſericordiæ temperat. Hinc dicit pſalmographus, Miſericordia & ve-

Auguſti. ritas obuiauerunt ſibi. Quem locum ediſſerens Auguſtinus, dicit: Veritas in terra noſtra, ex perſona Iudæorum: miſericordia, in terra gentium. Veritas enim vbi? Vbi erant eloquia Dei. Miſericordia vbi? In illis qui dimiſerant Deum ſuum, & conuerterant ſe ad dæmonia. Nunquid & ipſos deſpexit? Quomodo ſi diceret, Voca & iſtos longe fugitiuos, qui multum à me receſſerunt: voca, inuenient me quærentem ſe, quia ipſi nolebant quærere me. Ergo miſericordia & veritas occurrerunt ſibi. Quidam enarrans illam Salomonis ſententiam, ſumit veritatem pro iuſtitia, quia miſericordia ſine iuſtitia puſillanimitas eſt: iuſtitia vero ſine miſericordia, crudelitas. Et licet vera ſint hæc, tamen in Græca phraſi non eſt δικαιοσύνη, id eſt iuſtitia, ſed ἀλήθεια, id eſt veritas. Et antiqua editio habet, Miſericordiam & veritatem operantur boni. In omni opere bono erit abundantia: vbi autem verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.) Affluunt bonis, & potiſsimum ſpiritalibus, qui bene beateque viuunt: & opera noſtra ſi ex charitate fiant, & toto animi conatu, merentur augmentum gratiæ. Hinc illud Chriſti ver-

Matt.13. bum, Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod ha-

&.25. bet, auferetur ab eo. Vbi autem eſt battologia ſiue loquaciſsima nugacitas, ibi plerunque eſt inopia ſapientiæ. Neque nos latet illos nonnunquam in extremam paupertatem incidere, qui detractrice lingua & verbis lapſantibus in viros probos irruerunt, eorumque famam mendaciis contumeliis & probris dilacerarunt. Corona ſapientium, diuitiæ eorum: fatuitas ſtultorum, imprudentia.) Sapientiſsimi & generoſiſsimi Chriſti athletæ immarceſcibili corona pro legitimo certamine in cælis inſignientur, quorum vere ſyncerę & mundæ diuitiæ ſunt virtutes auro & argento precioſiores. De huiuſmodi corona loquitur Paulus ad Timotheum dicens,

2.Timot.4 Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iuſtus iudex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt aduentum eius. Stulti autem qui maxima ſtoliditate & imprudentia laborant, nec à ruina peccatorum ſibi præcauent, his excellentiſsimis præmiis priuabuntur, & dolebunt quòd in nobiliſsimo bonorum certamine non ſudarint vt ad victricem palmam & inſignes illas coronas aſpirarent.

¶ *Liberat animas teſtis fidelis, & profert mendacia verſipellis. In timore domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes. Timor domini, fons vitæ, ut declinet à ruina mortis. In multitudine populi, dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia principis. Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia: qui autem impatiens, exaltat ſtultitiam ſuam. Vita carnium, ſanitas cordis: putredo oſsiū, inuidia. Qui calūniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat autem eum qui miſeretur pauperis. In malitia ſua expelletur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua. In corde prudentis requieſcit ſapientia, & indoctos quoſq; erudiet. Iuſtitia eleuat gentem, miſeros facit populos peccatum. Acceptus eſt regi miniſter intelligens: iracundiam eius inutilis ſuſtinebit.)*

Danie.13. Fideliſsimus teſtis in foro iudiciario eruit innocentes à morte. Daniel fidele dans

teſtimoniū

teſtimonium veritati, eripuit Suſannam morti adiudicatam. Et fertur de diuo Nicolao quòd liberauit tres pueros, deinde tres principes morti addictos. Angelus etiam domino iubente eripuit Petrum in carceres coniectum de manu Herodis. Qui etiam patrocinatur iuſtiſsimę cauſæ innocentis, & coram iudice verum pro eo fert teſtimonium, liberat innocentem à multis curis, faſtidiis & moleſtiis. At contrà verſipellis & fraudulentus proferendo aduerſus inſontem mendacia & falſum teſtimonium, eum non ſolũ multis anguſtiis & doloribus torquet, ſed plerunque adigit morti. Verſipellis ſecundum rationem & conditionem fortunæ ſuam variat ſententiam. Siquidem blanditur homini quandiu fortuna ei arridet, eiuſque partes tuetur. Si verò fortuna ei ſiniſtra fuerit, & nouerca, mutat ſententiam, & alteri applaudit. Loco huius ſententiæ, Profert mendacia verſipellis, ſecundum Septuaginta interpretes legimus, ἐκκαίει ψευδῆ δόλιος, Id eſt, accendit mendacem doloſus. Itaque doloſus incendit mendacio animas eorũ quos ſuo errore decepit. In timore domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit ſpes.) Caſtus dei timor, &, vt fertur, filialis, nobis ſuppeditat arma fortitudinis, vt cum fiducia certemus aduerſus carnem, mundum, & diabolum: & iis qui hoc timore à puero educati ſunt, erit ſpes ſiue certa expectatio futuræ beatitudinis. Et quanuis multis tribulationibus vexemur, & vndique aduerſitatum procellæ nos concutiant, tamen non debemus frangi animo, nec à fiducia Chriſti dimoueri, ſed ei ſubmittere vires noſtras, quas (ſi modò conſtantes perſeuerauerimus) aduerſus luctam diaboli & carnis roborabit & ſtabiliet. Timor domini, fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.) Non minus honeſtæ vitæ functiones, & virtutum omnium officia à ſancto domini timore ſcaturiunt, quàm è fonte riui, cuius præſidio ruinam mortis vitamus, & vitam acquirimus æternam. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Qui timet dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipſe eſt ſpes eius. Timentis dominum, beata eſt anima eius) De bonis quæ à timore domini proficiſcuntur, alibi loquuti ſumus. In multitudine populi, dignitas regis: & in paucitate plebis, ignominia principis.) Ad illuſtriſsimi regis dignitatem ac gloriam ſpectat multos habere ſubditos, & potiſsimum cum optimis moribus ſunt inſtituti, & prompta voluntate ſuo principi morem gerunt, tranquillam inter ſe vitam agunt, & parati ſunt, ſi tempus poſtulet, pro defenſione ſui ducis periclitari. Et quo rex nobilior eſt & generoſior, eo magis gaudet frequentia populi. Dauid numeroſiſsimum habuit populum ſuæ ditioni ſubiectum: quia tamen timore repentinæ elationis inflatus iuſsit populũ numerari, grauiter deliquit. Ediuerſo ignominioſum eſt principi, eúmque pudet paucißimos habere ſubditos, & maximè torquetur cum tantillus ſubiectorum numerus cui imperat, ſqualet vitiis, & improbè viuit. Vti enim probitas miniſtrorum cedit in decus & gloriam domini, ita improbitas in dedecus. Qui patiens eſt, multa gubernatur ſapientia: qui autem impatiens, exaltat ſtultitiam ſuam.) Ille multa regitur ſapientia, qui propter æternam beatorum fœlicitatem ad quam anhelat, varios fortunæ caſus, ingentes calamitatum procellas, & aduerſa quæque æquo animo tolerat: quem neque tribulationum magnitudo, neque ſuppliciorum & tormentorum acerbitas conuellere vnquam potuit aut deiicere. Et licet fame conteratur, aut ſitis rabie laceretur, & duriſsimo barbarorum ac tyrannorum iugo prematur, nunquam tamen preſſuris ſuccumbit neque frangitur: quod de ipſo Iob omnium ſanè patientiſsimo memoriæ proditum eſt, qui perditis rebus, perditis filiis, & percuſſus graui vulnere à capite ad pedes vſque, conſtantiam & inuictam animi magnitudinem ſeruauit. Denique ſedens in ſtercore, putreſcens vlcere, ſanie fluens, vermibus ſcaturiens, & acerbiſsimis dolorum tormentis diſcruciatus, de tolerantiæ gradu minimè deiici potuit: qui poſt diſcrimina rerum, & varia tentationum luctamina, victoriam, victricemque coronam conſequutus eſt, & mirum in modum domino placuit. Et quis ignorat Chriſtum rariſsimum patientiæ exemplar, nobis reliquiſſe exemplum tolerantiæ, vt ſequeremur eius veſtigia? qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: qui dixit ſuis diſcipulis, vt eos in tribulationibus conſolaretur, In patientia veſtra poſsidebitis animas veſtras. Et quid emolumenti nobis patientia adferat, oſtendit Paulus dicens, Tribulatio patientiam

Acto.12. — Eccleſi.34. — 2.Reg.24. — 1.Pet. 2. — Luca.21.

operatur,patientia probationem,probatio vero ſpem,ſpes autem non confundit,quia
Roma.5. charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctũ qui datus eſt nobis. Nec
Iaco.1. illud Iacobi huic ſententiæ reclamat, Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis,ſcientes quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habeat,vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficiẽtes.Qui verò iniuriarum & aduerſitatũ intolerantiſsimus eſt,& ſequitur impetum iræ, ſuam omnibus ſtultitiam manifeſtat. Vita carnium,ſanitas cordis:putredo oſsium,inuidia.) Sanitas cordis,à quo proficiſcuntur ſenſus & motus,& vitales functiones,ſita eſt in moderata & temperata animalis vita,oſſa autem & ſolidiora corporis membra tabe putreſcunt.Poteſt & tropologiam ſectando,voluntas ipſo corde deſignari, cuius ſanitas eſt virtutum integritas:& virtutes oſsibus expreſſæ,inuidia (qua nihil eſt peſtilentius) corrumpuntur.Inuidus de proſperitate ſui proximi triſtatur,& opimis aliorum rebus marceſcit,& ſuo edaci liuore corroſus intabeſcit:cuius color pallore afficitur, oculi deprimuntur,mens infœlix accenditur,membra frigeſcunt & obtorpeſcunt. Cicero lib.III. Tuſculanarum quæſtionum,effugiens ambiguum nomen inuidiæ,teſtatur ab inuidendo inuidentiam rectè dici poſſe,quod verbum ductum eſt à nimis intuendo fortunam alterius.Et paulò pòſt dicit:Quemadmodum miſericordia ægritudo eſt ex alterius re-
Chryſoſt. bus aduerſis,ſic inuidentia ægritudo eſt ex alterius rebus ſecũdis. Beatus Chryſoſtomus
Matt.12. ediſſerens illum Matthæi locũ, Iſte non eiicit dæmones niſi in Beelzebub principe dæmoniorum:affabre depingit ſuis coloribus inuidiam & inuidum.Inuidia (inquit) nulla vnquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis ſaltẽ iniquæ fructum,vt putant,aliquem capiunt,& breui tempore peccatum committũt. Inuidi autem & multo antẽ ſeipſos,quàm quibus inuident, perturbant & cruciant,& ita in agendo ſemper inuidendoque ſunt,vt nunquam peccandi afferant finem. Sed quemadmodum ſues lutoſa immunditia,& dæmones noſtris damnis lætantur,ſic inuidi calamitate proximorum exultant.Cumque aliquid triſte ac doloris efficiens proximo acciderit,tunc aliquantulum acquieſcit atque reſpirat.alienas enim iacturas ſuos quæſtus exiſtimat, & aliorum fœlicitatem miſeriam ſuam arbitratur, nec magis conſiderat quid ipſe ſuaue conſequatur,quàm quid proximo calamitoſum inferatur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi?Nonne omni cruciatu torquendi ſunt? Non aliter profectò quàm rabie concitati,caneſque pernicioſi,dæmoneſque atrocis furiæ. Nam quemadmodum ſcarabæi alieno ſtercore, ſic inuidi aduerſa aliorũ fortuna nutriuntur, cũ ſint cõmunes humano generi hoſtes atque inimici.Et alij quidem homines ſi animantes rationis expertes crudeliter cædi ac dilaniari viderint,aliquantulum commiſerantur:tu verò cum ſalutis beneficium conferri homini cernas, expalles & tremis, & in ferocitatem cædendi benefactoris conſpiras.Et quid hac inſania furioſius vnquam reperietur? His profectò de cauſis fornicatores ac publicani ad cælos conſcendere potuerunt:obſcœno autẽ vitio laborantes,à regno cęlorum exciderunt,Filij autem,inquit,regni eiicientur foras. Præterea omni prauitate illi ex animis expulſa,ea quæ nunquam ſperarunt,facile nacti ſunt.Phariſæi autem vel ea quæ retinebant bona penitus amiſerunt. neque id iniuria. Nam inuidia peſtiferum malum,hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immaniſsimum conuertit. Inuidia prima hominis cædes apparuit. Inuidia, fraterna
Geneſ.4. charitas contempta eſt.Inuidia ſanguine hominis terra primo maculata. Inuidia deni-
Num.16. que factum eſt,vt hiatu ſuo terra Dathan,Chore, Abiron, vniuerſumque illum populũ viuos abſorpſerit. Hæc ille. Verùm illa Salomonis ſentẽtia alioqui obſcura multo mihi apertior & facilior videtur eſſe ex Septuaginta interpretum lectione. Sic enim legunt, πραΰθυμος ἀνὴρ καρδίας ἰατρὸς, σὴς δὲ ὀστέων αἰσθητική, id eſt, Manſuetus vir, cordis medicus:tinea autem oſsium,cor ſenſitiuum. Qui calumniatur egentem,exprobrat
Leuit.19. factori eius,honorat autem eum qui miſeretur pauperis.) Si obſtringaris diligere pro-
& Mat.22 ximum tuum ſicut teipſum, quia non minus eſt imago & ſimilitudo Dei,quàm tu ipſe: faciendo calumniam pauperi,exprobras eius creatori,qui ad ſuam imaginem non mi-
Geneſ.1. nus egentem quàm diuitem creauit.Econtrario Deum honorat, qui compatitur pau-
Matt.25. peri,eiuſque inopiam ſubleuat.Siquidem dicit Chriſtus, Quod enim vni ex iſtis fratribus meis

bus meis minimis feciſtis,& mihi feciſtis. In malitia ſua expelletur impius, ſperat au-
tem iuſtus in morte ſua.) Meruit impius ſua peruerſitate ſuiſque ſceleratiſsimis vi-
tiis bonorum commercio priuari,& à regno Dei exulare,qui de membro Chriſti fit mẽ
brum diaboli : quibus dicet Chriſtus in illa die:Diſcedite à me omnes qui operamini Matt.7.
iniquitatem,quia nunquam noui vos. Sperar autem iuſtus, cum animam exhalabit, ſe
conſequuturum beatitudinem æternam. Hinc illud Sapientiæ, Iuſtus autem ſi morte Sapi.4.
præoccupatus fuerit,in refrigerio erit. In corde prudentis requieſcit ſapientia, & in-
doctos quoſque erudiet.) Habitus ſapientiæ,quem ſapiens ſuis indefeſsis vigiliis & aſsi-
duitate ſtudij nactus eſt,non facile ab animo ſapientis dimouebitur : idcirco in eo re-
quieſcere dicitur,& maximè lętatur & geſtit ſi indoctos & illiteratos honeſtis diſciplinis
erudierit. Iuſtitia eleuat gentem, miſeros facit populos peccatum.) Filiis Iſrael pro-
ſpera quæque contigerunt quandiu fuerunt iuſti:cum autem à iuſtitia declinauerunr, à
ſede ſuæ dignitatis fuerunt deiecti,depreſsi,& incuruati. Et hæc iam alibi docuimus. Si-
quidem ea eſt peccati vis & natura,vt peccatorem miſerum reddat , & efficiat vt duras
perferat calamitates & clades. Acceprus eſt regi miniſter intelligens,iracundiam eius
inutilis ſuſtinebit.) Ioſeph ſua prudentia ſuiſque eximiis virtutibus plauſibilem Pha- Geneſ.41.
raonis gratiam ſibi demeruit. Et præfectus piſtorum ſuſtinuir iracundiam Pharaonis, Geneſ.40.
cuius iuſſu fuit ſuſpenſus in patibulo . Denique ſeruus Chriſti fidelis concreditum ſibi
ralentum adaugens,ſuo domino gratus eſt:ſeruus autem inutilis & piger,qui talento ſi- Mat.25.
bi concredito abutitur, ſui domini iram ſuſtinebir,& ab eo acriter punietur , ac in te-
nebras exteriores eiicietur.

ARGVMENTVM DECIMIQVINTI CAP.

Nihil moderata lingua & molli ſermone ad frangendam commoti animi iracundiam utilius eſt : nihil uerò tam facilè exaſperat hominem,& ad furorē ac impetum iræ prouocat,quàm ſermo durus,& lingua amara,qua non ſolum amicitiæ iura ſoluuntur,& pacis ſpiritus conteritur,ſed etiam conuicia, contumeliæ & capitales inimicitiæ ſuſcitantur. Denique lingua proterua & immoderata abominabilis eſt domino , cui impiorum uictimæ & oblationes furto & rapina partæ,minime placent:iuſtorum autem uota & ſacrificia ei pergrata ſunt,& ab eo maximè diliguntur. Qui toto animi ſtudio iuſtitiam ſectantur,præmia bonis conſtituunt,& in flagitioſiſsimos animaduertunt,& eo in Deum optimum amore feruent, ut pro tuendis eius legibus aduerſa quæque perferant.

CAPVT DECIMVMQVINTVM.

RESponſio mollis frangit iram,ſermo durus ſuſcitat furorem. Lingua ſapientium ornat ſcientiam,os fatuorũ ebullit ſtultitiam. In omni loco oculi domini cōtemplantur bonos & malos. Lingua placabilis lignum uitæ: quæ autem immoderata eſt,conteret ſpiritũ. Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes,aſtutior fiet. In abundanti iuſtitia uirtus maxima eſt , cogitationes autem impiorum eradicabuntur. Domus iuſti,plurima fortitudo: & in fructibus impii, conturbatio. Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam,cor ſtultorum diſsimile erit.)

Gedeon ſua opportuna,ſuaui & moderata reſponſione fregir iram tribus Ephraim
vehementer commotæ. Cum enim dixiſſent Gedeoni viri Ephraim,Quid eſt hoc quod Iudicũ.8.
facere voluiſti,vt nos nō vocares cum ad pugnam pergeres contra Madian? iurgantes
fortiter , & propè vim inferentes:reſpondit Gedeon, Quid enim tale facere potui,qua-
le vos feciſtis? Nonne melior eſt racemus Ephraim vindemiis Abiezer? In manus veſtras
dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb. Quid tale facere potui,quale vos fe-
ciſtis? Quod cum locutus eſſet,requieuit ſpiritus eorum quo tumebant contra eum. In-
ſuper Abigail mulier ſanè prudentiſsima,ſua molli reſpōſione & blandis verbis ſedauit 1.Reg.25.
iram Dauid. Viri autem Iuda durius æquo & acerbius reſpōdentes viris Iſrael, fecerunt 2.Reg.19.
decem tribus ſeparari à Dauid. Nihil enim magis illorum amicitiam qui principi fa- &.20.
mulantur,diuellit,quàm contentio & inuidia. Lingua ſapientium ornat ſcientiam,os

fatuorum ebullit ſtultitiam.) Cum ſapiens loquitur, omnium oculos ad ſe rapit & conuertit, & tantam habet in dicendo gratiam, vt omnium affectus magna cum voluptate moueat. Et quo venuſtior eſt eius lingua, & purior dictio, eo ſane maius ſuæ ſcientiæ ornamentum adfert. Stultus autem & inſipiens nihil non ſtolidum & ineptum loquitur, & quod non delicatas aures offendat: & in tantum amentiæ prorumpit, vt abſque vlla meditatione verba præcipitet, & quę inſulſa ſunt & maxime ieiuna, euomat. Et huic accedit ſententiæ illud Eccleſiaſtici, Homo acharis quaſi fabula vana, & in ore indiſciplinatorum aſsidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola. non enim dicit illam in tempore ſuo. Denique hæretici aduerſus eccleſiæ catholicæ doctores ſapiẽtiſsimos ſuæ ſtultitiæ fluenta profundunt. In omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos.) Ex hoc loco facilè poſſumus eruere diuinam quandam eſſe rerum omnium prouidentiam. Si enim oculi domini in omni loco contemplentur bonos & malos, Deus prouidebit bonis eorum opera approbando, malis verò peruerſa eorum opera deteſtãdo. Et hoc quoq; ex pſalmis comprobabimus, in quibus ſcriptum eſt, Oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: Vultus autem domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Et hoc teſtimonium aduerſatur illis qui negabãt diuinam prouidentiam ad hæc terrena vſque pertingere, de quibus in Ezechiele ſcriptum eſt: Dixerunt enim, Dereliquit dominus terram, & dominus non videt. Et in prophetia Sophoniæ dicit dominus: Viſitabo ſuper viros defixos in fecibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet bene dominus, & nõ faciet male. De iiſdem etiam ſtolidis qui poſuerunt in cælum os ſuum, ſcribit pſalmographus, Et dixerunt, Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Illorum tamen errorem confutat propheta dicens, Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, nõ audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat? Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum.) Exiſtimo illorum linguam eſſe placabilem, qui diſcordes ad concordiam reuocant, & dulcedine verborum ac ſuauitate eloquij necnon aſsiduis precibus iram Dei placant. Et ex eo lignum eſt vitæ tropo quidem, quòd ſicut lignum vitæ perennem corpori vitam reddebat, ita perpetuam animæ vitam reddit, & ad ſempiternum vitæ cæleſtis fructũ nos perducit. Nec ab hoc loco euariat illud Eccleſiaſtici, Lingua eucharis in bono homine abundabit, lingua autem immoderata, præceps, & quæ labitur vt anguilla, frangit vinculum pacis, diſſoluit vnitatem ſpiritus, & gratiã ſancti ſpiritus aufert à mente. Denique lingua detractrix & mordax, magis ferit & vulnerat q̃ gladius: diſcordias ſeminat, & vno ictu multos occidit. Quamobrẽ dicit Eccleſiaſticus, Multi ceciderunt in ore gladij, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam.

Stultus irridet diſciplinam patris ſui: qui autem cuſtodit increpationes, aſtutior fiet.) Stultus & incorrigibilis ſalutarem & iuſtam caſtigationem ſui patris cum carnalis tum ſpiritalis deſpicit & abborret. quòd ſi aliquando guſtaſſet & percepiſſet fructum mitiſsimæ correctionis, nequaquam ſui patris diſciplinam derideret. Vnde dominus per prophetam Oſee imprecatur malum iis qui noluerunt ſufferre correctionem, nec reuerſi ſunt ad pœnitentiam. Ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum, & in me cogitauerunt malitiam. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus. Qui verò prompto animo increpationes ſuſtinet, & maximè gaudet cum in ſpiritu lenitatis corripitur, fiet aſtutior, quia futura mala, futuraq; peccatorum diſcrimina facilius præcauebit. Vnde dicit Iob, Os meum replebo increpationibus. Et de vtilitate caſtigationis plus ſatis alibi diſſeruimus. In abundanti iuſtitia, virtus maxima eſt, cogitationes autem impiorum eradicabuntur.) Quoniam iuſtitia legitima ad omnia ſeſe diffundit, & vnicuique quod ſuum eſt tribuit, & quæ ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cęſari, & quę ſunt parentum, parentibus: & ſaluat quę bona ſunt, mala autem aut emendat aut diſperdit: idcirco cenſuit Ariſtoteles, iuſtitiam virtutum omnium eſſe præclariſsimam: & neque eſt heſperus ita neque lucifer admirabilis. Et prouerbio dicere conſueuimus,

Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes.

Quidam ediſſerentes hunc Salomonis locum, dicunt abundantiam iuſtitiæ ſitam eſſe in obſeruatione conſiliorum. Idcirco Chriſtus dixit ſuis diſcipulis, quos ad perfectionis apicem

Margin: Eccleſ. 20. — Pſal. 33. — Ezech. 9. — Sopho. 1. — Pſal. 72. — Pſal. 93. — Eccleſ. 6. — Eccleſ. 28. — Oſeæ. 7. — Iob. 23. — 5. Ethi. 1. — Mat. 5.

apicem ſubuehere cupiebat, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarũ & Pha-
riſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Et alibi dixit cuidam paruulo, Si vis per- Matt. 19.
fectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cæ-
lo, & veni ſequere me. Idcirco in abundantia cõſiliorum eſt virtus maxima reſpectu ob-
ſeruationis præceptorum, ſicut virginitas præfertur caſtitati coniugali. Vtrum autem
præceptis præferenda ſint conſilia, an ediuerſo, in aſſertionibus noſtræ Theoſophiæ
diſſeruimus. Cogitationes autem impiorum eradicabũtur, quia ab impiis auferetur po-
teſtas adimplendi ſuas peruerſas cogitationes, ſicut dominus præpediuit ne Abſalon 2. Reg. 18.
qui voluit Dauidi præripere dominandi poteſtatem, loco ſui patris regnaret. Huic Sa-
lomonis ſententiæ perſimile eſt illud pſalmographi, In illa die peribunt omnes cogita- Pſal. 145.
tiones eorum. Domus iuſti plurima fortitudo, & in fructibus impij, conturbatio.)
Fortiſsima eſt iuſtorum domus, & multis præſidiis aduerſus malorum incurſiones mu-
nita: & ex eo firmiſsima cenſetur, quòd extructa ſit ſuper petram, quam neque pluuiæ Matt. 7.
neque flumina neque venti in eam irruentes potuerunt vnquam ſubuertere. Sed quia Eſaiæ. 48
impiis non eſt pax, peruerſa eorũ opera conturbabuntur, eoſq; ad inferorum tenebras
deiicient. Labia ſapientium diſſeminabunt ſcientiam, cor ſtultorum diſsimile erit.)
Sapientes viua voce (quæ plurimum habet energiæ, & quæ auditores in altum ſilẽtium
adducit) alios docendo, ſuam ſeminabunt ſcientiam, eamque bonorum animis tranſ-
fundent: quod ſanè fecerunt apoſtoli in varias regiones euangelicam ſementem ſpar-
gentes. Cor autem ſtultorum longe diſsimile erit cordi ſapientum, quia ſtulti neq; alios
neque ſeipſos inſtruunt, imò plerunq; noxiis affectibus & variis animi morbis infeſtati,
à ſeipſis diſsident, & nunquam in eodem ſtatu permanent. Iob. 14.

¶ *Victimæ impiorum abominabiles domino, uota iuſtorum placabilia. Abominatio eſt domino uia impii. Qui ſequitur iuſtitiam, diligitur ab eo. Doctrina mala deſerentiũ uiam uitæ: qui increpationes odit, morietur. Infernus & perditio coram domino, quanto magis corda filiorum hominum? Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur ſpiritus. Cor ſapientis quæret doctrinam, & os ſtultorum paſcetur imperitia. Omnes dies pauperis, mali: ſecura mens, quaſi iuge conuiuium. Melius eſt parum cum timore domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles. Melius eſt uocari ad olera cum charitate, quàm ad uitulum ſaginatum cum odio. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens eſt, mitigat ſuſcitatas. Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarum, uia iuſtorum abſque offendiculo.)*

Deus magis amans obedientiam quàm ſacrificium, veteris legis victimas & obla- 1. Reg. 15.
tiones deteſtabatur, quando fiebant aut mala voluntate, aut de alieno. Hoc autem ex
aliis ſacræ ſcripturæ locis dilucidum erit. In pſalmis ſcriptum eſt, Non accipiam de do- Pſal. 49.
mo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum,
iumenta in montibus & boues. Dicit etiam Eccleſiaſticus, Dona iniquorum non probat Eccleſ. 34.
altiſsimus, nec reſpicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine ſacrificiorum eo-
rum propitiabitur peccatis. Et apertius multo apud Eſaiam de abiiciendis impiorũ vi-
ctimis loquitur dominus dicens, Quò mihi multitudinem victimarũ veſtrarum? Plenus Eſaiæ. 1.
ſum holocauſto arietum, & adipe pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorũ & hir-
corum nolui, cum veneritis ante conſpectum meum, Quis enim quæſiuit hæc de ma-
nibus veſtris? Calcare atrium meum non apponetis. Ne offeratis vltrà ſacrificium fru-
ſtra. Incenſum abominatio eſt mihi. Neomenias veſtras, & ſabbata veſtra, & feſtiuitates
alias non feram. Iniqui ſunt cœtus veſtri. Hæc ediſſerẽs Hieronym⁹ dicit, Poteſt & hoc Hieron.
de his accipi, qui cum Dei præcepta non faciant, donis variis atque muneribus Deum
redimere poſſe ſe credunt: vel qui parta per rapinam & auaritiam, altari offerũt & pau-
peribus. Et in libro Hieremiæ dicit dominus, Holocauſtomata veſtra addite victimis Hiere. 7.
veſtris, & comedite carnes, quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi
eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocauſtomatum & victimarum.
Et his quoque cohærent quæ dicit Micheas propheta, Nunquid placari poteſt dominus Micheæ. 6
in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum pinguium? Auguſtinus lib. II. con-
tra epiſtolam Parmeniani capite VI. exponens hunc Salomonis locum, dicit, Sacrificia
impiorum eiſipſis oberunt, qui offerunt impiè. Hæc ille. Cum tamen antiquæ legis ſa-
crificia feruenti fide, ſyncera deuotione, & charitate offerebantur, grata erant domino:

& hoc planè dignoſcitur ex eo quod ſubnectit Salomon, Vota iuſtorum placabilia. Si-
Geneſ.4. quidem dominus ad Abel & ad munera eius reſpexit, ad Cain autem & ad munera illius
non reſpexit. Fuſius multo de hac re loquuti ſumus Tomo primo noſtræ Theoſophiæ
libro IIII. capite VII. Abominatio eſt domino via impij: qui ſequitur iuſtitiam,
diligitur ab eo.) Quo quiſque ſanctior eſt, iuſtior & magis pius, eo magis iuſtitiam &
impietatem deteſtatur. Cum igitur Deus ſua natura ſit ſanctus, iuſtus, & maxime pius, &
cui proprium eſt parcere & miſereri, maxime iniuſtitiam & impietatem deteſtabitur. Et
Pſal.52. huic loco reſpondet illud prophetæ: Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in iniqui-
Sapi.14. tatibus. In libro etiam Sapientiæ ſcriptum eſt, Similiter autem odio ſunt Deo impius &
impietas eius. Qui autem vult iuſta, & ea facit, & tribuit vnicuiq; quod ſuum eſt, diligi-
Pſal.105. tur à domino, qui eſt fons & regula totius iuſtitiæ. Hinc illud pſalmographi, Beati qui
Sapi 6. cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. Et illud Sapientiæ, Qui cu-
ſtodierint iuſtitiam, iuſtè iudicabuntur. Doctrina mala deſerentium viam vitæ: qui
increpationes odit, morietur.) Demirabitur ſanè quiſpiam quonam pacto illorum qui
Mat.7. arctam vitæ cæleſtis viam deſerunt, doctrina eſt mala, cum dicat Chriſtus in euangelio,
Matt.23. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint
vobis, ſeruate & facite. Nunquid etiam peritiſsimus doctor aut concionator poteſt ſa-
nam profiteri doctrinam, & prædicare quæ ſaluti auditorum vtiliſsima ſunt? Sed non
vult innuere Salomon doctrinam illorum qui inquinati ſunt vitiis, non eſſe bonam ne-
que vtilem auditoribus, ſed non eſt bona ipſis doctoribus aut concionatoribus malis,
Matt.5. quia peccant non implendo quæ dicunt. Qui enim, inquit Chriſtus, ſoluerit vnum de
iſtis mandatis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.
qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Poteris quoque
dicere illorum doctrinam qui improbè viuunt, malam eſſe, quia minus commendatur
& reputatur, & tandem vileſcit. Cuius enim vita deſpicitur, eius & prædicatio contem-
nitur. Qui autem odit increpationes, nec ceſſat delinquere, & inaudita perpetrare fla-
gitia, mortem æternam & perpetuam damnationem incurret. Infernus & perditio
coram domino, quanto magis corda filiorum hominũ?) Si oculis domini omnia ſint
nuda & aperta, inferorum ſedes, tametſi ſint in locis ſubterraneis, & longe diſtent à cælo
Pſal.138. empyreo, manifeſtæ ſunt domino: vnde dicit propheta, Si deſcendero in infernũ, ades.
Quòd ſi degentium in inferis diuerſoria domino nota ſint, quanto magis eidem corda
Pſal.7. hominum qui adhuc degunt in terris, cognita erunt? Siquidem Deus eſt qui ſcrutatur
Hier.17. corda & renes. Et apud Hieremiam ſcriptum eſt, Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabi-
le: quis cognoſcet illud? Ego dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique
iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum. Et his teſtimoniis cohæret
Apoca.2. illud Apocalypſeos, Ego ſum ſcrutans renes & corda: & dabo vnicuique veſtrum ſecun-
Matt.9. dum opera ſua. Nouit etiam Chriſtus ſanato à ſe paralytico peſtilentiſsimas Scribarum
cogitationes. Cum enim dixiſſet paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua:
dixerunt illi intra ſe, Hic blaſphemat. Et cum vidiſſet cogitationes eorum, dixit: Vt quid
cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, Dimittũtur tibi peccata tua,
an dicere, Surge & ambula? Non amat peſtilens eum qui ſe corripit, nec ad ſapiẽtes
graditur.) Ille cenſetur peſtilens, qui nocentiſsimum ſuæ improbitatis virus quo mul-
ti intoxicãtur, in publicum ſpargit, publicè peccat, & ſcandala parit plurima: & talis in-
ſectatur odio illum à quo corrigitur, nec ad ſapientum ſcholas proficiſci cupit, vt ab eis
emendetur. Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deiicitur ſpiritus.)
Prouer.17 Huic loco finitimum eſt quod alibi dicit Salomon, Animus gaudens ætatem floridam
facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Facies etiam iucunda & placida indicat cor geſtire, &
quibuſdam indiciis in faciem erumpentibus cordis lætitiam aut triſtitiam agnoſcimus.
Et quemadmodum animus gaudio refloreſcit, ita mœrore, contabeſcit. Cor ſapien-
tis quæret doctrinam, & os ſtultorum paſcetur imperitia.) Tametſi ſapiens præclaris
ſapientiæ ſtudiis præditus ſit, tamen ſemper nititur ſuæ ſapientiæ theſauros locupletare.
Prouer.1. Hinc dictum eſt, Audiens ſapiens, ſapientior erit. Imperiti verò & balbi, ſua imperitia,
ſuiſque imperitis colloquiis & ineptiis delectantur. Omnes dies pauperis, mali: ſecura
mens

mens,quaſi iuge conuiuium. Quoniam pauper maxime laborat in conquirendis vitæ neceſſariis,& plerunque tædio faſtiditur,idcirco exiſtimat ſuos dies ærumnis,afflictionibus,& moleſtiis plenos eſſe.Qui etiam Chriſti veſtigiis adhærentes euangelicam paupertatem profeſsi ſunt,multos tribulationum & afflictionum fluctus pertulerunt. Nec qui Deo ſe totos addixerunt,perſecutionibus & moleſtiis carēt. Etenim multæ ſunt tribulationes iuſtorum.Et omnes qui volunt pie viuere in Chriſto,perſequutionē patientur.Et cum hoc in loco & alibi legimus dies malos eſſe, vti dicit Paulus,Redimentes tēpus,quoniam dies mali ſunt:non putemus diem ex ſe malum eſſe, ſed quia in die multa perpetrātur mala. Ad hæc, cum legis apud Matthæum,Sufficit diei ſua malitia, ſumitur malitia illic pro afflictione,& ſecundum Græcam phraſin κάκωσις dicitur afflictio. At κακία virtuti opponitur,& pro vitio propriè ſumitur. At mens ſecura,& quæ huiuſmodi anxia ſollicitudine & moleſtiis caret, eſt quaſi iuge conuiuiū:quia faſtidia vitæ deuorādo,mirè delectat hominem,& longè magis quàm lautiſsimum cōuiuium conuiuas oblectare poſsit. Melius eſt parum cum timore domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles.) Si timor domini terrenis opibus præſtantior ſit, longè nobis iucundius,& expetibilius erit pertenui victu & veſtitu hanc vitam tranſigere, quàm abiecto Dei timore,& effrenata viuendi licentia momentaneos theſauros congerere, qui inexplebilem hominis cupiditatem ſatiare non poſſunt. Et huic plaudit ſententiæ illud prophetæ,Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.) Huic loco proxime accedit quod alibi dicit Salomon,Melior eſt buccella ſicca cū gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.Et in excellētiſsimo Eccleſiaſtæ libro dicit idem author,Melior eſt pugillus cum requie,quàm plena vtraque manus cum labore & afflictione animi.Illi oluſculis cum charitate victitant,qui in Deum charitate feruentes,temperatiſsimo & frugaliſsimo cibo contenti ſunt,& Paulinam illam ſententiam obſeruant,Habentes autem alimenta,& quibus tegamur,his contenti ſimus.qua ſanè deflectunt qui ſummos ambiunt honores,& caducis opibus inhiantes, in aula principum ſumma & opulenta venantur ſacerdotia,ſed venando plerunque in retia mortis cadunt. Et hoc quoq; vanitas eſt.Illi verò percupiunt ad ſaginatum vitulum vocari,qui cupedias ciborū, lautiſsimas menſas,& conuiuiorum luxus ſectantur,in quibus plerunque obruuntur vino, & obruti infœliciter moriuntur:quod contigit ipſi Ammon, quem curauit Abſalō acceſſiri ad opiparum conuiuium quod apparauerat,vt cum temulentus iaceret, à miniſtris enecaretur. Vir iracundus prouocat rixas:qui patiens eſt,mitigat ſuſcitatas.) Quoniam furiis iracundiæ commotus, quærit vlciſci iniuriam quam putat ſibi factam fuiſſe,tametſi non fuerit læſus:idcirco diſsidia poſtulat,& rixas ac contentiones prouocat.Hoc autem nobis exploratum eſt de ipſo Seba filio Bochri,qui fecit vt omnis Iſrael à Dauid ſepararetur,& diſsiderent viri Iuda,qui adhæſerant Dauid, à filiis Iſrael. Qui verò patientiſsimus eſt,accenſa rixarum incendia extinguit. Et hoc iam adduximus in exemplum de Gedeone. Iter pigrorum quaſi ſepes ſpinarū.) Non magis nec acrius delapſos in ſpinoſam ſepem ſpinæ compungunt,quàm labores,pigros & oſcitantes, qui maximè timent offendere obſtaculum in via. Et hoc alibi Salomon expreſsit, dicens, Dicit piger,leo eſt in via,& leæna in itineribus. Via iuſtorum abſque offendiculo.) Iuſti diuina gratia protecti,perdifficiles & arduas periculorum vias abſque vllo animæ offendiculo pertentant, nec cuipiam ſcandalum adferunt. Vnde dicit Dauid, Quoniā in te eripiar à tentatione,& in Deo meo tranſgrediar murum.

Pſal.33. 2.Timot.3 Epheſ.5. Matt.6. Pſal.36. Prouer.17 Eccleſ.4. 1.Timot.6. 2.Reg.13. 2.Reg.20. Iudicū.8. Prouer.26 Pſal.17.

¶ *Filius ſapiēs lætificat patrem,& ſtultus homo deſpicit matrem ſuam.Stultitia gaudium ſtulto, & vir prudens diriget greſſus ſuos.Diſsipantur cogitationes vbi non eſt conſilium:ubi uero plures ſunt conſiliarii,confirmantur.Lætatur homo in ſententia oris ſui,& ſermo opportunus eſt optimus.Semita uitæ ſuper eruditum, ut declinet de inferno nouiſsimo.Domum ſuperborum demolietur dominus, & firmos faciet terminos uiduæ. Abominatio domini,cogitationes malæ,& purus ſermo pulcherrimus firmabitur ab eo.)*

Filius optimis morum & ſapientiæ præceptis inſtitutus exhilarat animam ſui patris: quod de Salomone ſapientiſsimo notum euadit,qui mirum in modum ſuo patri Dauid placuit,cuius virtutes magnam ſuis parentibus gloriam attulerūt. De hac re iam loquuti

ſumus. Qui vero ſtultitiam amat, & ſtultitiæ ſemitas ſectatur, ſuam matrē deſpicit, eiuſq; monitiones deridet, vt Nero tyrannorum truculentiſsimus, qui in ſuos parentes ſæuiēs iuſsit ſuam matrem enecari. Et ſi liceat ad moralem ſenſum inſpicere, dicemus hæreticos & ſchiſmaticos ſuam matrem eccleſiam contēnere, cuius iuſsis & ſancitis non obſequuntur, & ſpernendo eccleſiam ſpernunt & Chriſtum ſummum eccleſię verticē: quan-
Lucæ.10. doquidē dixit Chriſtus ſuis diſcipulis, quorū cœtu expreſſa eſt eccleſia: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.

Stultitia, gaudium ſtulto: & vir prudens diriget greſſus ſuos.) Qui induit habitū aut virtutis aut vitij, in ſuo opere delectatur. Siquidem operari ſecundum habitum, eſt de-
Eccleſ.7. lectabile operanti. Et huic loco perſimile eſt illud Eccleſiaſtæ, Cor ſtultorum vbi lætitia: ſed ſicut eſt ſonitus ſpinarum ardentium ſub olla, ſic riſus ſtulti. Vir autem circunſpectus & prudens ad virtutum ſcopum & ad optimum finem ſuas actiones inflectet:
6.Ethi.4. quandoquidem prudentia eſt recta ratio agibilium, ſiue habitus cum ratione actiuus.

Diſsipantur cogitationes vbi non eſt conſilium: vbi vero plures ſunt conſiliarij, confirmantur.) Recta mentis inquiſitio & exactum conſilium nobis munit viam vt animi cogitata adimpleamus: quod ſi defuerit, non adimplentur, ſed ab effectu præpediuntur. vbi verò multi conſiliarij periti & prudentes nobis patrocinātur, ad opus deducuntur & ſtabiliuntur. Et quemadmodum mola ſuis circumuolutionibus ſeipſam demolitur, niſi ei quidpiam ad molendum imponatur: ita mens humana ſuarum cogitationū inſtabilitate ſeipſam conſumit, niſi in ſuis cogitatis prudentia & conſilio regatur. Et huic
Eccleſ.22. loco ſubſcribit illud Eccleſiaſtici, Cor confirmatum in cogitatione conſilij. Cogitatus ſenſati in omni tempore vel metu non deprauabitur. Lætatur homo in ſentētia oris ſui, & ſermo opportunus eſt optimus.) Magnopere gaudet homo cum in Dei honorē & proximi vtilitatem, veram & exquiſitam ſententiam protulit: ſed hac in re fugiendus
2.Corin.10 eſt inanis gloriæ fumus: nec tam in ſeipſo lætari debet quàm in domino. Nō enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Aliter, & forſitā melius, Exhilareſcit homo ſi nouerit ſententiam oris ſui ab aliis approbatum eſſe, quia cum animaduertit perfectionem ſui animi etiam quantumcunque à viris probis æſtimari, delectatur: cuius ſermo diu in animo concoctus, & opportuno tempore prolatus, eſt multæ frugis, plurimumque iuuat. De vtilitate ſermonis opportuni loquitur Paulus ad
Coloſ.4. Coloſſenſes dicens, Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere. Semita vitæ ſuper eruditum, vt declinet de inferno nouiſsimo.) Eruditus ſi ſuæ eruditioni religionis & pietatis officia connectat, facilius ad beatorum vitam perueniet, quàm imperitus. Nam ſuæ ſapientiæ præſidiis adiutus declinabit à ſemita vitiorum, & ab his quæ pertrahunt hominem ad infernū damnatorum. Et non ſolū loquitur hic Salomon de eruditione & ſcientia, ſed de illo qui & ſapientia & bonis operibus perfectus eſt. Curſim adnotabimus infernum quatuor mo-
Infernus dis ſumi, Primò pro purgatorio, de quo in Miſſæ officio cantatur, Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni. Secundò pro limbo patrum, de quo dicit Iacob
Geneſ.37. in Geneſi, Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Tertiò pro limbo puerorū. Quartò pro loco damnationis: & hic infernus eſt nouiſsimus, & vltima pœna damna-
Pſal.85. tionis. Et de hoc inferno loquitur Dauid dicens, Eruiſti animam meam ex inferno in-
Dionyſi⁹ Carthuſi. feriori, vt dicit Dionyſius Carthuſianus ediſſerens hunc locum. Verùm aduerſus illum inſultabit aliquis, Non potuit Dauid pro ſeipſo illam vocem proferre: nam Dauid non erat in illo inferno inferiori, id eſt in illa miſerorum damnatione, vel damnatorū loco, ſed in limbo patrū. modò nemo ſanæ mentis poteſt dicere domino, Eruiſti animā meā de inferno damnatorū, ſi anima illius non fuerit in illo loco detēta, & perpetuis pœnis afflicta. Quòd ſi vox ſit damnatorum, rurſum dices, Deus non eruit animas damnatorū de illis carceribus, & perpetuis ſuppliciis. Quòd ſi vox ſit Chriſti, & forſitan ita eſt, dicentis ſuo patri per prophetam vaticinātem de reſurrectione ſaluatoris, Eruiſti animā
Act.2. meam de inferno inferiori, ſicut beatus Petrus exponit in Actis apoſtolorum pſalmum
Pſal.15. illum de Chriſto, Non derelinques animam meam in inferno: non poterit infernus inferior ſumi pro loco damnatorum, ſed pro limbo patrum, quem Chriſtus poſt ſuam mortem

mortem ingreſſus eſt, vbi ſuo fulgore illuſtrauit animas patrum. Defendendo tamen
expoſitionẽ Dionyſij Carthuſiani,dices cum Auguſtino exponẽte locum illum in pſal- Auguſt.
mos, Eruiſti animam meam ex inſerno inſeriori, vbi ponit duplicem opinionem. In-
ter iſta ſortaſſe duo inferna,quorum in vno quieuerunt animæ iuſtorum,in altero tor-
quentur animæ impiorum, attendens quidam orans hic iam in corpore Chriſti poſi-
tus, & orans in voce Chriſti, eruiſſe Deum animam ſuam ab inſerno inferiori dixit,
quia liberauit ſe à talibus peccatis per quæ poſſet deduci ad tormenta inferni inſerio-
ris:quemadmodum ſi medicus videat tibi imminentem ægritudinem ſorte ex aliquo
labore,& dicat,Parce tibi,ſic te tracta,requieſce,his cibis vtere:nam ſi non feceris,ægro-
tabis. tu autem ſi feceris, & ſaluus eris,recte dicis medico, Liberaſti me ab ægritudine,
non in qua iam eras,ſed in qua ſuturus eras.Neſcio quis habens cauſam moleſtam,mit-
tendus erat in carcerem. Venit alius,defendit eum,gratias agens quid dicit?Eruiſti ani-
mam meam de carcere.Suſpendendus erat debitor,ſolutum eſt pro eo,liberatus dicitur
de ſuſpendio. In his omnibus non erant,ſed quia talibus meritis agebantur,vt niſi ſub-
uentum eſſet,ibi eſſent,inde ſe recte dicunt liberari, quò per liberatores ſuos non ſunt
permiſsi perduci. Hæc ille. Sed, vt paulò pòſt oſtendet, non eſt temerarius affirmator
huiuſce rei vel illius, ſed ſcrutator verbi Dei. Aliam verò ſectando opinionem,exiſti-
mat duplex eſſe infernum: ſuperius, in quo ſumus in carne, & in iſta mortalitate: &
inferius, quò eunt mortui, vnde voluit Deus eruere animas noſtras, etiam illuc mit-
tendo filium ſuum. Etenim propter iſta duo inferna miſſus eſt filius Dei vndique libe-
rans. Ad hoc infernum miſſus eſt naſcendo, ad illud moriendo.Hæc ille. Applauden-
do huic primæ opinioni,ſacilè coniicies Auguſtinum vocaſſe inſernum inferius, ad
quod deſcendit Chriſtus, limbum patrum. Domum ſuperborum demolietur do-
minus, & firmos faciet terminos viduæ.) Dominus ſunditus euertit domum Holo-
fernis, arrogantiſsimi principis militiæ Nabuchodonoſor regis Aſſyriorum,qui ni-
mio furore aduerſus filios Iſrael exarſerat: & quia elatus in ſuperbiam, Deum Iſrael Iudith 2.
contempſerat, permiſit dominus vt eius caput à Iudith amputaretur. Siquidem Deus 5.&.13.
authore pſalmographo oculos ſuperborum humiliat. Et huic loco pulchrè cohæret il- Pſal.17.
lud Eccleſiaſtici, Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus.& paulò pòſt, Memoriam Eccleſ.10.
ſuperborum perdidit Deus. Firmiſsimos ſacit dominus terminos viduæ.quod nobis de
Iudith vidua religioſiſsima compertum eſt, quæ ſuis aſsiduis precibus & meritis libe- Iudith.7.
rauit Bethuliam ab obſidione Holoſernis. Quòd autem dominus ſua benignitate cu- 8.&.13.
ſtodiat verè viduas, oſtendit propheta dicens, Dominus cuſtodit aduenas:pupillum & Pſal.145.
viduam ſuſcipiet, & vias peccatorum diſperdet. Abominatio domini, cogitationes
malæ, & purus ſermo pulcherrimus firmabitur ab eo.) Abominatur dominus vene-
natas & peruerſas cogitationes,etiam ſi non erumpant in opus exterius. Vnde dicit do-
minus per Eſaiam filiis Iſrael, Auferte malum cogitationum veſtrarum. Et in pro- Eſaiæ.1.
phetia Micheæ ſcriptum eſt, Væ qui cogitatis inutile. Et quis ignorat verbum illud Mich.2.
Sapientiæ receptiſsimum, Peruerſæ cogitationes ſeparant à Deo? Sermo autem pu- Sapi.1.
rus, terſus & nitidus, ac in ſe continens virtutum gratiam & decorem, à domino
approbabitur. Denique ſermo euangelicus quem prædicauerunt apoſtoli, fuit à do-
mino confirmatus. Vnde dicit Marcus poſtquam Chriſtus fuit aſſumptus in cæ-
lum, Illi autem profecti prædicauerunt vbique domino cooperante, & ſermonem Mar.16.
confirmante ſequentibus ſignis.

¶ *Conturbat domum ſuam qui ſectatur auaritiam: qui autem odit munera, uiuet. Per miſericordiam & fidem purgantur peccata, per timorem autem domini declinat omnis à malo. Mens iuſti meditatur obedientiam, os impiorum redundat malis. Longe eſt dominus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet. Lux oculorum lætificat animam: fama bona impinguat oſſa. Auris quæ audit increpationes uitæ, in medio ſapientium commorabitur. Qui abiicit diſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis. Timor domini, diſciplina ſapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.)*

Si omnes à minimo ad maximũ vſq; ſectentur auaritiam, quis non cõturbat domũ Hiere 8.
ſuam? Quis ſuæ animæ domunculã non diruit? & inexplebili cupiditate cõgerẽdi terre- & Eſa.56.

1.Timot.6 nas opes mentem ſuam non obnubilat? Radix ſiquidem omnium malorum eſt auaritia
& cupiditas, quam quidam appetentes inſeruerunt ſe doloribus multis. Mercator aut
negociator ſordidiſsimo auaritiæ ſtudio (quo nihil eſt ſceleſtius) addictus, multas in-
gerit ſuæ familiæ moleſtias, quòd ab ea ſubtrahat cibum, aut non eam ſufficienter pa-
ſcat, & duriſsimis laboribus famulos opprimat, quibus nullum aut minimum repen-
dit præmium. Sed qui munera ad ſubuertendam iuſtitiam ſibi oblata deteſtatur & odit,
Pſal.14. bene beateque viuet, & erit Deo gratiſsimus. Habitabit enim in tabernaculo domini,
qui munera ſuper innocentem non accepit. Qui vero ſectatur munera, & in diſcutien-
tis litigiorum cauſis, capitur donis, à domo Dei exulabit. Siquidem dominus in anti-
Exod.23. qua lege vetuit ne quis acciperet munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuer-
Deute.19. tunt verba iuſtorum. Iuſtè quod iuſtum eſt perſequêris, vt viuas, & poſsideas terram quã
dominus Deus tuus dederit tibi. Oſtendit etiam Iob illos qui muneribus allecti quod
Iob.15. iuſtum eſt peruertunt & labefactant, dignos eſſe acerrimis pœnis: Ignis deuorabit ta-
bernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Per miſericordiam & fidem pur-
gantur peccata, per timorem autem domini declinat omnis à malo.) Operibus miſe-
ricordiæ ſiue eleemoſynæ expiantur peccata: quod expreſsit Daniel dicens ipſi Na-
Danie.4. buchodonoſor: Peccata tua eleemoſynis redime. Hoc autem à Chriſto nobis præce-
ptum eſſe ad detergendas animi ſordes nouimus. Veruntamen, inquit, quod ſupereſt,
Lucæ.11. date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Fide etiam (vt dicit Petrus in
Act.15. Actis apoſtolorum) deus corda purificat. Nec tamen ſola & nuda fide purgantur pec-
Iaco.2. cata, quandoquidem fides, authore diuo Iacobo, ſi non habeat opera, mortua eſt in
ſemetipſa. Nec etiam ſolis pietatis officiis abluuntur delicta, tametſi potiſsima ſatiſfa-
ctionis pars ſit eleemoſyna. Non enim infideles ſola eleemoſyna pro ſuis peccatis Deo
Hebr.11. ſatiſfaciunt (ſine enim fide impoſsibile eſt Deo placere) ſed fides & miſericordia vnà
cum peccati diſplicentia, quæ præire debet, abluunt ſcelera. Quòd ſi actu nobis de-
fuerit peccati dolor, fides tamen & miſericordia nobis præſtant adiumentum non mo-
dicum ad purganda animi ſcelera. Et timore domini nocitura declinamus, & horrore
pœnarum à peccatis retrahimur. Timor etiam perpetuæ damnationis nobis incuſ-
ſus, à multis voluptatibus & illecebris huius mundi nos abducit. Et hæc ſæpiuſcule
declarata ſunt. Iuſtus in ſecreto ſui animi pectuſculo meditatur & penſiculatim co-
gitat quonam pacto promptè Deo & ſublimioribus poteſtatibus obediet: & quia hoc
poſtulat iuſtitia quæ nos hortatur ad reddendum vnicuique quod ſuum eſt, idcirco iu-
ſtus ſuas animi vires intendit ab obſeruãdam obedientiæ virtutem, omnium ſanè præ-
clariſsimam. Siquidem Samuel acriter reprehendens inobedientiam Saulis quòd pe-
percerit Agag regi Amalech, & optimis gregibus ouium & armentorum cõtra Dei præ-
ceptum, planè docuit, dominum Deum præferre obedientiam victimis & ſacrificiis,
quibus tamen Saul, parcendo armentis prætermiſſa obedientia, putabat ſe Dei gratiam
1.Reg.15. promereri. Nunquid (inquit) vult dominus holocauſta & victimas, & non potius vt
obediatur voci domini? Melior eſt enim obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis
quàm offerre adipem arietum, quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, &
quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Os impiorum redundat malis.) Nam im-
pij, & Dei & ſuorum ſuperiorum voluntati reclamantes, obmurmurant & aduerſus
Deum & proximum, & maledictis probris & conuiciis vnumquemque inceſſunt. Vn-
Pſal.49. de Dauid loquens de peſtilentiſsimo ore impij, dicit, Os tuum abundauit malitia, &
lingua tua concinnabat dolos. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduer-
ſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Hæc feciſti, & tacui. Longè eſt domi-
nus ab impiis, & orationes iuſtorum exaudiet.) Sceleratiſsimi viri dominum ad iracun-
diam prouocantes, merentur vt ab ipſis Deus longè ſit per gratiam, licet eis præſens ſit
Pſal.118. ſua potentia. Et quia multis obſiti vitiis, à lege domini longè facti ſunt, & ab eis lon-
gè ſit ſalus, nec timent furorem domini, idcirco dominus ab eis longè abſcedit, &
Roma.14 plerunque quærunt dominum, & non inueniunt: orant, & non exaudiuntur: pul-
ſant ad oſtium, & non eis aperitur. Iuſti vero inſtantes orationi, nec deſiſtentes
orare

orare vt oportet, à domino exaudiuntur, tametſi differat aliquando eis quod poſtulant,
impartiri? Nec ab hac ſententia diſsidet illud Eccleſiaſtici, Qui diligit Deum, exora- Eccleſ.3.
bit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur. Lux ocu-
lorum lætificat animam, fama bona impinguat oſſa.) Quemadmodum dulce lumen,
& videre ſolem, delectabile eſt oculis: ita lux oculorum in pupilla recepta, exhilarat ani-
mam, quia eius adminiculo fit viſio, qua plura diſcit, & plures rerum differentias diſcer-
nit. Hic philoſophus in Metaphyſica cæteris ſenſibus præfert viſum, quia ad cogno- 1.Metaph.1
ſcendum maximè ſuppetit, compluresque differentias rerum declarat. Et ſicut perſpi-
cacisſima oculorum acie ſummopere delectamur, ita obductis in oculos tenebris ve-
hementer triſtamur: vnde dicebat Tobias: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris Tobiæ 5.
ſedeo, & lumen cæli non video? Lux etiam illa beatorum fulgidisſima (qua nihil ſplen-
didius eſt) de qua loquitur Iob dicens, Poſt tenebras ſpero lucem: oblectat oculum men- Iob.17.
tis, qui depulſis calamitoſæ vitæ tenebris fulgidior ſole reſplendet. Et fama bona ac il-
læſa, pro qua ad mortem vſque decertandum eſt, noſtras animi virtutes adauget, &
ſtabiliores reddit, in quibus haud dubie robur mentis conſiſtit, ſicut in osſibus robur
ac vigor corporis. Et nemo eſt qui præclara ſui famatisſimi nominis commendatio-
ne non delectetur, cui nulli theſauri nec fragantisſima vnguenta conferri poſſunt.
Hinc illud Eccleſiaſtæ, Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta precioſa. Et huic Eccleſ.7.
ſubſcribit ſententiæ Eccleſiaſticus dicens: Curam habe de bono nomine: hoc enim Eccleſ.41.
magis permanebit tibi, quàm mille theſauri magni & precioſi. Et quemadmodum ſtu-
demus pro virili noſtram tueri famam, ita maxime debemus metuere ne infamiæ no-
tam incurramus. Qui enim non timet infamiam, impudens eſt. Dicit etiam Cicero li- 3.Ethi.6.
bro primo Officiorum, Negligere quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis
eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſa-
pientium commorabitur.) Qui vltro & attentis auribus increpationibus auſcultat, &
viri probi monitionibus acquieſcit, in ſapientum numerum adſciſcetur, & dignus erit
vt aliquando in cathedra doctorum ſedeat. Hæc iam ſatis explicata. Qui abiicit di-
ſciplinam, deſpicit animam ſuam: qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt
cordis.) Qui nec rectè monentium præceptis acquieſcit, nec ſinit ſe ſuoſque improbæ
vitæ mores corrigi, ſuæ animæ ſalutem contemnit, ſeque deſpicatisſimum reddit. qui
vero magna cum humilitate ſe manſuetis increpationibus ſubmittit, & flagellis ceruı-
cem ſubiicit, poſſeſſor eſt ſui cordis, quia ſedatis ſuis paſsionibus eſt ſuiipſius domi-
nus. Timor domini diſciplina ſapientiæ, & gloriam præcedit humilitas.) Quem-
admodum timore domini nobis ſternitur via ad nanciſcendam ſapientiam, ita humi-
litate ad adipiſcendam æternæ vitæ gloriam. Vnde illud Iob, Qui enim humiliatus Iob.22.
fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos ſuos, ipſe ſaluabitur. Et quod dicit
dominus in euangelio Lucæ, huic loco conſentit: Qui ſe humiliat, exaltabitur. Et Lucæ.18.
alibi, Quicunque humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Matt.18.

ARGVMENTVM DECIMISEXTI CAP.

Tametſi Deus ſua benignitate nos moueat ad rectè agendum, nec quicquam preclarum & commendatione dignum ſine eius adiutrice gratia moliri posſimus, nec procacisſimam linguam domare, non tamen liberum hominis arbitrium uſque adeo imbecillum eſt & infirmum, ut non posſit ſeipſum preparare ad orandum & docendum, cuius uiæ, conatus, officia, cogitationes & opera patent oculis domini, qui propter ſemetipſum condidit uniuerſa, cui faſtus, tumor animi & arrogantia maxime diſplicent: ſimplicitas uerò cordis, innocentia uitæ, & iuſtitia uictimis & immolatis hoſtiis preferenda, ei maximopere placent: eius quoque gratiam miſericordiæ, ueritatis & ſapientiæ ſtudioſisſimi ſibi comparant, ex quorum labiis dimanant uerba fauo mellis dulciora, quibus humiles ſpiritu & mites erudiuntur.

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

Hominis eſt animum præparare, & domini gubernare linguam. Omnes uiæ hominum patent oculis eius. Spirituum ponderator eſt dominus. Reuela domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt dominus, impium quoque ad diem malum. Abominatio eſt domini omnis arrogans. Etiam ſi manus ad manum fuerit, non erit innocens. Initium uitæ bonæ, facere iuſtitiam: accepta autem apud deum magis quàm immolare hoſtias. Miſericordia & ueritate redimitur iniquitas, & in timore domini declinatur à malo. Cum placuerint domino uiæ hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate.)

Videntur hæc adinuicem pugnare, Hominis eſt animum pręparare, & tamen domini
Dei eſt gubernare linguam. Si enim poſsit homo ſuis viribus ſeipſum ad bene viuen-
dum & ad recte agendum præparare, nunquid etiam poterit homo ſuam linguam mo-
derari? quòd ſi non ſatis habeat virium vt effrenem & garrulam linguam domet, neque
ſufficiens erit vt animam ad virtutem præparet. Tum etiam dicebat Chriſtus ſuis diſci-
Ioan.15. pulis, Sine me nihil poteſtis facere. Et hoc apertiſsime declarat Paulus dicẽs ad Philip-
Philip.2. penſes, Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Deniq; ſi
2.Corin.3. non ſimus ſufficientes ex nobis tanquam ex nobis cogitare aliquid, ſed ſufficientia no-
ſtra ex Deo ſit: non erit ſitum in noſtra poteſtate animum ad virtutis opus præpara-
re. Verùm quæ obiecta ſunt, planè monſtrant non pertinere ad hominem præparare
animum, id eſt bonum inchoare ſine adiutorio gratiæ Dei, vt ſcitè docet Auguſtinus
libro II. contra duas epiſtolas Pelagianorum capite VIII. ſed homo cum adiutorio
Dei præparat cor ſiue animum, & à domino eſt reſponſio linguæ. Homo præparat cor:
in reſponſione autem linguæ, id eſt in eo quod præparato cordi lingua diuina reſpon-
det, nihil operis habet homo, ſed totum eſt à domino Deo. Nam ſicut dictum eſt, Ho-
Pſal.80. minis eſt præparare cor, & à domino reſponſio linguæ: ita etiam dictum eſt, Aperi os,
& adimplebo illud. Quanuis enim niſi adiuuante illo, ſine quo nihil poſſumus facere,
os non poſſumus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere noſtro: im-
plet autem illud dominus ſine opere noſtro. Nam quid eſt præparare cor, & os aperi-
re, niſi voluntatem parare? & tamen in eiſdem literis legitur: Præparatur voluntas à
Pſal.50. domino. Et, Labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Ecce dominus
admonet vt præparemus voluntatem, in eo quod legimus, Hominis eſt præparare cor:
vt tamẽ hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à domino. Et aperit
os, ita iubendo vt nemo poſsit, niſi ipſe id faciat adiuuando, cui dicitur: Labia mea ape-
ries. Nunquid iſtorum qui deſipiunt, vt aliud os, aliud labia eſſe contendant, & mirabi-
li vanitate hominem dicant os aperire, labia hominis Deum? Quanquam Deus illos &
Exod.4. ab hac abſurditate compeſcit, vbi ad Moyſen famulum ſuum dicit, Ego aperiam os tuũ,
& inſtruam te quæ debeas loqui. In ſententia ergo illa vbi dicitur, Aperi os, & adimple-
bo illud: quaſi vnum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autẽ vbi
dicitur, Ego aperiam os tuum, & inſtruam te, vtrunque ad dominum. Quare hoc? Niſi
quia in vno iſtorum cooperatur homini facienti, alterum ſolus facit. Quapropter mul-
ta Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non fa-
cit Deus vt faciat homo. Hæc ille. Et huic Salomonis loco, Domini eſt gubernare lin-
Iacob.3. guam, cohæret illud Iacobi, Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium
& cetorum domantur, & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus homi-
num domare poteſt. Deus autem hominis linguam veneno mortifero plenam domat,
licet homo diuino ſubſidio adiutus, ſuam linguam refrenare poſsit. De hac re ampliſ-
ſime loquuti ſumus libro IIII. noſtræ Theoſophiæ capite XXXI. Omnes viæ ho-
minum patent oculis eius.) Actiones hominum ſiue bonorum ſiue malorum, & af-
fectiones ac cogitationes peruiæ ſunt oculis domini, & nihil eum latet. Vnde dicebat
Iob.31. Iob, Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat? Et huic ſen-
Hebr.4. tẽtiæ ſubſcribit illud Pauli, Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius, õnia autẽ
nuda & aperta ſunt oculis eius. Spirituũ põderator eſt domin⁹.) Deus, ſummus iuſtitiæ
princeps,

princeps, æqua lance merita hominum & demerita trutinat & expendit, & ſecundum
rationem meriti vel demeriti vnicuiq; quod ſuum eſt retribuit. Reuela domino ope-
ra tua,& dirigentur cogitationes tuæ.) Non quòd quidpiam domino manifeſtare poſ-
ſis quod eum prius latuerit,ſed quòd ab eo efflagitabis opem & ſubſidium ac conſilium
in tuis rebus agendis. Quòd ſi ad eum tuas (vt decet) fuderis preces, & tua omnia eius
ſapientiæ & voluntati ſubmiſeris, diriget greſſus tuos, & tuam ad rectè operandum
voluntatem inflectet. Et huic quoque loco conſentaneum eſt illud pſalmographi, Re- Pſal.36.
uela domino viam tuam,& ſpera in eo, & ipſe faciet. Vniuerſa propter ſemetipſum
operatus eſt dominus, impium quoque ad diem malum.) Deus rerum omnium con-
ditor & ſupremus architectus,non ſui commodi gratia,nec quia alicuius rei indigeret,
omnia condidit propter ſeipſum,ſed propter ſuiipſius gloriam & eminentiſsimum ho-
norem,& vt ſuam bonitatem rationabili creaturæ patefaceret, quam ad adipiſcendum
æternæ vitæ fœlicitatem creauit. Et quemadmodum eſt rerum omnium principium
effectiuum,ita & finis vltimus,ad quem noſtri animi vires, ſtudia & opera bona cõten-
dere poſſunt.Hoc autem ex Apocalypſi Ioannis exploratum habemus,in qua ſcriptum
eſt,Ego ſum α & ω, primus & nouiſsimus,principium & finis. Et huic Salomonis ſen- Apoc.22.
tentiæ cohæret illud Eſaiæ,Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meã creaui Eſaiæ.43.
eum,formaui eum,& feci eum.Impium autem creauit, ſiue, vt alij volunt, præparauit
ad diem vltionis, qui reprobis malus erit,& multam afflictionem ingeret, vt in ſcelera-
tiſsimis diuina iuſtiria reluceat,vti in electis miſericordia. Et hoc ſublimi philoſophia
deducit Paulus in epiſtola ad Romanos, vbi profert veteris inſtrumenti teſtimonia ad
ſuadendum prædeſtinarionis,& reprobationis negatiuæ (qua ſcilicet Deus nõ vult huic
vel illi dare beatitudinem æternam) nullam eſſe cauſam. Moyſi(inquit)Deus dicit, Mi- Roma.9.
ſerebor cuius miſereor,& miſericordiam præſtabo,cuius miſerebor. Igitur non volen- Exod.33.
tis neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei.Dicit enim ſcriptura Pharaoni, Quia in hoc Exod.9.
ipſum excitaui te,vt oſtendam in te virtutem meam,& vt annuncietur nomen meum in
vniuerſa terra.Ergo cui vult miſeretur,& quem vult indurat. Dicis itaque mihi, Quid
adhuc quæritur?voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo, tu quis es qui reſpondeas Eſa.45.
Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An non habet Hier.18.
poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud ve- Sapi.15.
ro in contumeliam?Quòd ſi deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam
ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet diuitias
gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparauit in gloriam. Et alibi dicit, Vide ergo Roma.11.
bonitatem & ſeueritatem Dei:in eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem, in te autem
bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate,alioquin & tu excidêris. Auguſtinus libro Auguſti.
V. contra Iulianum Pelagianum capite III. oſtendit Deum creaſſe impios ad vtili-
tatem iuſtorum: & loquens de iis qui vaſa iræ facti ſunt,dicit, Non enim quempiam
eorum Deus temere ac fortuitò creat, aut quid de illis boni operetur ignorat, cum &
hoc ipſum bonum operetur,quòd in eis humanam creat naturam,& ex eis ordinem ſe-
culi præſentis exornat.Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſalubrem & ſpiri-
talem, qua homo in Chriſto reconciliatur Deo, ſiue illis ampliorem patientiam, ſiue
non imparem præbeat.Quanuis ergo omnes ex eadem maſſa perditionis & dãnationis
ſecundum duritiam cordis ſui,& cor impœnitens quantum ad ipſos pertinet,theſauri-
zent ſibi iram in die iræ,quo redditur vnicuique ſecundum opera ſua,Deus tamen alios
inde per miſericordem bonitatem adducit ad pœnitentiam,alios ſecundum iuſtum iu-
dicium non adducit.Habet enim poteſtatem adducendi & trahendi, ipſo domino di-
cente,Nemo venit ad me,niſi pater qui miſit me,traxerit eum.Nunquid autem Achab Ioan.6.
regem ſacrilegum & impium adduxit ad pœnitentiam, aut ſaltem per mendacem ſpi- 3 Reg.22.
ritum iam ſeducto atque decepto, patientiam & longanimitatem præbuit? Nonne in
eo ſtatim propter quod erat ſeductus,morte rapiente completum eſt? Quis eum dicat
non peccaſſe,ſpiritui credendo mendaci? Quis dicat hoc peccatum pœnam non fuiſſe
peccati,venientem de iudicio Dei,ad quem legit mendacem ſpiritum ſiue miſſum ſiue
permiſſum? Hæc ille. Et cum audis Deum creaſſe impium in diem malum, non putes

impium in exordio ſuæ creationis repletum fuiſſe impietate, nec quòd Deus hominẽ
ſimul cum peccato mortali condiderit,(omnis ſiquidem natura à Deo creata bona eſt,
Geneſ.1. & vidit cuncta quæ fecerat,& erant valde bona)ſed quòd creauerit hominem,qui poſt-
quam functus eſt liberi arbitrij munere,ſua voluntate cecidit,& deflectendo à recta ra-
tione,multa & nephanda ſcelera commiſit. Abominatio eſt domini omnis arrogás:
etiam ſi manus ad manum fuerit,non erit innocens.) Arrogans,beneficiorum Dei in-
gratiſsimus eſt.Nam ſibi tribuit quod Deo optimo acceptiſsimum referre debet, & hac
1.Corin.4 in re ſe præfert largitori donorum:& illa Pauli ſententia reuincitur, Quid habes quod
non accepiſti? ſi autem accepiſti, cur gloriaris quaſi non acceperis?Igitur non immeri-
tò Deus auerſatur & odit arrogantes,qui cumulatiſsimis opibus, aut ſummis honori-
Iob.40. bus,vel verius Dei muneribus inſoleſcunt. Vnde dicit Iob,Diſperge ſuperbos in furore
tuo,& confunde eos,& reſpiciens omnem arrogantem humilia. Nec ab hac ſententia
Eſaiæ.2. digreditur illud Eſaiæ,Oculi ſublimis hominis humiliati ſunt,& incuruabitur altitudo
virorum.Exaltabitur autem dominus ſolus in die illa,quia dies domini exercituum ſu-
per omnem ſuperbum & excelſum,& ſuper omnem arrogãtem, & humiliabitur. Tum
Iaco.4. quoque dicit diuus Iacobus,Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Et li-
cet arrogans ſuis manibus nihil mali operetur,ſi tamen animo verſauerit quodpiã ſce-
lus quod aliquando commiſſurus erat,& mens eius venenatis cogitationibus infecta ſit,
Prouer.21. iam animi innocentiam perdidit.Et hæc alibi declarata ſunt. Initium vitæ bonæ fa-
cere iuſtitiam,accepta autem apud Deum magis quàm immolare hoſtias.) Optima ho-
neſtæ vitæ primordia à iuſtitia proficiſcuntur,quatenus iuſtitia eſt virtus cõmunis, qua
declinamus à malo,& facimus bonũ.Et hæc iuſtitiæ virtus magis accepta eſt apud Deũ
quàm immolare hoſtias veteris legis.Nam ex ſe bona eſt,& ad perfectionem nos addu-
cit,& illi iuncta eſt obedientia,ſacrificiis illis præferenda. Immolare verò hoſtias, & of-
ferre Deo huiuſmodi victimas & ſacrificia,non erat Deo ex ſe acceptum & gratum, ſed
duntaxat ex fide charitate & deuotione offerentium, & quatenus illa ſacrificia Chriſti
paſsionem & myſteria figurabant. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas,;& in
timore domini declinatur à malo.) Vis Deum non irrogare pœnam tuis peccatis de-
bitam?Aliorum infirmitati condoleas,egenis fer opem, & viſcera miſericordiæ paupe-
ribus aperias.Nec facilius iram Dei placare poteris,eiuſque furorem lenire, quàm fide,
miſericordia & veritate. Fatere ingenue te diuinam maieſtatem frequẽter offendiſſe,&
ad eius clementiam confugito,& ipſe tibi condonabit veniam: quem ſi poſthac timue-
ris offendere,quæ nocitura ſunt deuitabis.Et hæc plus ſatis expoſita. Cum placuerint
domino viæ hominis,inimicos quoque eius conuertet ad pacem.) Inculpatiſsima vita
ipſius Ioſeph viri ſanè religioſiſsimi & ſanctiſsimi,& eius admirãda ſapientia,qua Pha-
Geneſ.41. raonis ſomnia declarauit,Pharaonem ad concordiam & pacem conuertit, qui tamen
Geneſ.39. prius ipſi Ioſeph erat inimiciſsimus.Denique Sidrac, Miſac & Abdenago,quorum viæ
Danie.3. gratæ erant domino,de ardẽtiſsima fornace erepti,ſingulari amicitia ſibi deuinxerunt
Nabuchodonoſor regem Babylonis,qui tamen eis vehementer ſuccenſuerat quòd no-
luiſſent eius ſtatuam auream adorare. Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fru-
ctus cum iniquitate.) Quod enim iuſtè acquiſitum eſt, delectat poſſeſſorem & reficit.
Sed quæ rapina, dolo, fraude, latrociniis & expilationibus parta ſunt,affligunt homi-
nem, & vehementer torquent, quia huiuſmodi bona ſunt reſtitutioni obnoxia. Et
Pſal.36. huic loco perſimile eſt illud pſalmographi, Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias
peccatorum multas.

¶ *Cor hominis diſponet uiam ſuam,ſed domini eſt dirigere greſſus eius. Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius. Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt,& opera eius omnes lapides ſeculi. Abominabiles regi qui agunt impiè,quoniam iuſtitia firmatur ſolium. Voluntas regum labia iuſta. Qui recta loquitur,dirigetur. Indignatio regis,nuncii mortis,& uir ſapiens placabit eum. In hilaritate uultus regis,uita, & clementia eius quaſi imber ſerotinus. Poſside ſapientiam,quia auro melior eſt:& acquire prudentiam, quia precioſior eſt argento.)* Si hominis ſit diſponere viam ſuam,& hominis erit dirigere greſſus ſuos,cur igitur Salomon attribuit homini diſponere viam ſuam, Deo autem hominis greſſus dirigere?aut difficilius erit homini dirigere greſſus ſuos,quàm diſponere viam ſuam?

ſuam? Iam diximus hominem diuino præſidio adiutum, præparare animam ſuam ad bonum: ſed non ita ſe præparat ad bonum opus, quòd eius liberum arbitrium non præueniat auxilium Dei. Si enim non præueniret auxilium Dei vires noſtras, non poſſemus præparare animam noſtram ad piè viuendum, licet gratiam habitualem, ſiue gratum facientem præcedat liberum arbitrium à Deo ſine gratia gratis data motum. Omnis ſiquidem forma prærequirit materiam diſpoſitam in qua recipi debeat. Et hac dicendi formula ſicut homo diſponit viã, ita dirigit greſſus ſuos, licet primariò ab ipſo Deo dirigantur. Vnde Dauid precando dominum dicebat, Dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige. Et licet arduam virtutis viam ingrediamur, idque ſummo conatu moliamur, quia tamen plerunque ab incepto itinere recedimus, & aliò diuertimus, propter infirmitatem carnis, & morbos animi quibus afficimur: idcirco precantes debemus dicere, Domine dirige greſſus noſtros, quos noſtris ſolis viribus ad optatum finem perducere non poſſumus. Hominis igitur erit præparare viam ſuam, & Dei greſſus eius dirigere. Eſt etiam hominis diſponere viam ſuam in ſecreto cordis, deliberando & proponendo quid agere aut vitare debeat: Dei verò eſt dirigere greſſus hominis, vt quod deſiderat, exequatur opportunè. Diuinatio in labiis regis, in iudicio non errabit os eius.) Diuinatio in ſacris literis ſolet in malam partem ſumi, ſiquidem in Leuitico ſcriptũ eſt: Vir ſiue mulier in quibus phytonicus vel diuinationis fuerit ſpiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos. & in Numeris, Nõ eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. Scribit & Eccleſiaſticus de vanitate diuinationis dicens, Diuinatio erroris, & auguria, mẽdacia & ſomnia malefacientium, vanitas eſt. Et loquẽs Hieremias de diuinis & pſeudoprophetis, dicit: Viſionem mendacem, & diuinationem fraudulentam, & ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Et in Ezechiele ſcriptum eſt, Nõ erit vltrà omnis viſio caſſa, neque diuinatio ambigua in medio filiorum Iſrael. Tum quoq; Hieronymus exponens locum illũ Micheæ prophetæ, Et prophetæ in pecunia diuinabant, dicit: Nunquam enim diuinatio in ſcripturis in bonam partem accipitur. Sed putes Hieronymum ex eo id dixiſſe, quia frequentius diuinatio in ſcripturis accipitur in malam partem quàm in bonam: alioqui non putarem acquieſcendũ eſſe ſententiæ Hieronymi. Nam diuinatio in hoc Salomonis loco in bonam partẽ ſumitur, pro vera prophetia, aut cognitione ſacræ ſcripturæ, vel (vt quidam dicunt) pro diuina lectione, quæ maximè vtilis eſt illuſtriſsimo regi vt commodius ſuum populum iudicet, & non erret in ferendis ſententiis: quandoquidem in Deuteronomio ſcriptum eſt de eo qui in regẽ electus eſt, Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cerimonias eius quæ in lege præcepta ſunt, nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, vt lõgo tempore regnet ipſe & filij eius ſuper Iſrael. Alij dicunt diuinationem hic ſumi pro cõmemoratione futurorũ, vt rex ſuis ſubditis proponat futurum Dei iudicium, gaudia quoque iuſtorum, & impiorum ſupplicia, quatenus nec ipſe audeat iudicare iniuſtè, & alij reformident aliquid aduerſus iuſtitiam moliri. Vnde Ioſaphat rex Iuda conſtituit iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca, & præcipiens iudicibus, Videte (ait) quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, ſed domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite. Exiſtimant & alij hunc regem cuius eſt diuinatio, eſſe Chriſtum, de quo in pſalmis ſcriptum eſt, Deus iudicium tuum regi da. Quis eſt enim regum temporalium qui nunquam erret in iudicio? In cuius labiis eſt diuinatio, quia non ſuorum ſolũ modo ſermones & facta dirigit, ſed & gentiliũ vates, qui vulgo diuini appellantur, quid ſciſcitantibus reſpondeant, illo intus indicante diſponitur, teſtante Michea propheta, qui ad deceptionem Achab regis impiiſsimi teſtatur miſſum à ſuperni iudicis ſolio ſpiritum qui prophetarum eius ora impleret, atque ad ſuadendum ea quibus rex nefandus periret, armaret. Neq; enim in hoc iudicio errauit os regis æterni, ſed quod rex

Pſal. 26. Pſal. 89. Leuit. 20. Nume. 23. Eccleſ. 34. Hiere. 14. Ezech. 12. Mich. 3. Lyranus Deute. 17. Dionyſi. Carthuſ. 2. Paral. 19 Beda. Pſal. 71. Mich. 6. 3. Reg. 22.

impius audire peccatis præcedentibus meruit,ipſe hoc prophetas erraticos eloqui per-
Ezech.13. miſit.Sic & Ezechiel peccanti ac perituro Ammonitarum populo dicit,Cum tibi viderentur vana,& diuinarentur mendacia.Non eſt dæmonum diuinatio,ſed dei iudicium, qui perfectæ malitiæ elidit finem.Duæ tamen primæ ſententiæ magis accedunt ad literam Salomonis:& licet ex ordine hominum nullus ſit Rex temporaneum habens dominium,qui non poſsit iudicando aberrare,ſi tamen diuinis ſit eruditus literis,deumq; timeat offendere,& eius præceptis pareat,non deflectet à recta æquitatis via. Pondus & ſtatera iudicia domini ſunt,& opera eius omnes lapides ſeculi.) In hoc loco innuit Salomon iudicia dei eſſe iuſta,& ſanè iuſtiora æquis ponderibus & ſtateris.& ſolerti ingenio vſus eſt nominibus ponderum, vt ex rerum ſenſilium cognitione manuduceremur ad ſummæ rei intelligibilis cognitionem. Hebręi loco huius,lapides ſeculi,legunt la-
Lyranus. pides ſacculi. Et ad intelligentiam illius rei adnotare licebit,Antiquos confeciſſe ſua pondera cum lapidibus, quorum vnus erat ponderoſior altero,& lapides illi ponebantur in ſacculo.Senſus igitur huiuſce ſententiæ, Et opera eius omnes lapides ſacculi,hic
Sapi.11. eſt,Opera dei fiunt certo pondere,& iuſta menſura.Hinc illud Sapientię,Omnia in mẽſura & numero & põdere diſpoſuiſti.Sed legendo lapides ſeculi,dicunt nonnulli interpretes hos lapides eſſe electos,qui ſunt viui lapides poſiti in ædificio militantis eccleſiæ per fidem,ſpem & charitatem,qui tandem in excellentiſsima triumphantis eccleſię ſtructura collocabuntur,& dei optimi & maximi viſione fruentur.Et de iſtis lapidibus,quo-
1.Pet.2. rum fulcimentis ſtabilitur eccleſia,dicit beatus Petrus, Et ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini.Verùm ſecundum Septuaginta Interpretes facilior erit lectio,ῥοπὴ ζυγοῦ δικαιοσύνη παρὰ θεῷ,τὰ δὲ ἔργα αὐτοῦ ςάθμια δίκαια.Id eſt,Momẽtum ſtateræ iuſtitia apud deũ,atq; opera eius,ſtateræ iuſtæ. Abominabiles regi qui agunt impiè,quoniã iuſtitia firmatur ſoliũ.) Si ſolium regni & auguſtiſsima ſedes iuſtitia firmetur & ſtabiliatur,nec regia dominandi poteſtas florere poſsit niſi virtus vitiis imperet, & tollantur de medio hoſtes reipublicę & perturbatores,non immeritò rex iuſtus abominabitur impios, qui tranquillum reipublicæ ſtatum perturbant, inimicitias fouent, concitant odia,pauperum bona deprædantur, vrbes euertunt, & quod peius eſt & deterius, in ſuum Regem plerunque conſpirant.Quapropter mihi præclarè viſus eſt dixiſſe Auguſtinus: Amota iuſtitia quid aliud ſunt regna,niſi latrocinia magna?Admonet etiã Sapiẽtia reges,principes,magiſtratus,& eos qui iudicant terram,vt diligant iuſtitiam.Pulchrè docet Cicero
Sapi.1. & eleganter libro II.Officiorum,quanta ſit vis iuſtitiæ,& quòd antiquitus ad imperan-
Cicero. dum deligebantur qui cæteris iuſtitia præcellebant.His, inquit,qui vendunt,emunt,cõducunt,locant,contrahendiſque negociis implicantur,iuſtitia ad rem gubernandã neceſſaria eſt:cuius tanta vis eſt,vt ne illi quidem qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere.Nam qui eorum cuipiam qui vnà latrocinantur, furatur aliquid aut eripit,is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum.Ille autem qui archipirata dicitur,niſi æqualiter prædam deſpertiat,aut occiditur à ſociis,aut relinquitur.Quinetiam leges latronum eſſe dicuntur,quibus pareant,quas obſeruent.Itaq; propter æquabilẽ prædæ partitionẽ & Bargulus Illyric9 latro,de quo eſt apud Theopõpũ ſcriptum,magnas opes habuit, & multo maiores Viriatus Luſitanus,cui quidem etiã exercitus noſtri imperatoreſque ceſſerunt, quem C. Lælius,is qui ſapiens vſurpatur,prætor fregit & comminuit,ferocitatemq́ue eius ita repreſsit,vt facile bellum reliquis traderet. Cum igitur tãta iuſtitiæ vis ſit,vt ea etiam latronum opes firmet atque augeat, quantam eius vim inter leges & iudicia & inſtituta reipublicæ fore putamus?Mihi quidem non apud Medos ſolum (vt ait Herodotus)ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ ſeruandę cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti.Nam cum premeretur inops multitudo ab iis qui maiores opes habebant,ad vnum aliquem confugiebat virtute pręſtantem:qui cum prohiberet iniuria tenuiores,æquitate conſtituenda,ſummos cum infimis pari iure retinebat. Eademq́ue conſtituendarum legum fuit cauſa,quę regum.Ius enim ſemper quęſitũ eſt æquabile,nec enim aliter eſſet ius.Id ſi ab vno iuſto & bono viro conſequebantur,eo erant contenti.Cum id minus contingeret,leges ſunt inuentę,quę cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur.Ergo hoc quidem perſpicuum eſt,

eos ad imperandum deligi ſolitos,quorum de iuſtitia magna eſſet opinio multitudinis. Adiuncto verò vt iidem etiam prudentes haberentur, nihil erat quod homines his authoribus non poſſe conſequi ſe arbitrarentur. Omni igitur ratione colenda & retinenda iuſtitia eſt,tum ipſa propter ſeſe,nam aliter iuſtitia non eſſet: tum propter amplificationem honoris & gloriæ. Sed vt pecuniæ quærendæ non ſolum ratio eſt, ſed etiam collocandæ,quæ perpetuos ſumptus ſuppeditet,nec ſolum neceſſarios, ſed etiam liberales: ſic gloria quærenda & collocanda ratione eſt. Hæc ille. Voluntas regum labia iuſta. Qui recta loquitur,dirigetur.) Aequiſsimi reges quę vera ſunt & iuſta loquuntur, teſtatur, & agunt: quibus nihil eſt iucundius, quàm illos audire qui pro tuenda veritate aduerſus authores mendaciorum acerrime decertant. At contrà nihil illis moleſtius,quàm experimento cognoſcere iura æquitatis etiam ſancta à mendaciſsimis viris peruerti & labefactari,quos ſanè Deus tanquam vita æterna indignos reiicit: ad ſe verò illos allicit,& recto calle ad beatitudinem perducit,qui recta,vera & iuſta loquuntur.

Indignatio regis,nuncij mortis,& vir ſapiens placabit eum.) Qui nunciat regi mortem ſui ſingularis amici,accendit iram regis,tametſi non arbitraretur ſe eo fine ſiniſtra nuncia attuliſſe. Hoc autem de Chuſai perſpicuum euadit, qui magnam triſtitiam iniecit ipſi Dauidi,quòd ei mortem ſui filij Abſalonis nunciauerit: & cōtriſtatus Dauid aſcēdit cœnaculum portæ,& fleuit, & ſic loquebatur vadens, Fili mi Abſalon, Abſalon fili mi,quis mihi tribuat vt ego moriar pro te? Abſalon fili mi,fili mi Abſalon. Indignatur etiam rex aduerſus illos qui digni ſunt morte. Vnde Salomō indignatione commotus in Ioab & Semei,iuſsit eos occidi. Sed vir ſapientia præſtans ſedat cōmotum regis animum,eiuſque iram extinguit. Et hoc manifeſtum eſt de Ioab, qui parabola Thecuitis mulieris placauit iram Dauid contra Abſalon. In hilaritate vultus regis, vita, & clementia eius quaſi imber ſerotinus.) Qui auguſtiſsimam regis maieſtatem offenderunt, ſperant ſe veniam conſequuturos cum rex clementiſsimus hilarem vultum eis oſtēdit: cuius clementia captiuis & incarceratis non minus ſuauis eſt quàm imber ſerotinus frugibus terræ. Et ita rex ſuis imperare debet,ſicut pater filiis: ea denique in ſuos benignitate & clementia vti,qua vtitur pater in filios. Nihil enim peræquè ſubditorum gratiam & amorem conciliare poteſt,quàm benignitas & humanitas. Nihil verò facilius commouet iram populi,quàm nimia regis ſeueritas & auſteritas. Quod certè Chilon Lacedæmonius hac ſententia expreſsit: Dominatorem manſuetum eſſe decet,vt eum ſubditi magis reuereantur quàm timeant. Accedit illi Terentius dicēs, Errat longe,mea quidem ſententia, qui imperium vi inductum & geſtum,credit eſſe firmius ac ſtabilius eo quod amicitia geritur. Aſtipulatur eidem & Cicero in Philippicis dicēs, Nullum armatorum eſt præſidium ipſis regibus,ſed charitate & beneuolentia ciuium oportet eſſe ſeptum regem,non armis. Demum Seneca in libro de Clementia dicit, Non eſt opus altas ædes conſtruere,& multiplicibus muris turribuſque regem ſepire. Saluum regem clementia in aperto monſtrabit. Vnum eſt inexpugnabile munimentum, amor ciuium.

2.Reg.18.

3 Reg.2.

2.Reg.14.

Poſside ſapientiam,quia auro melior eſt: & acquire prudētiam,quia precioſior eſt argento.) Iam plus ſatis oſtendimus neque regum neq; imperatorū theſauros,nec cumulatiſsimas rerum terrenarum diuitias poſſe vnquam cum ipſa ſapientia & prudentia conferri. Et ſicut aurum precioſius eſt argento, ita ſapientia excellentior eſt & dignior prudentia. Illa ſiquidem res diuinas tractat,hæc vero humanas.

❡ *Semita iuſtorum declinat mala,cuſtos animæ ſuæ ſeruat uitam ſuam. Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Melius eſt humiliari cum mitibus,quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Eruditus in uerbo reperiet bona,& qui in domino ſperat,beatus eſt. Qui ſapiens corde eſt,appellabitur prudens: & qui dulcis eſt eloquio,maiora percipiet. Fons uitæ eruditio poſſidentis,doctrina ſtultorum fatuitas. Cor ſapientis erudiet os eius,& labiis eius addet gratiam. Fauus mellis uerba compoſita: dulcedo animæ,ſanitas oſsiū.)*

Iuſti ſectantes rectam diuinorum præceptorum ſemitam,declinant peccata,& ſupplicia peccatis infligenda: & qui diligentius ſuam animam quàm corpus cuſtodit,eamq; à periculis tentationum eripit,& maximopere ſtudet vt à noxiis cogitationibus abducatur,ſuæ ſaluti conſulit: & hic probè viuendo ad beatorum vitam anhelat. Quòd ſi ſuā animā propter Chriſtū perdiderit,& à terrenis curis auocauerit,in regno cælorū inue- Matt.10

niet eam. Contritionem præcedit ſuperbia , & ante ruinam exaltatur ſpiritus.)
1.Reg.18. Abſalon prius in ſuperbiam elatus eſt,quàm à domino cõtereretur & deiiceretur:qui dũ
palpitando adhuc hæreret in quercu,ab armigeris Ioab miſerè fuit interfectus.Demum,
Antiochus(quo nullus vnquam arrogantior fuit)prius ſuperbè locutus eſt ſe venturum
2.Macca.9. Hieroſolymam,& congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum,quàm à domino inſa-
nabili plaga percuteretur.Eum ſiquidem dirus viſcerum dolor apprehẽdit:& qui prius
aliorum viſcera multis & nouis cruciatibus torſerat,amaris internorum tormentis cru-
ciabatur,nec tamen his diſcruciatus pœnis deſinebat ſpirare animo ignem in Iudæos:
iſq́ue qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare , ſupra humanum modum ſu-
perbia repletus , & montium altitudines in ſtatera appendere , nunc humilia-
tus ad terram in geſtatorio portabatur , manifeſtam dei virtutem in ſemetipſo
conteſtans , ita vt de corpore impij , vermes ſcaturirent , ac viuentes in dolori-
bus carnes eius effluerenr , odore etiam illius & fœtore exercitus grauaretur.Et qui pau
lò antè ſidera cœli contingere ſe arbitrabatur,eum nemo poterat propter intolerantiã
fœtoris portare.Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitionem ſui veni-
re,diuina admonitus plaga,per momenta ſingula doloribus ſuis augmenta capientibus.
Et cum nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet , ita ait,Iuſtum eſt ſubditum eſſe deo,&
mortalem non paria deo ſentire . Orabat autem hic ſceleſtus dominum,à quo non eſ-
ſet miſericordiam cõſecuturus.Suppetunt nobis & alia ſacræ ſcripturæ teſtimonia,qui-
bus facilè probabimus dominum illorum ceruices incuruare , qui ante ruinam ſeipſos
Eſa.2. inſolenter extulerunt.In prophetia Eſaiæ de reprobatione Iudæorum ſcriptum eſt, O-
culi ſublimis hominis humiliati ſunt,& incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur au-
tem dominus ſolus in die illa,quia dies domini exercituum ſuper omnem ſuperbum &
excelſum,& ſuper omnẽ arrogantem,& humiliabitur,& ſuper omnes cedros Libani ſub-
limes & erectas , & ſuper omnes quercus Baſan,& ſuper omnes montes excelſos,& ſuper
omnes colles eleuatos,& ſuper omnẽ turrim excelſam,& ſuper omnẽ murum munitũ,&
ſuper omnes naues Tharſis,& ſuper omne quod viſu pulchrũ eſt.Et incuruabitur omnis
Eſa.5. ſublimitas hominũ,& humiliabitur altitudo virorũ. Et alibi,Incuruabitur homo,& hu-
miliabitur vir,& oculi ſublimium deprimẽtur.Adhæc in libro Danielis legimus,quando
Danie. 5. eleuatum eſt cor Nabuchodonoſor,& ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam,depo-
ſitus eſt de ſolio regni ſui,& gloria eius ablata eſt, & à filiis hominum eiectus eſt , ſed &
cor eius cum beſtiis poſitum eſt , & cum onagris erat habitatio eius , fœnum quoque vt
bos comedebat,& rore cœli corpus eius infectum eſt,donec cognoſceret quòd poteſta-
tem haberet altiſsimus in regno hominum , & quencunque voluerir ſuſcitabit ſuper
illud . Hęc hiſtoria . Antequam igitur pœniteret Nabuchodonoſor regem faci-
noroſiſsimum ſuæ perditę vitæ,ſpiritum habuit arrogãtiſsimum,& vt aquila exaltaba-
tur. Tum quoque loquens Dauid de ſua reſipiſcentia & compunctione cordis poſt ſua
Pſal.118. delicta,dicit,Priuſquam humiliarer,ego deliqui,propterea eloquium tuum cuſtodiui.Et
paulò pòſt,Bonum mihi quia humiliaſti me,vt diſcam iuſtificationes tuas.Hunc etiã Sa-
Auguſtin. lomonis locum ediſſerens curſim Auguſtinus libro XIIII.de ciuitate Dei capite. XIII.
in quo agit de præuaricatione Adæ,quam mala volũtas præceſsit,dicit,Illa prorſus rui-
na quæ fit in occulto,præcedit ruinam quæ fit in manifeſto,dum illa ruina eſſe non pu-
tatur.Quis enim exaltationẽ ruinam putat,cum iam ſit ibi defectus,quo eſt relictus ex-
ceſſus?Quis autem ruinam eſſe non videat,quando fit mandati euidens atque indubita-
ta tranſgreſsio?Propter hoc deus illud prohibuit,quod cum eſſet admiſſum,nulla defen-
di poſſet imaginatione iuſtitię.Et ideo audeo dicere,ſupbis eſſe vtile cadere in aliquod
apertum manifeſtumq́ue peccatum,vnde ſibi diſpliceant,qui iam ſibi placendo cecide-
rant.Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit quando fleuit,quàm ſibi placuit quando prę-
Pſal.82. ſumpſit.Hoc dicit & ſacer Pſalmus : Imple facies eorum ignominia,& quærenr nomen
tuum domine.Id eſt vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum,qui ſibi placuerãt quæ-
rendo ſuum. Melius eſt humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis.)
Mitis omnibus eſt gratus,ſuperbus verò omnibus inuiſus. Mitis non ſibi placet, ſuper-
bus vero nimium ſibi placet.Mitis multorum iniurias patitur,ſuperbus vero intoleran-
tiſsimus

tiſsimus eſt iniuriarum. Mites à domino beati dicuntur, & ipſi poſsidebunt terram: ſuperbi verò ſunt miſeri, & in tenebras exteriores detruduntur. [Matt.5.] Et huic Salomonis ſententiæ ſuffragatur illud pſalmographi, Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. [Pſal.83.] Moſes etiam grandis effectus, negauit ſe eſſe filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimãs theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti. aſpiciebat enim in remunerationem. [Hebr.11.] Eruditus in verbo, reperiet bona: & qui ſperat in domino, beatus eſt.) Qui eruditè loquitur, & alios ſapienter inſtruit, ac præcepta bene viuendi docet, ampliſsimum ſui laboris præmium conſequetur: & qui ſuam ſpem collocat in domino (ſi modo eam charitatis ſplendore illuſtrauerit) beatus eſt, non quidem ſimpliciter, ſed certiſsima æternæ felicitatis expectatione. Vnde dicit pſalmographus, Beatus homo qui ſperat in te. Et Eſaias, Beati omnes qui expectant eum. [Pſal.83. Eſaiæ.30.] Qui ſapiens corde eſt, appellabitur prudens: & qui dulcis eſt eloquio, maiora percipiet.) Qui mentẽ habet ſapientia præditam, tametſi non exerceat in ſcholis artem, neque ſuam ſapientiã publice doceat, appellandus eſt prudens, verius ſapiens. Et plerunque nomen prudentis in iſtis Prouerbiis pro ſapiente ſumitur. Et ab illibata catholicæ fidei ſapientia quam in corde cuſtodit, ſapiens dicitur. Etenim officium eſt habitus, denominare ſubiectum in quo eſt. Sed qui politè, diſertè & facundè quam didicit ſapientiã, aut in publicis gymnaſiis docet, aut ad populum prædicat, eamque cõtra hæreticorum inſultus defendit, maiora ſui laboris præmia percipiet, quàm is qui ſola mente ſapiens eſt. Siquidem ſacris doctoribus & prædicatoribus in regno Dei dabitur aureola. Fons vitæ, eruditio poſsidentis: doctrina ſtultorum, fatuitas.) Ex eo coniicere poſſum eruditionem poſsidentis eſſe fontem vitæ, quia doctor eruditiſsimus, & doctiſsimus concionator, ſuis auditoribus cæleſtis vitæ vias aperit: & flagrans amore Dei, quæ verbo prædicat, exercet opere. Et quemadmodum à largifluo fonte profluunt riuuli ad irriganda prata, ita à ſapiente viua aqua profluit ad irrigandos Chriſtianorum animos. Stulti verò quæ ſtolida ſunt, inania & impudica, docent, ex quorum turbidis fontibus lutulenti riuuli ſcatent: & licet didicerint multa etiam ſana & vtilia, quia tamen contemnunt ea bonis operibus preſtare, idcirco ſtulti vocantur. Cor ſapientis erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.) Hæc ſanè verſio videtur innuere ſapientem erudire os ſtulti. Nam diuinare nõ poſſum ad quem referatur eius, niſi ad ſtultum, de quo prius meminit. Sed fruſtra niteretur inſtruere ſtolidum, qui veram ſapientiam deridet & contemnit. Niſi velis dicere genitiuũ eius, ſumi pro ſuo: & ita dicendum eſſe coniicerem, vt ſit planus hic ſenſus, Cor ſapientis erudiet os ſuum, & labiis ſuis addet gratiam. Et ita quidam Hebræi legunt. Siquidem ſapiens antequam loquatur, ne inania verba profundat, quæ dicturus eſt meditatur: & cũ os ſuum expolit & opportunè loquitur, ac ſua dictione auditorum animos ad ſe rapit, miram ſuis verbis adiicit gratiam. Loco huius, Cor ſapientis erudiet os eius, Septuaginta interpretes legunt, καρδία σοφοῦ νοήσει τὰ ἐκ τοῦ ἰδίου στόματος. id eſt, Cor ſapientis conſiderabit quæ à proprio ore. Fauus mellis verba compoſita: dulcedo animæ ſanitas oſsium.) Compoſitiſsima ſapientis verba nõ minus audientium mentes delectãt, quàm fauus mellis guſtum. Impolita verò, barbara & ruſtica verba, & quæ nullo ordine digeſta ſunt, delicatas aures offendunt & faſtidiunt. Sunt etiam verba ſacræ ſcripturæ dulciſsima. Hinc dicebat pſalmographus: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. [Pſal.118.] Quod verò ſubnectitur, Dulcedo animæ, ſanitas oſsium: indicat optimum corporis temperamentum oblectare animam. quo enim corpus melius habet, eo perfectiores anima operationes producit. Poſſunt ſpiritalem amplectendo intelligẽtiam oſſibus virtutes ſignificari, quibus anima delectatur.

¶ *Eſt uia quæ uidetur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Anima laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum. Vir impius fodit malum, & in labiis eius ignis ardeſcit. Homo peruerſus ſuſcitat lites, & uerboſus ſeparat principes. Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per uiam non bonam. Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua perficiet malum. Corona dignitatis ſenectus, quæ in uiis iuſtitiæ reperietur. Melior eſt patiens uiro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore urbium. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à domino temperantur.)*

Quoniam ſunt quædamvitia quæ videntur præ ſe ferre quandam virtutis ſpeciem,id-
circo iis qui ſuis affectibus ſeruiunt, non videntur eſſe peccata,nouiſsima tamē illorum
Prouer.14. ad ſummæ miſeriæ tormenta pertrahunt hominem.Et hoc iam expoſitum eſt. Ani-
ma laborantis laborat ſibi, quia compulit eum os ſuum.) Homo perquirens quæ ſuæ
vitæ neceſſaria ſunt,accingitur labori,& ſudat,& à proprio ore compellitur ad labo-
randum, ac iudicat ſe periturum fame, aut grauem & permoleſtam páſſurū inopiam,
niſi laborando ſui corporis vires explicet.Et hoc pulchrè docuit Paulus in II.ad Theſ-
2.Theſſalo.3. ſalonicenſes epiſtola,dicens:Ipſi enim ſciris quemadmodum oporteat imitari nos,quo-
niam non inquieti fuimus inter vos,neque gratis panem manducauimus ab aliquo,ſed
in labore & in fatigatione nocte & die operantes,ne quemveſtrum grauaremus,nó qua-
ſi non habuerimus poteſtatem,ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitan-
dum nos.Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denunciabamus vobis, quoniam ſi quis
non vult operari,nec manducet.Primus etiam parens è paradiſo eiectus laborauit vt ſi-
Gene.3. bi compararet vitæ neceſſaria,cui dictum eſt ,In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo.

Hiere.9. Vir impius fodit malum,et in labiis eius ignis ardeſcit.)Impius laborat vt iniquè agat,
& toto animi ſtudio excogitat & perquirit qualiter ſuis peruerſis deſideriis fruetur.Fodit
etiam malum,quando deceptionis laqueos ſuo proximo præparat,cuius venenata labia
ſpirant ignem & flammam inuidiæ,rixæ & iracundiæ.Vnde diuus Iacobus loquens de
Iaco 3. lingua hominis quæ multorum animos accendit,& ad ſtrages prouocat,dicit:Ecce quā-
tus ignis quàm magnam ſyluam incendit.Et lingua,ignis eſt,vniuerſitas iniquitatis.Lin
gua conſtituitur in membris noſtris,quæ maculat totum corpus,& inflammat rotā na-
tiuitatis noſtræ,inflammata à gehenna. Homo peruerſus ſuſcitat lites, & verboſus ſe-
parat principes.)Sicut virtus omniū gratiā & beneuolentiā ſibi cōparat & retinet, ita vi-
tium diuellit amicitiam, & iurgia ſeminat. Et huiuſce rei nobis ſuppetit exemplum de
2.Reg.20. peruerſo Seba filio Bochri , qui ſeparauit Iſrael à Dauid.Et paraſitus ac loquaciſsimus
1.Reg.22. adulator ſerit lites inter nobiliſsimos principes, ſicut Doech Idumeus irruens in ſacer-
dotes domini,ſeparauit Saul à Dauid genero ſuo. Vir iniquus lactat amicum ſuum, &
ducit eum per viam non bonam.) Iam patefecimus nihil eſſe nocentius ac peſtilentius
aſſentatore,qui ſimulat ſe amare proximum à quo diligitur,& ei blanditur & plaudit ,vt
poſt blandimenta & aſſentatiunculas eum ad interitum pertrahat. Vnde de huiuſmodi
Pſal.27. perditis nebulonibus ſcriptum eſt in Pſalmis,Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo,
Hiere.9. mala autem in cordibus eorum.Et huic ſententiæ accedit illud Hieremiæ,Sagitta vul-
nerans lingua eorum,dolum locuta eſt. In ore ſuo pacem cum amico ſuo loquitur , &
occultè ponit ei inſidias. Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia ſua perfi-
ciet malum.) Duplici ſigno poſſumus cognoſcere hominem mala cogitantem. Altero,
Iob.15. quòd vehementi & intenſa mali cogitatione attonitos habeat oculos & obſcuratos. Vn
Pſal.111. de dicit Iob,Quid te eleuat cor tuum, & quaſi magna cogitans, attonitos habens ocu-
los? Quòd etiam proterua & forti imaginatione perpetrandi flagitia,demordeat labia
ſua.Hinc illud Pſalmographi,Dentibus ſuis fremet,& tabeſcet. Corona dignitatis ſene-
ctus,quæ in viis iuſtitiç reperietur.) Abſolutiſsima virtutum conſummatio, & eximiæ
dignitatis corona in veneranda ſenectute reperitur, quæ nunquam à recto iuſtitiæ
Sapi.4. calle deflexit , Nec ſenectus omnis inſignem coronam meretur, ſed quæ ſubiuga-
tis animi affectibus, ſuæ probitatis ſpecimen nobis ſpectandum reliquit. Vnde in libro
Sapientiæ ſcriptum eſt,Senectus enim venerabilis eſt,non diuturna,neque annorū nu-
mero computata.Cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.

Melior eſt patiens viro forti: & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.)
Quanto enim animus præſtantior eſt corpore,tanto fortitudo animi,ſcilicet patien-
tiā, qua æquanimiter tolerantur aduerſa, excellentior eſt fortitudine corporis.
Et longè maius eſt deuiciſſe noxios animi affectus,& perdomuiſſe appetitum ſenſitiuū,
quàm munitiſsimas vrbes expugnaſſe.Siquidem internum & domeſticum certamen lō-
gè difficilius eſt extraneo certamine.Quanuis enim homo corporeis viribus aut ſua in-
duſtria expugnauerit vrbes,& caſtra fortiſsima diruerit,nondum tamen ſuo imperat a-
nimo,nec ſemetipſum ſibimetipſi ſubiecit.Hinc fertur Diogenes philoſophus dixiſſe de
Alexandro

Alexādro magno qui multas vrbes euerterat, quòd eſſet ſeruus ſui ſerui. Nam Diogenes effrenatam concupiſcentiam ſedauerat, & appetitum ſenſitiuum rationi ſubiecerat: Alexander verò ſuis voluptatibus, ſuiſque affectibus obſequebatur. Sortes mittūtur in ſinum, ſed à domino temperantur.) Senſus eſt, Sortes in occulto loco reconduntur, vt fortuna recipiantur, & abſque hominum prouidentia: ſed à domino temperantur, cum euentus ſortium à domino expectatur proxime, vel ſanctorum præſidio. Quòd ſi pactum ſit cum dæmone, aut auiditas congerendæ pecuniæ occurrerit, damnandæ ſunt ſortes. De hac re abunde egimus capite. I. Prouerbiorum.

ARGVMENTVM DECIMI SEPTIMI CAP.

Longè iucundius eſt homini exiguo cibo cum tranquillitate animi uictitare, quàm multis affluere diuitiis unà cum iurgiorum admixtione, & magis deo grata eſt uitæ parſimonia, & læta paupertas, quàm rerum opulentia, qui iuſta lance trutinans hominum facta, non minus probat corda quàm ignis aurum & argentum. iis ſiquidem qui miſeris aliorum caſibus condolent, & iuſtè uiuunt, pellucidam & gratiſſimam æterni præmii gemmam tribuit. Improbis uerò qui in alterius ruina lætantur, ſummum ſupplicium irrogat. Abominatur & illos qui iuſtificant impium iuſtum autem mutilant & condemnant, denique pauperem deſpiciunt, diuitem uerò extollunt, fautores pacis odiunt, coniurationum uerò & ſeditionum authores ſingulari amore proſequuntur.

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM.

MElior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm domus plena uictimis cum iurgio. Seruus ſapiens dominabitur filiis ſtultis, & inter fratres hæreditatem diuidet. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat dominus. Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus. Qui deſpicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Corona ſenum, filii filiorum, & gloria filiorum patres eorum. Non decent ſtultum uerba compoſita, nec principem labium mendax.)

Tenuis victus & frugalis plurimum habet iucunditatis, eoque melius nutritur corpus quàm luxu ciborum, & lautiſſimis epulis: & nihil iucundius eſt homini menſa frugali & temperata. Quid enim cupediæ ciborum iurgiis ſuffarcinatæ proſunt homini? Quid iuuant opipara conuiuia, quæ ſanguine hominum conſperguntur? Nonne melius eſt cum buccella panis lætam agere vitam, quàm cum immenſis opibus ſuffundi mœrore? Scitè & lepidè docet Cicero in Paradoxis, parſimoniam eſſe magnum vectigal. Capit (inquit) Cicero. ille ex ſuis prædiis ſexcenta ſeſtertia, ego centena ex meis. Illi aurata tecta in illis, & ſola marmorea, ea facienti, & ſigna, tabulas, ſupellectilem, & veſtem infinitè concupiſcenti, non modò ad fructum ille ſumptus eſt, ſed etiam ad fœnus, exiguus Ex meo tenui vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Vter igitur eſt ditior? cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abūdat? cuius poſſeſsio quo eſt maior, eo plus requirit ad ſe tuendam: an quæ ſuis ſe viribus ſuſtinet? Sed quid ego de me loquor, qui morum ac temporum vitio aliquantum etiam ipſe fortaſſe in huius ſeculi errore verſer? M. Manilius patrū noſtrorū memoria (ne ſemper Curios & Lucios loquamur) pauper tādem fuit. Habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Lauicano. Nos igitur ditiores, qui plura habemus? Vtinam quidem eſſemus. Sed non æſtimatione cenſus, verùm victu atque cultu terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum, pecunia eſt. Non eſſe emacem, vectigal eſt. Contentum vero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque diuitiæ. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores prata & areas quaſdam magno æſtimant, quòd ei generi poſſeſsionum minime quaſi noceri poteſt: quanti eſt æſtimanda virtus; quæ nec eripi nec ſurripi poteſt vnquam? neque naufragio neque incendio amittitur, nec tempeſtatum nec temporum permutatione mutatur: qua qui præditi ſunt, ſoli ſunt diuites. Soli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas, ſolique (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. Satis eſſe

putant quod eſt,nihil appetunt, nulla re egent,nihil ſibi deeſſe ſentiunt , nil requirunt.
Improbi autem & auari,quoniam incertas atque in caſu poſitàs poſſeſsiones habent, &
plus ſemper appetunt,nec eorum quiſquam adhuc inuentus eſt, cui quod haberet, eſſet
ſatis:non modò non copioſi ac diuites,ſed etiam inopes ac pauperes æſtimandi ſunt.Et
libro V.Tuſculanarum quæſtionum agens de bonis parſimoniæ,dicit, iucunditaté vi-
ctus eſſe in deſiderio,nó autem in ſatietate.Et hoc probat exemplo Timothei clari ho-
minis,& principis ciuitatis Athenarum:qui cum cœnauiſſet apud Platonem,eoq̃ue cō-
uiuio admodum delectatus eſſet,& vidiſſet eum poſtridie,dixit, Veſtræ quidem cœnæ
non ſolum in præſentia,ſed etiam poſtero die iucundæ ſunt.Quid quòd ne mente qui-
dem recte vti poſſumus multo cibo & potione completi?Hæc ille. Seruus ſapiens do-
minabitur filiis ſtultis,& inter fratres hæreditatem diuidet.) Rationi conſentaneum eſt,
vt ſapientes ſtultis præferantur,eiſque imperent:& plerunque contingit vt filij prodigè
viuentes paternam hæreditatem vendant iis qui diligenter patri famulati ſunt. Et cum
liberi ſua decoquentes patrimonia profuſe viuunt,& in partitione bonorum ſententiis
diſsident, ſerui prudentes & compoſiti moribus, eis pro æquo & bono ſua partiuntur.
Aut quòd empto bona ex parte patrimonio hæreditatis ſint participes. Sicut igne
probatur argentum,& aurum camino , ita corda probat dominus.) Non minus deus
ſuos athletas ſuoſque milites in difficili aduerſitatum certamine probat ſi nam fortes
ſint & conſtantes in perferendis tribulationibus, quàm igne probetur argentum & au-
rum ſi purum ſit vel adulterinum.Quòd ſi coram hominibus tormenta paſsi ſint , ſpes
Sapi.3. illorum immortalitate plena erit. In paucis enim vexati , in multis bene diſponentur,
quoniam deus tentauit eos,& inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace pro-
bauit illos,quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos,& in tempore erit reſpectus illorum.
Eccleſ.2. Et huic Sapientiæ loco ſubſcribit illud Eccleſiaſtici, In humilitate tua patientiam habe,
quoniam in igne probatur aurum & argentum , homines vero receptibiles in camino
Eccleſ.27. humiliationis. Et alibi, Vaſà figuli probat fornax,& homines iuſtos tentatio tribulatio-
nis. Tum quoque Iob oſtendés dominum ſcire vias noſtras,& quò tendant noſtræ co-
Iob.23. gitationes,dicit,Probabit me quaſi aurum,quod per ignem tranſit. Malus obedit lin-
guæ iniquæ , & fallax obtemperat labiis mendacibus.) Improbi famuli obtemperant
tyranno iniuſta præcipienti,cui tamen non deberent obſequi:quandoquidem ſuperio-
ribus duntaxat in licitis & honeſtis debemus morem gerere. Sed flagirioſi ſerui iniuſtis
dominis illicita & inhoneſta iubentibus obediunt,vt eorum gratiam demulceant, & ab
eis beneficia conſequantur : & impudentiſsimi teſtes cum vident iudicem donis corru-
ptum magis declinare in vnam partem quàm in alteram, & propéſius vni fauere quàm
Eccleſ.10. alteri,corruptiſsimo & mendaciſsimo iudici obſequuntur. Vnde dicit Eccleſiaſticus:Se-
cundum iudicem populi,ſic & miniſtri eius:& qualis rector eſt ciuitatis, tales inhabitá-
tes in ea. Qui deſpicit pauperé,exprobrat factori eius:& qui in ruina lætatur alterius,
non erit impunitus.) Hæc ſententiola,Qui deſpicit pauperem , exprobrat factori eius:
Prouer.14 ſimilis eſt illi iam explicatę,Qui calumniatur egenté,exprobat factori eius.Sed qui gau-
det de ruina peccati alterius,non effugiet ſupplicia.Si enim condolere nos oporteat ca-
ſibus aliorum,& contriſtari de lapſu proximi,non debemus lætari ſi viderimus fratrem
Iob.31. noſtrum enorme quoddam ſcelus perpetraſſe.Hinc illud Iob,Si gauiſus ſum ad ruinam
eius qui me oderat,& exultaui quòd inueniſſet eum malum.Non enim dedi ad peccan-
dum guttur meum,vt expeterem maledicens animam eius. Et huic ſubſcribit ſententiæ
Mich.7. quod dicit Micheas propheta,Ne læteris inimica mea ſuper me,quia cecidi.Et licet ne-
mo lætari debeat per ſe de ruina alterius, poteſt tamen per accidens lætari , cum agno-
Pſal.57. ſcit illum qui intulerat damnum Reipublicæ , affligi . Siquidem dicit propheta, Læta-
bitur iuſtus cum viderit vindictam. Corona ſenum filij filiorum , & gloria filiorum
patres eorum.) Gloria patris eſt videre filios filiorum : vnde antiqui patres gloriaban-
tur quòd antequam è vita deciderét,viderent filios filiorum vſque in tertiam aut quar-
Geneſ.50. tam generationem : quod nobis exploratum eſt de ipſo Ioſeph qui vidit Effraim filios
vſque ad tertiam generationem. Dixit etiam Gabelus Tobiæ iuniori cum ad eius nu-
Tobiæ.9. ptias venit,Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi viri,& iuſti,& timentis Deum,
& elec-

& eleemoſynas facientis,& dicatur benedictio ſuper vxorem tuam,& ſuper parentes ve-
ſtros,& videatis filios veſtros,& filios filiorum veſtrorum vſque in tertiam & quartã ge-
neratiõẽ. Et in Pſalmis ſcriptũ eſt de illo qui ambulat in viis domini, Et videas filios fi- Pſal. 127.
liorũ tuorum pacem ſuper Iſrael. Cedit quoque in perpetuum decus filiorum, ꝙ ex opti-
mis & nobiliſsimis parentibus ſint orti. Non decent ſtultum verba cõpoſita, nec prin-
cipem labium mendax.) Stultus importunè loquitur & imprudenter, nec dicacem lin-
guam refrenat, nec dignus eſt vt publicum legationis munus obeat, quod ſane grauita-
tem hominis, modeſtiam & linguæ compoſitionem requirit. Princeps verò,& qui rei-
publicæ pręeſt, quoniam debet eſſe quaſi viua lex,& animata iuſtitia,& ſuorum ſubdito-
rum regula qua à vitiis reuocentur, & ad virtutem incitentur, nullum debet effutire
mendacium, ſed conſilio, prudentia & omnibus præſidiis veritatem tueri, eamq́ue il-
libatam conſeruare.

Gẽma gratiſsima expectatio præſtolantis: quocunque ſe uerterit, prudenter intelliget. Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos. Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centũ plagæ apud ſtultum. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis urſæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.)

Sũmopere gaudet qui rebus ſumme deſideratis perfruitur,& exiſtimat ſuis oculis ſub-
iectam eſſe gemmã precioſiſsimam cũ ſui voti fit cõpos, nec poteſt quieſcere donec ob- Lucę. 2.
tineat quod diu expectauit. Siquidẽ gratiſsima fuit gẽma ipſi Symeoni viro ſane iuſtiſ-
ſimo, videre Chriſtũ, eũque ſuis vlnis amplexari. Is equidem expectans conſolationẽ Iſ-
rael, reſponſum acceperat à ſpirituſancto ſe non viſurũ mortẽ, niſi pri⁹ videret Chriſtũ
domini. Et venit in ſpiritu in templũ: & cũ inducerent puerũ Ieſum parẽtes eius, vt face-
rẽt ſecundũ conſuetudinem legis pro eo,& ipſe accepit eũ in vlnas ſuas,& benedixit deũ,
& dixit, Nunc dimittis ſeruũ tuũ domine ſecundum verbũ tuum in pace, Quia viderunt
oculi mei ſalutare tuum, Quod paraſti ante faciem omnium populorum, Lumẽ ad reue
lationẽ gentiũ,& gloriam plebis tuæ Iſrael. Qui denique iuſtorum præmia fideliter expe
ctat, quaſi gemmę ſplendidiſsimæ poſſeſsione lętatur. Nam & in euangelio ſapiens nego
ciator pro acquiſitione precioſæ margaritæ vendit omnia quæ habet,& talis exactor, ſi- Mat. 13.
ue aduerſa ſiue proſpera contigerint, à ſua intentione non flectitur, prudenter intel- Roma. 8.
ligens quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Qui etiã ſperant ſe
futuros dei filios,& aſſequuturos ęternam gloriã, gloriantur. Vnde dicit Paulus, Gloria- Roma. 5
mur in ſpe gloriæ filiorũ dei. Qui celat delictum, quęrit amicitias: qui altero ſermo-
ne repetit, ſeparat fœderatos) Qui ſui proximi vitiũ obtegit, nec occultũ crimẽ aperit,
partã tuetur amicitiam: quandoquidem euertit ordinẽ charitatis, quo obſtringitur dili-
gere proximũ ſicut ſeipſum, qui ſecretũ ſui amici delictũ detegit, vbi nõ deuergit in per-
niciẽ reipublicæ,& futura eſt ſpes emendationis fratris. Nã dicit Chriſtus, Si peccauerit Mat. 18.
in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipſum ſolum. Et huic ſubſcribit ſententiæ
Paulus in epiſtola ad Galatas, dicẽs, Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo de- Gala. 6.
licto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, cõſiderãs teipſum,
ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate,& ſic adimplebitis legem Chriſti. Qui verò
alterius verba calũniatur, aut aliter q̃ audiuit reſumit, immutando verba, aut nonnihil
peruerſe adiiciendo, diuellit amicitiam,& diſiungit ſummo fœdere copulatos. Loco hu-
ius contextus, Qui altero ſermone repetit, ſeparat fœderatos, Septuaginta interpretes
legunt, ὃς δὲ μισεῖ κρύπτειν, ἵστησι φίλους ϗ οἰκείους. Id eſt, Qui autem odit celare, erigit
amicos & domeſticos. Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum pla-
gæ apud ſtultũ.) Fraterna correctio maximè prodeſt illi qui eam prompta voluntate
recipit,& erubeſcit cum plane intelligit ſe leniter corrigi, cui ſanè ſua ratio eſt magiſtra,
cui propria conſcientia eſt virga, cui ingenita verecundia lex eſt diſciplinæ. Stulto ve-
rò, & homini perfrictæ frontis, ac incorrigibili, etiam ſi acerrimis flagris afficiatur,
non prodeſt correctio, immo plerunque ĩ caſtigatione fit deterior. Semper iurgia
quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.) Seditioſus & vehementis
iracundiæ paſsionibus addictus, excitat rixas & iurgia: ſed angelus, id eſt nuncius, &
potiſsimũ malignus ſpiritus, omniũ crudeliſsimus, à quo mirũ in modũ torquẽtur impij,

aduerſus illum mittetur,vt eum mille tormentorum modis cruciet,quemadmodum de
Pſal.77. Aegyptiis fertur in pſalmo,Miſit in eos iram indignationis ſuæ,indignationem & iram & tribulationem,immiſsiones per angelos malos. Expedit magis vrſæ occurrere raptis fœtibus,quàm fatuo confidenti ſibi in ſtultitia ſua.) Vrſa raptis ſuis catulis maxime ſæuit & furit.Nam ſuos fœtus maximè diligit,diligentius nutrit,atque lambit : idcirco primum ſibi occurrentem ſolet inuadere,ſuſpicans ſuos catulos ab eo fuiſſe raptos.Sed minus periculoſum eſt occurrere vrſæ raptis catulis quàm ſuperbo in ſua ſuperbia confidenti,& cuique homini nocentiſsimo, qui non ſolum ſtudet corpori verumetiam & animæ perniciem inferre. Et huic quoque loco cohæret præclara illa Ariſtotelis ſentē-
1.Politi.2. tia:Vt enim perfectione ſuſcepta optimum cunctorum animalium eſt homo,ita ſi alicnus fiat à lege & à iudiciis,peſsimum eſt omnium animalium . ſæuiſsima enim eſt iniuſtitia tenens arma.Homo verò arma tenet per innatam prudentiam atque virtutē,quibus plurimum valet in contrarium vti. Itaque impiiſsimum & immaniſsimum eſt ſine virtute,ad libidinem cibationemque deterrimum.

¶ *Qui reddit mala pro bonis,non recedet malum de domo eius. Qui dimittit aquam , caput eſt iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam,iudicium deſerit.Et qui iuſtificat impium,& qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt uterq; apud deum.Quid prodeſt habere diuitias ſtulto,cum ſapientiam emere nō poſsit? Qui altam facit domum ſuam,quærit ruinam:& qui euitat diſcere,incidit in mala. Omni tempore diligit qui amicus eſt,& frater in anguſtiis comprobatur.Homo ſtultus plaudet manibus cum ſpoponderit pro amico ſuo. Qui meditatur diſcordias,diligit rixas:& qui exaltat os ſuum,quærit ruinam Qui peruerſi cordis eſt, non inuenit bonum:& qui uertit linguam,incidet in malum.)* Maxima ingratitudinis nota inuritur, qui pro bono malum rependit,& illi nocet de quo bene meritus eſt,nec beneficium acceptum recognoſcit,ſed obliuioni tradit,ſicut Iudaicus populus curauit Chriſtū (à quo ſumma beneficia acceperat)affigi cruci,de quo dominus per Eſaiam conqueritur dicēs,
Eſaiæ.1. Filios enutriui & exaltaui,ipſi autem ſpreuerunt me. Et quia malum pro bono reddiderunt,& aduerſum dominum murmurauerunt,de eorum familia & domicilio animę nō receſsit malum,& duras tribulationum anguſtias pertulerunt. Vnde in libro Hieremiæ
Hiere.17. ſcriptum eſt,Relinquêris ſola ab hæreditate tua quam dedi tibi, & ſeruire te faciam inimicis tuis in terra quam ignoras. Qui dimittit aquam,caput eſt iurgiorum:& antequā patiatur cōntumeliam,iudiciū deſerit.) Qui permittit aquam ex alueo ſui fluminis erūpere in terrā aut prata alterius,concitat iurgia: & antequā patiatur contumeliā à proximo,deſerit iudicium,lædendo proximum ſine cauſa. Hebræi proximè accedentes ad mentem Salomonis,legunt,Qui aperit aquam,principium eſt iurgiorum. & hoc exponens Rab.Sa.dicit illum qui in alueo fluminis facit aperturam , vt aqua inde decurrat, inceptare iurgia. Quidam illum Salomonis locum ita explicant:Qui negligit bibere aquam,& ſeipſum obruit vino, caput eſt iurgiorum quæ ex temulentia proficiſcuntur. Sed mollior æquo videtur eſſe interpretatio , & quæ parum ſpirat genium Salomonis. Septuaginta interpretum verſio habet , Licentiam dat ſermonibus principium iuſtitiæ , præcedit autem egeſtatem contentio & pugna. Et qui iuſtificat impium,& qui condemnat iuſtum , abominabilis eſt vterque apud deum.) Qui aſſerit illum eſſe iuſtum & innocentem , quem tamen ſcit eſſe nocentem,& reum ac dignum morte , abominabilis eſt coram domino,qui conqueritur de iniuſtiſsimis cenſoribus , qui in ſceleratos non animaduertunt,& iuſtos acriter torquent,quos aliquando morti adiudicant.
Eſaiæ.5. Dominus per Eſaiam imprecatur malum iis qui iuſtificant impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferunt ab eo.Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit,ſic radix eorum ſicut fauilla erit , & germen eorum vt puluis aſcendet.
Matt 27. Et quis ignorat perditiſsimos Iudæos iuſtificaſſe impium Barabbam,& Chriſtum inno-
Ezech.13. centem condemnaſſe? Et de talibus loquitur dominus in Ezechiele dicens , Et cum caperent animas populi mei , viuificabant animas eorum , & violabant me ad populum meum propter pugillum hordei,& fragmen panis, vt interficerent animas quæ nō moriuntur., & viuificarent animas quæ non viuunt , mentientes populo meo credenti mendaciis. Quid prodeſt habere diuitias ſtulto , cum ſapientiam emere non poſsit?) Diuitiæ magis obſunt ſtulto qui eis abutitur,quàm proſint.quòd ſi terrenis opibus bene

vteretur,

vteretur,& pietatis officia exerceret,poſſet internas ſapientiæ diuitias ſibi comparare. Nec id à Salomone dictum putes, quòd liceat ſpiritualia bona temporalibus emere,ſed hoc ad metaphoram referas,ſicut dominus in euangelio dicit, Serue male & piger, ſcie- Mat.25. bas quia meto vbi non ſemino,& congrego vbi non ſparſi:oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis,& veniens ego recepiſſē vtique quod meum eſt,cũ vſura. Itaque externæ diuitiæ ſine interioribus obſunt,& plerũque incitant hominem ad multa flagitia perpetranda. Qui altam facit domum ſuam,quærit ruinam: & qui euitat diſcere,incidit in mala.) Decidit in ruinã,& ſui deiectionem,qui ſeipſum, ſuamque familiam aut ſuos parentes ſuperbè extollit:& qui ampliſſimis principum diuitiis furto ſublatis ſuam domum ſumptuoſiorem & magnificentiorem reddunt,maiori vitę diſcrimini ſe exponunt. Denique ſuperbus & nimius ſui laudator ſuas fortunæ aut animi opes impenſius extollendo,præcipitium facit, & à domino deiicitur. Qui etiam negligit diſcere quæ ſaluti ſuæ animæ neceſſaria ſunt, aut contemnit ſuæ vitæ quibuſdam adiuuentis conſulere,perpetietur mala,& affligetur. Omni tempore diligit qui amicus eſt,& frater in anguſtiis comprobatur.) Qui ſe talem pręſtat amicum qualem decet, omni tēpore opportuno ſuam aperit amicitiam,quandoquidem tempore proſperitatis,& cũ ſecũda quęque amico cõtingunt,ei plaudit & arridet:cũ vero aduerſa feriũt amicum & vulnerant,triſtatur,& faciem deiicit,nec minus putat ſe affici & torqueri,quàm amicum. vnde dicit Cicero in opuſculo de amicitia,Nihil eſt enim amicitia tam naturę aptum,tam conueniens ad res vel ſecundas vel aduerſas. Secundas etiam res ſplendidiores facit amicitia,& aduerſas patiēs communicanſque,leuiores. Hæc ille. Et ſyncera & maxime feruēs amicitia ſe prodit in anguſtiis. Tunc agnoſcitur verus & germanus frater,qui ſui fratris inopiam ſubleuat. Hoc autem de ipſo Ioſeph nos ſacræ docent literæ,qui ſuis fratri- Gene.42. bus fame preſſis prompto animo ſuccurrit. &.44. Homo ſtultus plaudet manibus,cum ſpoponderit pro amico ſuo) Stolidus & imprudens geſtit animo & exhilareſcit cum ſpopondit pro amico ſuo, & æſtimat ſe leui etiam & repentina fideiuſſione rem magni momenti feciſſe,non animaduertens quanto periculo ſe expoſuerit,nec perpendēs animo illam Sapientiæ ſententiam,Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo,defixiſti apud ex- Prouer.6. traneum manum tuam. Qui meditatur diſcordias, diligit rixas:& qui exaltat os ſuum, quęrit ruinam) Qui verſat animo diſcordias,& tacito ſub pectore excogitat ſeminare cõtentiones,diligit rixas quæ ex diſcordiis oriuntur. Et qui ſe ſuaq́ue omnia iactat, & ſeipſum extollit,quærit per accidens ſuipſius ruinam. Nam cum ſuperbe & arroganter ſe præfert aliis, multorum inimicitiam & odium incurrit. Qui peruerſi cordis eſt, non inuenit bonum: & qui vertit linguam, incidet in malum.) Qui peruerſo animo molitur malum,nec aliud optat quàm aliis detrimentum adferre,à ſeipſo ſuaq́ue malitia decipietur, nec pœnam ſuis peſtilentiſſimis cogitationibus debitam euadet. Et qui vertit linguam adulando vel diffamando,corruet in malum & culpæ & pœnæ. Ille vertit linguam,qui nunc cuipiam aſſentatur,& paulopoſt eum deridet:modo etiam laudat,modo vituperat:qui magis quàm peſtis fugiendus eſt, Quamobrem dicit Cicero libro primo officiorum, Cauendum eſt ne aſſentatoribus patefaciamus aures,nec adulari nos ſinamus. in quo falli facile eſt. Tales enim nos tũc putamus eſſe,vt iurę laudemur:ex quo naſcuntur innumerabilia peccata,quum homines inflati opinionibus,turpiter irridentur,& in maximis verſantur erroribus.

¶ *Natus eſt ſtultus in ignominia ſua,ſed nec pater in filio fatuo lætabitur. Animus gaudens ætatem floridam facit,ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Munera de ſinu impius accipit, ut peruertat ſemitas iudicii. In facie prudentis lucet ſapientia,oculi ſtultorum in finibus terræ. Ira patris filius ſtultus, & dolor matris quæ genuit eum. Non eſt bonum,damnum inferre iuſto, nec percutere principem qui recta iudicat. Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt,& precioſi ſpiritus uir eruditus. Stultus quoque ſi tacuerit,ſapiens reputabitur:et ſi cõpreſſerit labia ſua,intelligens.)*

Stultus ob ſuæ vitæ improbitatem ab omnibus deſpicitur, & eius ſtultitia ac iniquitas facit vt ſordibus ignominiæ conſpergatur. Nec ex eo natus eſt ſtultus in ignominia ſua, quòd exordio ſuæ natiuitatis iuncta ſit ignominia,ſed quòd ad ſuam natiuitatē cõſequatur ignominia & deſpectio,& quia aſſueſcit vitiis,& optima naturę ſeminaria

contaminat, iuſte contemnitur: de cuius ſtoliditate & inſipientia pater triſtatur. Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis exiccat oſſa.) Nihil valetudini corporis vtilius eſt quàm lætari & iucũde viuere. Nihil etiam æquè floridam hominis ætatem facit quàm ſyncera animi lætitia, quæ in corporis incolumitatem redũdat. Quòd ſi ſpiritus hominis mœrore & moleſtiis torqueatur, & nimia triſtitia perfundatur, ſubitò contabeſcet corpus, & ſiccitate marceſcet. Quare danda nobis eſt opera, vt non exhibeamus animæ noſtræ triſtitiam. quòd ſi in animam inciderit, ſtudeamus pro viribus eam ſubitò auellere: & diuturnam ac lætam viuemus vitam, ſi modò rerum terrenarum ſollicitudine non diſcruciemur. Nec ab hac Salomonis ſententia euariat illud

Eccleſ. 30. Eccleſiaſtici, Iucunditas cordis hæc eſt vita hominis, & exultatio viri eſt longæuitas.

Munera de ſinu impius accipit, vt peruertat ſemitas iudicij.) Iniquus & fraudulentus iudex occulte munera accipit, quibus æquitatis iura violat, & iuſtitiæ leges frangit: quo

1. Reg. 8. me hercules nihil eſt reipublicæ nocentius ac pernicioſius. Filij Samuelis male audierũt apud filios Iſrael, quibus in iudicando præficiebantur, quòd acceperint munera, & peruerterint iudicium. In facie prudentis lucet ſapientia, oculi ſtultorum in finibus terræ.) Candor animi & vera cordis diſpoſitio reſplẽdet in vultu, quo genuinam naturam & bonam indolem veriſimili coniectura cognoſcimus. Et huic loco cohæret illud Ec-

Eccleſ. 8. cleſiaſtæ, Sapiẽtia hominis lucet in vultu eius. Dicit etiam Eccleſiaſticus, Ex viſu cogno-

Eccleſ. 19. ſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus. Oculi verò ſtultorum carnalibus voluptatibus affixi, vndique euagantur. Idcirco dicuntur eſſe in finibus terræ, & ad vanitatum omnium ſpeculaurioſiſsime ſubriguntur. Ira patris, filius ſtultus, & dolor matris quæ genuit eum.) Vehementer iraſcitur pater cum videt filium ab optimis ſuorum parentum moribus degenerare: cuius vitia tranſfigunt cor ſuæ matris, eique ſummum dolorem adferunt. Non eſt bonum, damnum inferre iuſto, nec percutere principem qui recta iudicat.) Inhumanum eſt & crudele perſequi iuſtos, eorumque bona diripere: quandoquidem colendi ſunt viri iuſti, & ab omnibus diligendi, qui ſuis indefeſsis laboribus & aſsiduis ſtudiis rempublicam fouent, tuentur & conſeruant, nec ſinunt cuipiam fieri iniuriam, nec ſceleratorum flagitia tolerant. Et longè peius eſt & crudelius percutere & interimere nobiliſsimum principem qui rectà iudicat, nec permittit æquitatis iura labefactari, qui denique communem reipublicæ vtilitatem magis quàm ſuam amat, & in ſui populi commodum omnia ſua ſtudia confert, cui etiam nihil gratius eſt & iucundius quàm amicè & tranquillè cum ſuis ſubditis viuere. Quòd ſi de vita periclitari debeamus pro tuenda & incolumitate & gloria noſtri principis, immaniſsimi certe videremur ſi noſtro principi iuſtiſsimo inſultaremus, eumque maledi-

Exod. 22. ctis & conuiciis inceſſeremus. Siquidem vetuit dominus per Moſen Iſraelitico populo,

Hier. 41. ne ſuo principi malediceret. Reprehenditur Hiſmael quòd interfecerit Godoliã, qui rectè iudicabat populum, & quem rex Babylonis præfecerat ciuitatibus Iudæ. Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt, & precioſi ſpiritus vir eruditus.) Facilè lingua abſque retinaculo prudentiæ labitur, & viris probis conuiciatur, ſuumque maledicendi virus effundit: difficilè verò ruit, cum rationis & prudentiæ habenis refrenatur. Quamobrem prudens cenſetur & ſapiens, qui ſuam linguam ſuoſque ſermones moderatur, nec quicquam dicit & profert quod non ſit longa animi meditatione diſcuſſum & elaboratum. Precioſiſsimum eſt & ſelectiſsimum margaritum vir & moribus & ſapientia eruditus, cui nullæ gemmæ, quantumuis auro & argento veſtitæ ſint & expolitæ, conferri poſſunt. Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur: & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.) Quoniam proprium eſt ſtulto loquitari, & in dicaciſsima verba erumpere, ſi inter ſapientes tacuerit, reputabitur ſapiens. Nam taciturnitas ſtulto homini loco ſapientiæ eſt, quæ à ſapientis maturitate proficiſcitur, qui velox eſt ad audiendum, & tardus ad loquendum. Demum ſtultus cenſetur intelligens, & obaudire rationi, cum ſua comprimit labia, ne in ſtolida & inania verba prorumpat.

ARGVMENTVM DECIMIOCTAVI CAP.

Qui nititur arctiſsimum amicitiæ uinculum diſrumpere, uafras & commẽtitias quærit occaſiones, & ſimulat ſe amicitiam tueri, cum diſſolutionem diſquirit: nec amplius rubore ſuffunditur cum fracto charitatis nexu & erga Deum & hominem impia & inaudita flagitia perpetrat, & factus uiliſsimum peccati mancipiũ deſideria carnis ſectatur & perficit, quem ignominia & opprobrium ſuis laqueis inuoluunt, à quibus abſque diuina ope & clementiſsima Dei miſericordia explicari nequit, nec à ſordibus animi repurgari poteſt, nec iuſtificari, niſi ſeipſum ultro accuſet, ſuamq́; agnoſcat culpam: in cuius animo, lingua & manibus, mors eſt & uita, & ad huius uel illius ſemitam ſpontè inflecti poteſt.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM.

OCcaſiones quærit qui uult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Non recipit ſtultus uerba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ uerſantur in corde eius. Impius cum in profundum uenerit peccatorum, cõtemnit, ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium. Aqua profunda, uerba ex ore uiri, & torrens redundans fons ſapientiæ. Accipere perſonam impii in iudicio non eſt bonum, ut declines à ueritate iudicii. Labia ſtulti immiſcent ſe rixis & os eius iurgia prouocat.) Struit calumnias, & iniuſtas quærit occaſiones, qui cupit ab integerrimo amico ſeparari. Nam cum amatur ab illo qui ſibi eſt moribus & literis & virtute ſimilis, & familiari conſuetudine cum eo diu verſatus eſt, nec præbuit anſam diuellendæ amicitiæ, non debuit ſimulato animo moliri occaſionem vt ab illo ſepararetur, cui prius ſummo neceſsitudinis glutino copulatus erat. Idcirco ficta occaſione & callido prætextu recedens ab optimo amico, omni tempore erit exprobrabilis, eique probro vertetur quòd tam facilè & abſque iuſta cauſa amicitiam violauerit: quod tanto peius eſt, quàm falſare pecuniam, quanto amicitia melior eſt pecunia. Et hic agimus de vera &
perfecta amicitia, quæ virtutibus & bonis honeſtis innititur. Bonorum ſiquidem ami- 8 Ethi. 3.
citia, ſimiliumque virtute, (authore philoſopho) perfecta eſt amicitia. Hi nanque mutuò ſibi bona ſimiliter volunt, quo boni ſunt, boni verò ſunt per ſeipſos. Atque ij maximè ſunt amici, qui bona amicis illorum gratia volunt. propter ſeipſos enim ita ſeſe habent, & non per accidens. Permanet igitur horum amicitia quandiu ſunt boni. At virtus res permanens eſt. Sed amicitia vtilis & delectabilis facilè diſſolui poſſunt, non permanentibus ipſis ſimilibus. Nam ſi non vlterius iucundi ſint aut vtiles, amare deſiſtunt. Vtilitas autem non permanet, ſed aliâs alia fit. dimoto igitur eo propter quod erant amici,
diſſoluitur & amicitia, vtpote quæ ob illud erat. Dicit etiam Cicero de amicitia, ipſam Cicero.
virtutem amicitiam gignere & continere, nec ſine virtute amicitiam eſſe vllo pacto poſſe. Et loquitur, vt perſpicuum eſt, de amicitia per ſe & perfecta. nam amicitia per accidens, non eſt ſimpliciter dicenda amicitia. Et in eodem opuſculo oſtendit, quod ſane à noſtro inſtituto non eſt alienum, difficile eſſe amicitiam vſque ad extremum vitæ diẽ conſeruare. Nam vt dicebat Scipio, ſæpe mutantur mores hominum, aliàs aduerſis rebus, aliâs ætate ingraueſcente. Atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineũtis ætatis, quòd ſummi puerorum amores ſæpe vnà cum prætexta ſumpta toga deponerentur. Sin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen interdum cõtentione, vel luxuriæ, vel conditionis, vel commodi alicuius, quod idem adipiſci vterque non poſsit. Quòd ſi qui longius in amicitia prouecti eſſent, tamen ſæpe labefactari, ſi in honoris contentionem incidiſſent. Peſtem enim maiorem eſſe nullam in amicitiis, q̃ in pleriſque pecuniæ cupiditatem, in optimis quibuſque honoris certamen & gloriæ, ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſsimos extitiſſe. Hæc ille. Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde eius.) Non acquieſcit ſtultus exhortationibus prudentum, nec putat ſapientes dicere quæ ſeria ſunt, & ſibi vtilia, & eo minus & tardius prudentibus obſequitur, quo magis vitio imprudentiæ laborat.
Hinc illud Eccleſiaſtici, Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non te- Eccleſ. 21.
nebit. Dicebat etiam Chriſtus ſtultis & inuidis Phariſæis: Sermo meus non capit in vo- Ioan. 8.
bis. Ea tamen mire placent ſtultis, quæ in corũ animo verſantur. Quòd ſi dixeris ludicra

& vana quædam ac inania ſomnia de quibus cogitant, te diligent. Aliquando tamen ſtulti & vitioſi præueniente Dei gratia lubenter audiunt quod ſaluti magnopere conducit,& ad horam accuſante conſcientia compunguntur: ſed quia ſtabilem & firmam Lucæ.8. radicem non habent, in tempore tentationis recedunt. Impius cum in profundum venerit peccatorum,cõtemnit,ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.) Cum impius ſuarum voluptatum cœno volutatur,& in vitiorum omnium voraginem demergitur,contemnit correctionem,& pœnarum comminationem,& peruerſa conſuetudine induratus,& peccatorũ iugo alligatus,exiſtimat omnia ſibi licere,cui horrenda & enormia flagitia aut parua aut nulla eſſe videntur. Quòd ſi propter ſuæ mentis obſtinationẽ à domino deſpectus fuit, (quem tamẽ prius deſeruit & deſpexit) vix vnquam reſipiſcet. Eccleſ.7. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Conſidera opera Dei, quòd nemo poſsit corrigere quem ille deſpexerit. Licet ſpeciali Dei patrocinio adiutus, poſsit ſalutarem agere pœnitentiam, & ad Dei clementiſsimi gratiam, à qua exciderat, redire. Hoc autem notum euadit de ipſo Manaſſe, quo nemo vnquam ſceleratior fuit, qui ad diuinam miſericordiam confugiens, ſua peccata defleuit, & deflendo ſuæ iniquitatis veniam conſecutus eſt. Cum tamen impius in ſua impietate perſeuerat, nec vllus ſui delictiſ dolor eum macerat & compungit, meretur maxima cum ſui ignominia & opprobrio vt in profundiſsimum infernum detrudatur. Aqua profunda, verba ex ore viri,& torrens redundans fons ſapientiæ.) Quemadmodum non poteſt quis facilè ad imum ac profundum aquæ attingere, ita non poteſt ad abditiſsima ac ſecretiſsima viri ſapientis verba pertingere, à cuius torrentiſsimo & profluentiſsimo fonte dimanant aquæ viuæ, quibus ſitibundi ſuam ſitim Ioan.4. reſtinguere poſſunt: & qui feruenti ac ſyncera fide bibit aquam ſapientiæ, non ſitiet in æternum. Sunt qui dicunt verba ſapientum aquis comparari, quia & lauant mentes audientium & irrigant, ne vel peccatorum ſorde deformes remaneant, vel doctrinæ cæleſtis inopia tabeſcant, & quaſi nociua ariditate deficiant. Accipere perſonam impij in iudicio non eſt bonum, vt declines à veritate iudicij.) Peruertit ordinẽ iuris & iuſtitiæ, qui quorundam blandimentis, fauore aut muneribus illectus, in iudicio præfert indignum digno, & impium iuſto: quod certe faciunt multi prælati Eccleſiaſtici in diſtribuendis rerum eccleſiaſticarum ſacerdotiis, qui quorundam paraſitorum aſſentatiunculis infatuati, plura deferunt hominibus quàm virtuti, & plerunq; præferunt indoctos doctis. Denique iudices donis corrupti polluunt & cõtaminant ſacra æquitatis iura, nec eos pudet pauperes iniuſtitia & calumniis oppreſsiſſe. Et quia agunt contra iuſtitiam diſtributiuam qui in iudicio accipiunt perſonam, & magis perſonas quàm cauſas conſiderant, nec vllam habent meritorum rationẽ, idcirco tenentur ad reſtitutionem ei cui Leuit.19. iniuſte intulerunt damnum. Hinc vetitum erat in lege Moſaica ne quis conſideraret perſonam pauperis, nec honoraret vultum potentis. Quòd autem peſsimum ſit malum, & mortiferum delictum, accipere perſonam impij in iudicio, oſtendit propheta dicens, Pſal.81. Vſquequo iudicatis iniquitatem,& facies peccatorum ſumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iuſtificate. Labia ſtulti immiſcent ſe rixis, & os eius iurgia prouocat.) Quoniam ſtultus abſq; vlla animi moderatione verba profundit,& temere ac procaciter loquitur,& in omnes ſuæ viperinæ linguæ venena ſpargit, idcirco omnium rixis ſeſe immiſcet, & ſuo maledico ore iurgia concitat, nec eum pudet quòd conuiciis & contumeliis viros inſignes & virtute conſpicuos inceſſuerit, & amarulentis ſuæ linguæ ſputis conſpurcauerit.

¶ *Os ſtulti contritio eius, & labia ipſius ruina animæ eius. Verba bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt uſque ad interiora uentris. Pigrum deiicit timor, animæ autem effœminatorum eſurient. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſsipantis. Turris fortiſsima nomen domini, ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur. Subſtantia diuitis, urbs roboris eius, & quaſi murus ualidus circundans eum. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.)*

Luit pœnas ſtultus quòd procacitate ſuæ linguæ iuſtis maledixerit & affecerit iniuriis: & corpore & animo conteritur: corpore quidem, quòd propter cõuicia, detractiones & maledicta corpus eius afficiatur. Animo vero, quia deliquit, & ſuam mentem maculauerit, ſuiſque contumeliis & mẽdaciſsimis labiis ruinam ſuæ animæ parauerit. Hinc

præclare

præclare ſcriptum eſt in libro Sapientiæ, Os quod mentitur, occidit animam. Verba Sapi 1.
bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.) Videntur eſſe
bilinguis verba admodum ſimplicia, & nullo dolo nullaque fraude conueſtita, quando-
quidem bilinguis & duplex animo palàm adulatur & plaudit amico, clanculum tamen
& priuatim detrahit & conuiciatur: cuius peſtis ad interiora vſque cordis ſerpit, & ma-
xime nocet, & huiuſmodi veneno difficile eſt admodum præſentaneum adhibere anti-
dotum. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Suſurro & bilinguis maledictus. multos enim turba- Eccleſ.28.
uit pacem habentes. Et hoc callido artificio vtuntur hæretici, qui ſua verba ita poliũt
ornant & colorant, vt quicquid dicant, putemus eſſe verum, ſacrum & euangelicum, &
neſcimus plerunque quòd lateat ſub melle venenum. Pigrum deiicit timor, animæ
autem effœminatorum eſurient.) Timor rei arduæ & duri laboris reuocat pigrum à
bono opere, & impedit ne quidpiam commendatione dignum aggrediatur. Nam vt
poſtea videbitur, dicit piger, leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum. Molles Prouer.22
vero, laſciui, & Mileſiis effœminatiores, quibus nulla eſt victus ratio, extremam inopiã
ſufferent. Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſsipantis.)
Qui tardius quàm deceat & remiſsius in ſuo opere progreditur, nec eam adhibet operã
quam oportet eum adhibere, ſimilis eſt exordia ſui operis euertenti, aut prorſus perfe-
ctum opus diſſoluenti. Nec hic contendimus de omnimoda ſimilitudinis ratione, quã-
doquidem longè minus eſt remiſſo eſſe animo in ſuo officio, quàm nihil officij perage-
re. Nec tam culpandum eſt ſegnius ſuum opus exequi, quàm aut omnino ab opere de-
ſiſtere, vel abſolutum opus demoliri. Sed ex parte tractanda eſt ſimilitudo, quia vterque
peccat non ſe præſtando talem in opere, qualem oportuit ſe præſtitiſſe. Turris fortiſ-
ſima nomen domini: ad ipſam currit iuſtus, & exaltabitur.) Tutius nomine Dei cui cre-
dimus protegimur, quàm ſeptis vrbium concluſi fortiſsima & munitiſsima turri prote-
gantur. Non enim ciues ab hoſtibus vndiquaque obſeſsi, ſolis murorum propugnacu-
lis ab obſidione liberantur, ſed magis inuicta & interrita militum qui in ciuitate con-
cluſi ſunt, generoſitate, quorum cunctatio, prudentia, & longa rerum bellicarum expe-
rientia magis obſeſſæ ciuitati prodeſt, quàm armorum & bellorum omnium præſidia.
Sola autem Dei inuocatione (modo ſyncera ſit, feruens & aſsidua) ciuitas ab hoſtibus
liberari poteſt. Siquidem Ezechias regum omnium religioſiſsimus, inuocando nomen
domini, & perſeuerando in orationibus, præpediuit ne Sennacherib rex Aſſyriorũ fun- 4 Reg 19
ditus deleret vrbem Hieroſolymitanam. Et rex ille ipſa iuſtitia iuſtior, ad Dei auxilium
confugit, à quo fuit exauditus. Quamobrem dicit propheta laudãdo dominum, Dedu- Pſal.60.
xiſti me, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Et alibi, Si exurgat ad- Pſal.26.
uerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. Item, Inuocabãt dominum, & ipſe exaudiebat Pſal.98.
eos. Tum etiam dicit Eſaias de illo qui ſuccurrit pauperi, Tunc inuocabis, & dominus Eſaiæ.58.
exaudiet te, Scribit & Hieremias de captiuis Hieruſalem, quos dominus ſua benigni-
tate impletis in Babylone ſeptuaginta annis, reduxit ad locum proprium, dicens, In- Hier.29.
uocabitis me, & viuetis: & orabitis me, & ego exaudiam vos: quæretis me, & in-
uenietis. Subſtantia diuitis, vrbs roboris eius, & quaſi murus validus circun-
dans eum.) Explicata eſt huiuſce loci ſententia in decimo capite huius operis. Et li-
cet pecunia rerum omnium ſit neruus, & eius adiumento arces inexpugnabiles & mu-
nitiſsima caſtra expugnentur, plerunque tamen obſunt poſsidenti. Et qui ſuis cumula-
tiſsimis opibus magis confidunt quàm validiſsimis mœnibus, ſæpiſsime fallũtur. Nam
occaſione ſuarum diuitiarum aliquando iugulantur, nec ea euadunt pericula quæ de-
ſtituti nummis euadere poſſunt. Taceo quòd multorum inuidiam & odia ſibi cõflant,
nec alicubi tutum pedem figere poſſunt. Hinc præclarè dictum eſt ab Eccleſiaſte, Diui- Eccleſ.5.
tiæ conſeruatæ in malum domini ſui. pereunt enim in afflictione peſsima. Antequam
conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.) Hæc ſatis ſuo
in loco declarata ſunt. Solet enim homo nimis in arrogantiam propenſus, inſoleſcere,
& vanis honoribus intumeſcere, antequam tumorem animi deponat, & eius erecta cer-
uix à domino incuruetur. Nec cuipiam ſe demittit aut cedit, niſi poſt lapſum. Cum ve-
rò ad ſuæ mentis domunculam redit, & ſecum habitat, ſuæque imbecillæ conditionis ac
naturæ vires metitur, & ſui delicti grauitatem perpendit, vix ſeipſum ſibiipſi cõfert. Vix

audet faciem in cælum attollere. Vermibus & pulueribus ſeipſum comparat. Multa pro
abſtergẽdis ſui animi ſordibus ſuſpiria emittit, nec temperat à lachrymis donec ſenſerit
dominum ſibi pepercisſe, à quo poſt veram & euangelicam humilitatem exaltatur.
¶ *Qui prius reſpondet quàm audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum. Spiritus uiri ſuſtentat imbecillitatem ſuam. Spiritum uero ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere? Cor prudentis poſsidebit ſcientiam, & auris ſapientium quærit doctrinam. Donum hominis dilatat uiam eius, & ante principes ſpaciũ ei facit. Iuſtus prior eſt accuſator ſui, uenit amicus eius, & inueſtigabit eum. Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque diiudicat. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi uectes urbium.)* Qui præcipiti lingua fertur ad loquendum, & prius reſpondet quàm attente & perfecte audierit, ſuam prodit ſtultitiam, & confuſionis notam incurrit. Nam patienter debemus audire, & diu conſiderare quid loquendum ſit, quídve reſpõdendum, & tacita mente quæ dicturi ſumus perpẽdere, ne dixiſſe nos pœniteat. Siquidem in hoc incumbit prudens, vt libentius audiat quàm loquatur, & auribus frequentius quàm lin-
4. Eth. 3 gua vtatur. Quamobrem dicit philoſophus, Magnanimi motus tardus eſſe videtur, &
Iaco. 1. vox grauis, & locutio tarda. Monet etiam diuus Iacobus, vt omnis homo ſit velox ad audiendum, & tardus ad loquendum. Qui denique prius contendentium facta iudicat, q̃ vtriuſque partis cauſam plenè cognouerit, ſe ridiculum facit, & confuſione dignũ. Nec ille noxam ſtultitię declinat, qui prius vult docere quàm didicerit: quẽ non pudet prius indocte & intempeſtiue reſpondere, quàm à viro docto audierit quidnam de rebus arduis & præclaris reſpondere debeat. Spiritus viri ſuſtentat imbecillitatem ſuam: ſpiritum vero ad iraſcendum facilem quis poterit ſuſtinere?) Viuus & integer hominis ſpiritus virtute & diuina gratia adiutus, infirmitatem corporis confortat, & exiguas ac imbecilles naturæ vires adiuuat & fouet. Et cum virtus corporis nobis deficit, tunc virtus animi vireſcit & augetur in ſuperandis tribulationibus & tentationibus. Hinc dicebat
2. Corin. 12 Paulus, Libẽter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſsitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum. Spiritus
Matt. 11. etiam domini nos anguſtiis & laboribus grauatos refocillat. Venite ad me (inquit Chriſtus) qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Spiritum vero iracundia feruentem, & ad iraſcendum maximè procliuem, nemo niſi patiens & mãſuetus ferre poterit: quandoquidem iracundus & verbis & factis aliis eſt permoleſtus, & plerunq; diſcordias concitat, & communitatem perturbat: quem qui vt oportet tolerat, magis laudandus eſt, quàm qui maximum hoſtem ſuperat. Cor prudentis poſsidebit ſcientiam, & auris ſapientium quærit doctrinam.) Quoniam ſcientia nulla hominum vi eripi poteſt, nec ſcientiæ & ſapientiæ dono quicquam homini optabilius eſt, idcirco prudens partã ſciẽtiam tanquam precioſiſsimum theſaurum diligentiſsime cuſtodiet. Et ſapiens lubenter audit à peritioribus quæ ſummopere conducunt vt ſuam ſapientiam & augeat & exor-
Prouer. 1. net. Audiens enim ſapiens, ſapientior erit. Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes ſpacium ei facit.) Sapientia munit viam aditumque facit ſapientibus ingrediendi magnifica principum palatia, & cum nobiliſsimis regibus de rebus ſeriis colloqui: quod ſanè magnam eis gloriam adfert. Debent expetere Chriſtiani principes vt nõ minus ſtipentur ſapientibus quàm ſatellitibus, quãdoquidem nihil magis ſereniſsimum principem exornat, quàm præclarus virorum prudentum & ſapientum comitatus: & quo maius eſt literaturæ aut ſapientiæ donum, eo magis hominem ditat & nobilitat, facitque vt perpetuum ſapientis nomen toti terrarum orbi innoteſcat. Iuſtus prior eſt accuſator ſui: venit amicus eius, & inueſtigabit eum.) Qui cordato eſt animo, ſi deliquerit, aut quempiam offenderit, occultum crimen detegit amico qui poteſt prodeſſe & nõ obeſſe, antequam ab aliis accuſetur: & cognito ſcelere integerrimus amicus dat operam & vias omnes inquirit quibus eum liberabit. Aliter, cum nemo vſque adeo ſit iuſtus quin cadere poſsit, aut ſaltem leuiſsima delicta admittere, ſollicitus ſuæ ſalutis vbi primum lapſus eſt in peccatum, debet lugendo ſuam agnoſcere fragilitatem, ſuamque culpam ingenuè fateri, & ad copioſiſsimum diuinæ miſericordiæ fontem cõfugere: in quo, accuſando ſeipſum, ſordes animi abluet, & tãdem à domino, qui nobis optimus eſt ami-

cus,

cus,veniam conſequetur,ſi modò decreuerit tempore opportuno confiteri ſacerdoti.
Vnde dicit propheta,Dixi,confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu Pſal.31.
remiſiſti impietatem peccati mei.Et hoc faciendæ pœnitentiæ inſtitutum ſuſius multo
declaratur à beato Luca de adoleſcente prodigo, qui peregre profectus eſt in regionem Lucæ.15.
longinquam,& ibi diſsipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe:& poſtquam omnia
cõſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa,& ipſe cœpit egere,& abiit, & adhæ-
ſit vni ciuiũ regionis illius:& miſit illũ in villã ſuam vt paſceret porcos. Et cupiebat im-
plere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant,& nemo illi dabat.In ſe autem
reuerſus,dixit,Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? ego autẽ hic
ſame pereo.Surgam,& ibo ad patrem meum,& dicam ei,Pater,peccaui in cælum,& co-
ram te.Iam non ſum dignus vocari filius tuus.ſac me ſicut vnum de mercenariis tuis.Et
ſurgens venit ad patrem ſuum.Cum autem adhuc longe eſſet,vidit illum pater ipſius,&
miſericordia motus eſt,& accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eũ,dixitq́;
ei filius,Pater,peccaui in cælum,& coram te:iam non ſum dignus vocari filius tuus. Di-
xit autem pater ad ſeruos ſuos:Citò proferte ſtolam primam,& induite illũ,& date anu-
lum in manũ eius,& calceamenta in pedes eius:& adducite vitulum ſaginatum,& occi-
dite,& manducemus & epulemur:quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit : perierat,
& inuentus eſt. Hæc ſignificant patrem cæleſtem maxime lætari cum peccator reſipi-
ſcentiam agit,quem dum peccati dolore torquetur,ad ſe recipit, amplexatur , & ſua be-
nignitate ſouet:qui magis gaudet ſuper vno peccatore pœnitentiam agente , quàm ſu- Ibidem.
per nonagintanouem iuſtis qui non indigent pœnitentia. Contradictiones com-
primit ſors,& inter potentes quoque diiudicat.) Contentiones hominum & litigia di-
rimuntur ſorte,cum non eſt alius modus comprimendi ſubortas contradictiones: &
capitales ſummorum principum inimicitiæ ſortibus aliquando ſedantur,tametſi id ſi-
ne vrgenti neceſsitate fieri non debeat. Alibi abunde diſcuſſum eſt quando ſortibus vti
licet. Frater qui adiuuatur à fratre,quaſi ciuitas firma,& iudicia quaſi vectes vrbium.)
Mutua fratrum ſubſidia,firmiſsima ciuitate,in qua ciues ſe inuicem iuuant aduerſus ho-
ſtes, firmiora ſunt,& admodum difficile eſt vinculum amicitiæ quo cõnexi ſunt diſſol-
uere:& æquiſsima iudicia vectibus vrbium quibus ianuæ muniuntur , ſtabiliora ſunt,
nec fauore nec pecuniis nec vllis denique terroribus diſrumpũtur: quandoquidẽ præ-
clara virtutum officia quæ veritatem ipſam ducem habent, eamq́; ſequuntur,nullis ho-
minum molitionibus & machinamentis expugnari poſſunt.

De fructu oris uiri replebitur uenter eius, & genimina labiorum ipſius ſaturabunt eum. Mors & uita in manibus linguæ.qui diligunt eam,comedent fructus eius.Qui inuenit mulierem bonam , inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à domino. Qui expellit mulierem bonam,expellit bonum:qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens.Cum obſecrationibus loquetur pauper , & diues effabitur rigide. Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit quàm frater.)

Qui ſapienter loquitur,& ornate dicit,ac erudite alios docet,ſuã adauget ſcientiam
& illuſtrat,& fructus labiorum ipſius , germina & ſanæ doctrinæ præcepta eum ſatiant
abunde,& quod vitæ neceſſarium eſt,ei præſtare oportet.non enim denegandum eſt ſa-
larium iis qui rectè docent & concionantur.Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.Et hoc Matt.10.
Paulus multis argumentis ſuadet,dicens,Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plã- 1.Corin.9.
tat vineam,& de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non mãdu-
cat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc nõ dicit? Scriptum eſt enim
in lege Moyſi,Non alligabis os boui triturãti.Nunquid de bobus cura eſt deo? An pro- Deute.25.
pter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt,quoniam debet in ſpe qui arat,
arare:& qui triturat, in ſpe fructus percipiẽdi.Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus,ma-
gnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Mors & vita in manibus linguæ:qui dili-
gunt eam,comedent fructus eius.) Qui didicit ſuam linguam refrenare, eaq́; bene vti-
tur aut docendo aut prædicando aut orando dominum,æternam vitam aſſequetur:qui
verò procaci & viperina lingua vnumquemque ſubſannat,& viris probis detrahit, per-
petuam mortem & damnationem incurret: & qui diligunt liuguam compoſitam & mo-
deratam,fructum optimum conſequentur. qui verò diſſolutam, procacem & proteruã,

ſuæ proteruiæ ſuæque loquacitatis ſtipendia reportabunt. Et huic Salomonis ſententiæ
Matt.12. ſuffragatur illud Chriſti verbum dicentis, Ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à domino.) Qui nactus eſt mulierem bonam, honeſtam & pudicam, precioſum quendam theſaurum inuenit, & exiſtimat maximum ſibi à domino factum fuiſſe beneficium. Nam admodum difficile eſt reperire mulierem bonam, fortem & conſtantem:
Eccleſ.7. vnde dicit Eccleſiaſtes, Inueni amariorem morte mulierem. Et paulò pòſt, Virum de
Eccleſ.26. mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni. Quòd ſi mulier ſit ſancta & pudorata, gratia eſt ſuper gratiam, & vir haurit iucunditatem à domino, & maxime lætatur cum verſatur cum bona muliere, & hoc putat eſſe donum Dei. Hinc dicit Eccleſia-
Eccleſ.25. ſticus, Beatus qui habitat cum muliere ſenſata. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt & inſipiens.) Dignus eſt tormentis, & vt multis moleſtiis afficiatur, qui ſua ſuperbia aut temeritate bonam & fidelem coniugem è ſua domo expellit. Quid enim viro poteſt eſſe iucundius, quàm familiari conſuetudine & moderata voluptate vti cum ſua vxore quieta & tranquilla? quæ ſummopere deſiderat ſuo viro placere, & ſuam familiam rectè educare. Neſcit haud dubie vir moroſus & ſtultus quidnam perdat, & quantam ſuorum bonorum iacturam faciat, cum à ſe temperatam & honeſtam mulierem reiicit: nec periculum adulterij quod incurrere poteſt, animaduertit: imò non videtur ſeipſum diligere cum bonam mulierem expellit,
Epheſ.5. aut odio habet. Dicit enim Paulus, Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam. Et paulò pòſt, Viri debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam. Qui autem in ſua domo retinet adulteram, quæ ab obſcœna ſui adulterij libidine non vult deſiſtere, ſtultus eſt & inſipiens. Nam videtur fouere vitium ſuæ vxoris adulteræ, quæ in ſua nephanda turpitudine perſiſtit: & eam poteſt quantum ad to-
1.Corin.7. rum repudiare. Sed conſulendum eſt adulteræ, vt ſuum peccatum defleat, & ſuo viro reconcilietur. Cum obſecrationibus loquetur pauper, & diues effabitur rigide.) Paupertas & indigentia cogit hominem precari, & multis cum obſecrationibus diuitem ad miſericordiam flectere, qui plerunque (ſi ſuis diuitiis ſeruiat) aſpere & rigide reſpondet pauperi ſubſidium vitæ depoſcenti, & claudendo viſcera miſericordiæ eum à ſe repellit:
Lucæ.16. quemadmodum diues ille qui quotidie epulabatur ſplendide, neglexit ſuccurrere Lazaro mendico, nec eum ſatiauit micis quæ de ſua menſa cadebant. Vir amicabilis ad ſocietatem, magis amicus erit quàm frater.) Qui natus eſt ad fouendam veram amicitiã, & ad tuendam honeſtam ſocietatem, magis eſt amicus illi qui familiaria colloquia, conuictum hominum & congreſſum amat, quàm frater minus aptus aut ineptus ad retinendam communem viuendi conſuetudinem, & qui non nouit ſui fratris amicitiam conſeruare. Siquidem morum ſimilitudo, idem animus, eadem voluntas, eademque viuendi conſuetudo, amicitiæ iura tuetur. Similis enim ſimilem amat, & monedula monedulam. Dicit etiam Plato libro de legibus ſexto, æqualitatem amicitiæ autorem eſſe. Exiſtimauit & Pythagoras amicitiam æqualitatem eſſe, & eandem animam, & amicum alterum ipſum.

ARGVMENTVM DECIMINONI CAP.

Præferendus eſt pauper humilis & ſimplex animo, diuiti ſuperbo & inſipienti, qui fretus ſuis diuitiis quas colit, pannoſos, & eos qui exiguas fortunas habent, deſpicit, & ea mentis inſania laborat, ut nullius opera ſe indigere putet: & licet auidiſſimi quæſtus ſuſpiciant diuitem & uenerentur, eumq; inter fœlices connumerandum eſſe cenſeant, nihil tamen eo eſt miſerius & calamitioſius cum ob cumulatiſſimas opes inſoleſcit, nec ſuas fortunas quibus oportet impartitur: imò auſim dicere nihil uilius & abiectius diuite, cui ne quidem ulla eſt prudentiæ & uirtutis ſcintilla: & eo maiorem ingratitudinis & ignominiæ notam incurrit, quo minus aut tardius ſuis parentibus egenis ſuccurrit, eosq; torquet & affligit.

CAPVT DECIMVMNONVM.

Melior

MElior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua, & inſipiens. Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtinus eſt, pedibus offendit. Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra deum feruet animo ſuo. Diuitiæ adduht amicos plurimos: à paupere autem, & hi quos habuit, ſeparantur. Teſtis falſus non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, non effugiet. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo.)

Quanta ſit veræ paupertatis virtus, & quantum laudis tribuendum ſit pauperibus qui in magna cordis ſimplicitate ambulant, hic Salomon plane docet, dicens, Melior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua, & inſipiens. Agnoſcitur autem ſimplicitas pauperis, quando nec animo nec lingua ſeipſum effert, nec quidquam ſibi tribuit, plurimum autem aliis, quos reueretur & amat, nec murmurat quòd eius tenuis admodum agellus non augeatur, nec opibus ditetur, ſed tranquillitatem animi & parſimoniam victus omnibus diuitiis anteponit: & eo iucundius viuit, & liberius loquitur, quo minus ſentit ſuam conſcientiam his terrenis affectibus oneratam eſſe. Vituperandus autem eſt diues qui in ſuperbiam elatus, torquendo labia pauperes contemnit, & auertit faciem ſuam ab egenis. Sed dominus radices ſuperborum diuitum areſaciet, & eorum gloriam & memoriam perdet. Oſtendens Eccleſiaſticus non eſſe bonam partem diuiti ad pauperem, & egenos ab opulentis deſpici, dicit: Sicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, Eccleſ.13.
ſic & execratio diuitis pauper. Et alibi quod huic loco conſentaneum eſt adducit, dicens, Melior eſt pauper ſanus & fortis viribus, quàm diues imbecillis & flagellatus Eccleſ.30.
malitia. Et appoſitè adiectum eſt à Salomone, & inſipiens. Quid enim ſtolidius diuite qui immodicis rerum terrenarum diuitiis occæcatur, & intumeſcit? Quid illo homine inſipidius & abiectius, qui nec aliis nec ſibi prodeſt, nec nouit ſuis bonis bene vti? Sanè vtilius fuiſſet illi nullas vnquam habuiſſe diuitias. Vnde Eccleſiaſtes deplorando calamitatem auari diuitis qui cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitia, dicit, Diuitiæ conſeruatæ Eccleſ.5.
in malum domini ſui. pereunt enim in afflictione peſsima. Vbi non eſt ſcientia animæ, non eſt bonum: & qui feſtinus eſt, pedibus offendit.) Vera & perfecta animæ ſcientia, ſita eſt in ſyncera Dei contemplatione, & diligenti diuinorum præceptorum obſeruatione: nec cenſetur homo vllum habere bonum, ſi contemnat ſaluare ſuam animam, eamque virtutibus exornare. Nam bona corporis ad bonum animæ inflecti debent. quòd ſi anima virtutibus deſtituta ſit, nihiliſient corporis & fortunæ bona. Hinc præclara illa Chriſti ſententia, Quid enim prodeſt ho- Matt.16.
mini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Qui verò res ſuas præcipitanter agit, nec circunſpicit quidnam agere debeat, ſed præceps ac feſtinus ad obeundum officium fertur, plerunque labitur & offendit. Sunt enim negocia conſilio, grauitate, prudentia & moderatione animi tractanda, & aliquando cunctari ac meditari oportet, & verſare animo quidnam auſpicari volumus, & de quibuſnam rebus dicturi ſumus. Lepidiſsima ſunt illa prouerbia, & ſententioſa, Feſtina lente, Sat cito ſi ſat bene. Stultitia hominis ſupplantat greſſus eius, & contra Deum feruet animo ſuo.) Qui male viuit, nec bonorum exemplo ſuam vitam componit, ſed ſuas opes in obſcœnis voluptatibus conſumit, ab aliis deſpicitur & conculcatur, & noxiis affectibus æſtuans, ex impatientia in blaſphemiam prorumpit: & cum viam iuſtitiæ & veritatis deſeruit, non ſe deliquiſſe fatetur, ſed culpam ſuam in deum reĳcit, quòd nimis fragilem fecerit hominem, aut eum tentationibus ſuccumbere permiſerit. Feruet & animo contra dominum, qui murmurat & exiſtimat dominum ſibi impoſuiſſe onera importabilia: & hoc excuſationis prætextu negligit Dei iuſsis obſequi. Sed propheta orauit dominum ne ius cor declinaret in Pſal.140.

verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit, ſeparantur.) Diues ſibi comparat multos amicos, à quibus colitur & honoratur. Nec tamen propter ſe, & virtutes animi ab vtilibus amicis honoratur, ſed duntaxat ob ſuas ampliſsimas diuitias, quas vulgus imperitiſsimum admiratur. quòd ſi aduerſis fortunæ ventis agitatus in extremam inopiam deciderit, ab illis deſeritur, à quibus prius arridente fortuna colebatur. Et ea eſt quorundam hominum cæcitas & amentia, vt cum proſperos rerum ſucceſſus aſſequuti ſunt, aut in ſummos honores euehuntur, non amplius duræ paupertatis quam aliquando perpeſsi ſunt, recordentur, & pauperes amicos aſpernentur & abiiciant. Et huic Salomonis loco aſtipulatur illud Eccleſiaſtici, Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores. Locutus eſt ſuperba, & iuſtificauerunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur. Locutus eſt ſenſate, & non eſt datus ei locus. Diues locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius vſque ad nubes perducent. Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic? Et ſi offenderit, ſubuertent illum. Loco iſtius contextus, A paupere autem & hi quos habuit, ſeparantur, legunt Septuaginta Interpretes, ὁ δὲ πτωχὸς καὶ ἀπὸ τοῦ ὑπάρχοντος φίλου λείπεται. Id eſt, At pauper & ab exiſtente amico relinquitur. Et facilis eſt hæc lectio. Teſtis falſus non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, non effugiet.) Fugiendus eſt teſtis fraudulentus, & magis quàm peſtis. Nam maius reipublicæ detrimentum adfert, magiſque nocet, quàm ſæuiſsima peſtis, quæ duntaxat à mundo corpora aufert. Nec ſummi iudicis vltionem effugiet, qui & falſo teſtimonio & mendaciis reipublicæ ſtatum labefactat. Hæc alibi declarata ſunt. Multi colunt perſonam potentis, & amici ſunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum, inſuper & amici procul receſſerunt ab eo.) Hæc ex ſuperioribus locis innoteſcunt. Qui enim ſperant à regibus & principibus ſe ampliſsima beneficia conſequuturos, comitatum eorum ſequuntur, nec tam regiam maieſtatem reuerentur & obſeruant, quàm diuitias: & quod peſtilens eſt & noxium, plerunque aſſentantur principibus, vt maiorem eorum gratiam inire poſsint, vnde & ſeipſos, ſuoſque parentes ditent. Et eo tumido faſtu turgent, vt neminem in rebus ſecundis ſibi præferendum eſſe cenſeant, & eo nonnunquam inſaniæ fumo caligant, vt contemptim ſuos amicos pauperes deſpiciant, & (quod inhumanum eſt) nec eos videre velint.

Eccleſ. 13.

¶ Qui tantum uerba ſectatur, nihil habebit: qui autem poſſeſſor eſt mentis, diligit animam ſuam: & cuſtos prudentiæ inueniet bona. falſus teſtis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit. Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum dominari principibus. Doctrina uiri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi. Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius. Dolor patris filius ſtultus: & tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem proprie uxor prudens.)

Qui magis ornatum verborum & cultum linguæ curat, quàm rei intelligentiam & ſententiam, inter doctos non annumerabitur. Qui etiam magis ſtudet ſuam expolire linguam, ſuiſque verbis gratiam addere, quàm virtutibus ſuam animam illuſtrare, nihil præmij conſequetur: nec cenſetur ſuam animam diligere, niſi mentem præclaris virtutum officiis exornatam poſsideat, ſuiſque affectibus imperet, & ſe totum deſpectis rebus humanis deo optimo & maximo deuoueat. Vnde dicit Chriſtus in euangelio: Qui inuenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Quod ſi is cenſeatur odire animam ſuam, qui diligit iniquitatem: ille cenſebitur diligere animam ſuam, qui diligit æquitatem. Qui etiam cuſtodit prudentiam virtutum moralium directricẽ, qua paſsionũ inſultus vincuntur & ſedantur, gratiæ & gloriæ beneficia conſequetur. Falſus teſtis non erit impunitus: & qui loquitur mẽdacia, peribit.) Dignus eſt ſummo ſupplicio, qui mendaciis & falſis teſtimoniis cupit innocenti detrimentum adferre, & æquiſsimã hominis cauſam euertere. Rectè ſiquidem à pſalmographo dictũ eſt, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Non decent ſtultum deliciæ, nec ſeruum

Pſal. 10.

Pſal. 5.

nec ſeruum dominari principibus.) Selectiſsimæ ciborum deliciæ non ſunt inſipidis admouendæ, nec paſcendi ſunt ſtulti lautiſsimis epulis, quibus bene vti non nouerunt, ſed craſſus cibus eis adhibendus eſt. Siquidem craſſa (vt trito adagio dicitur) bene conueniunt craſsis, & aſinus mauult ſtramen quàm aurum. Nec ſuauiſsimæ ſacrarum literarum deliciæ decent hæreticos: nec ſanctum canibus dandum eſt: nec mittendæ ſunt ante porcos margaritæ, ne forte conculcent eas pedibus ſuis. Dedecet etiam ſeruum nobiliſsimis principibus dominari. Nihil enim immanius eſt & crudelius ſeruo in ſuum dominum inſurgente. Quòd etiam ſeruus dominetur, aduerſatur ſocietati ſecundum naturam conſtitutæ. Nam ſeruus ſolum eſt miniſter ad actionem, vt exequatur quæ prouido mentis oculo fuerint à domino proſpecta. Præcipit etiam Paulus ſeruis, vt obediant dominis carnalibus cum timore & tremore. Doctrina viri per patientiam noſcitur, & gloria eius eſt iniqua prætergredi.) Doctrina Socratis probata eſt patientia. Nam exemplo ſuiipſius docebat ſuos auditores pati æquo animo iniurias hominum. Etenim ſuæ vxoris Xantippes conuicia domi conſtantiſsimè ferebat, vt aliarum mulierum inſolentiam foris pati diſceret. Idem ſitim & famem tolerantiſsime perferebat. Nudis pedibus glaciem & pruinas calcabat facilius quàm calceati milites. Quātuſcunque foret hyemis rigor, nihil addebat quotidianis veſtimentis. Qui etiam docent æquanimiter perferendas eſſe hominum iniurias, nec ſcelus ſcelere vindicandum, nec retaliandum eſſe, debent in ſeipſis eam habere animi magnitudinem & tolerantiam, quam docent. Siquidem doctrina ſine honeſta vita & vera patientia, nihil aut parum gratiæ habet: & tanto vnuſquiſque cōuincitur minus doctus, quanto minus patiens. Denique excellens & euangelica apoſtolorum doctrina in perferendis aduerſitatibus innotuit & refulſit, qui contemptis & honoribus & diuitiis, pro tuenda veritate ſuæ doctrinæ atrociſsima tormenta, & acerbiſsima mortis genera inuicto animo pertulerunt: quibus dicebat Chriſtus, vt eorum animos ad perferenda ſupplicia accenderet, Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. ſic enim perſecuti ſunt prophetas qui fuerunt ante vos. Et inſignis illorum gloria fuit prætergredi iniqua, hoc eſt non inferre iniuriam, ſed pati. Hinc dicit Paulus exhortans Chriſtianum ad patientiam, Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & ſicut ros ſuper herbam, ita & hilaritas eius.) Furor regis & ira non minorem ſuis ſubditis terrorē incutit, quàm rugitus leonis cæteris beſtiis. Hinc dictum eſt prius, Indignatio regis nuncij mortis. Dici ſolet de ipſo Dauid quòd terribilis apparebat iniuſtis, hilaris ac blandus iuſtis. Nec minus hilaritas regis iucunda eſt & grata ſubditis, quàm ros herbis. Siquidem ſubditorum animus geſtit cum agnoſcit regem eſſe hilarem, & lætam faciem præ ſe ferre. Debet etiam rex admodum ciuilis ſe omnibus affabilem exhibere, & imitari Auguſtum Cæſarem, qui trepidantes accedere, comitate inuitabat. Scitum eſt & illud Titi Veſpaſiani, in penitiſsimis principum præcordiis recondendum, & in ore ſemper habendum: Non oportet quenquam à ſermone principis triſtem diſcedere. Metuendus eſt tamen princeps, & potiſsimum cum ſuorum ſubditorum vitiis offenditur. Quod ſi cuiuſquam regis ira metuenda ſit, potiſsimum ſupremi regis, & regum omnium potentiſsimi. Vnde dicit Dauid, Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Et in Threnis legimus, Compleuit dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuæ. Dicit etiam dominus in prophetia Amos, Ecce ego ſtridebo ſubter vos ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Sed ira domini & indignatio in illos decidit & torquetur, qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati. Dolor patris, filius ſtultus.) Frequenter diximus vitia filij maximum patri dolorem adferre, nec ſolum dolorem triſtitiā & tædia multa, ſed aliquādo mortem. Nam quemadmodū virtutibus liberorū vita patris prorogatur, ita vitiis acceleratur. Et tecta iugiter perſtillātia, litigioſa mulier.) Mulier litigioſa, garrula & iracūda, plus detrimenti ſuo viro adfert, q̄ domui tecta perſtillātia, è quibus diſtillant ſordidæ

Marginal notes: Matth. 7. · 1. Polit. 3. · Ephes. 6. & Coloſ. 3. · Matt. 5. · Roma. 12. · Pſal. 89. · Thre. 4. · Amos 2. · Roma. 2.

Prouer.21 pluuiarum guttæ in ruinam domus. Et alibi dicit Salomon, Melius eſt ſedere in an-
Prouer.27. gulo domatis, quàm cum muliere litigioſa. Item, tecta perſtillantia in die frigoris, &
litigoſa mulier, comparantur. Nec hinc euariant quæ ſcribit Eccleſiaſticus de ira mu-
Eccleſ.25. lieris, dicens, Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mu-
lieris. Commorari leoni & draconi magis placebit, quàm habitare cum muliere ne-
quam. Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à domino autem propriè vxor pru-
dens.) Solent parentes ſuis liberis tempore nuptiarum dare domum & temporanea bo-
2.Corin.12 na, eaque cum è vita decedũt, ipſis relinquere. Hoc autem comprobat Paulus dicẽs, Nec
enim debent filij parẽtibus theſaurizare, ſed parentes filiis. Et licet parentes diuitias ſuis
liberis largiri poſsint, & ampliſsima prædia donare, non tamen in eorum facultate ſitũ
eſt vt ipſi fœdere coniugij prudenti vxori copulentur, quandoquidem dei donum eſt
Eccleſ.26 ducere in vxorem prudentem & honeſtam mulierem. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Pars
bona mulier bona in parte bona timentium deum, dabitur viro pro factis bonis.

¶ *Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet. Qui cuſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit uiam ſuam, mortificabitur. Fœneratur domino, qui miſeretur pauperis, & uiciſsitudinem ſuam reddet ei. Erudi filium tuum, & non deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas animam tuam. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet. Audi conſilium, & ſuſcipe diſciplinam, ut ſis ſapiens in nouiſsimis tuis. Multæ cogitationes in corde uiri, uoluntas autem domini in æternum permanebit. Homo indigens miſericors eſt: & melior eſt pauper quàm uir mendax.)*

Qui oſcitanter viuit, & intabeſcit pigritia, videtur ſemper dormire, quandoquidẽ ni-
hil æquè ſomnolentiam inducit, atque ignauia, & corporis & animi torpedo, quæ laſci-
uiam nutrit, & immundas voluptates excitat. Et qui pigro ocio tempus terunt, & bonas
horas conſumunt venereis deliciis ſoluti, extremam inopiam patientur. Et hoc ſubindi
cat Salomon dicens, Anima diſſoluta, vinculo ſcilicet legis & iuſtitiæ, & corporeis volu-
ptatibus immerſa, eſuriet. Nam ſpiritali alimonia priuabitur, & eius corporeum organũ
minimam ſui curam habens, magnam inediam tolerabit. Vnde dicit dominus per Hie-
Hiere.31. remiam conquerens de vitiis Iſrael, Vſquequo deliciis diſſolueris filia vaga? Qui cu-
ſtodit mandatum, cuſtodit animam ſuam: qui autem negligit viam ſuam, mortificabi-
tur.) Cuſtodit animam ſuam à laqueis diaboli, eamque à multis periculis præſeruat,
Matt.7. qui diligenter dei mandata obſeruat. Qui vero arctam ſuæ ſalutis viam negligit, nec cu-
rat diuinis legibus obtemperare, mortis & gehennæ ſupplicia patietur. Siquidem domi-
4.Reg.17 nus olim vehementer iratus eſt filiis Iſrael, quòd ſequendo ſuas vanitates, eius præcepta
neglexerint obſeruare: quos ad idololatriam declinantes, afflixit, & à ſua facie proiecit.
Fœneratur domino, qui miſeretur pauperis, & viciſsitudinem ſuam reddet ei.) Qui
pauperum inopiam ſubleuat, & ſua temporanea bona prompto animo impartitur, re-
cipiet à domino æterna præmia, quibus rex clementiſsimus in die iudicij dicet: Veni-
Matt.25. te benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſu-
riui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c. quæ copioſe
tractantur in euangelio Matthæi. Quod enim vni ex iſtis minimis feciſtis, & mihi fe-
ciſtis. & viciſsitudinem ſuam reddet ei, ampliſsimam ſcilicet mercedem. Hoc autem
Matt.5. promiſit dicens, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

Erudi filium tuum, & non deſperes: ad interfectionem autem eius ne ponas ani-
mam tuam.) Studeat pater optimus ſuos liberos honeſtis moribus & diſciplinis eru-
diri, & quàm diligentiſsime curet vt rectam educationem habeant: nec deſperet
aut de correctione, aut de ingeniorum tarditate. Nam qui tardo & craſſo ingenio
nati ſunt, aſsiduis ſtudiis & indefeſsis vigiliis tarditatem ſuperant. Et licet filij corre-
ctionem aliquando abiiciant, nec ſuis voluptatibus addicti manum ferulæ ſubiiciant,
tamen extincto iuuenilium deſideriorum incendio, ad ſe nonnunquam redeunt, & pa-
ternæ diſciplinæ ſe ſubmittunt. Præſtet igitur pater quod ſuis filiis corrigendis præſta-
re poteſt, nec deſiſtat à cura lapſorum: caueat tamen ne in caſtigandis ſuis liberis eam
auſteritatem & ſeueritatem obſeruet, vt eis ſcandalum & ruinã ſpiritalem adferat. Nam
rigida illa & pluſquam paterna animaduerſione ſuos filios enecaret, & prorſus perderet:
nec mor-

nec mortem filiorum quos caſtigare poteſt, procurare debet. Nec tamen eos amore
in ſuos feruere debet, vt pro tuēda ſuorum liberorum vita, mortem oppetat. Nam ma-
gis tenetur conſulere ſuæ quàm amicorum vitæ. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit dam-
num: & cum rapuerit, aliud apponet.) Qui impetu impatientiæ fertur ad acerbè corri-
gendum vitia ſuorum ſubditorum, lædit animam ſuam, & magis exaſperat ſubditum
quàm ſanet. Hinc dicit Paulus, Patres nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, vt Coloſ.3.
non puſillo animo fiant. Sunt autem educandi filij diſciplina & correptione domini.
Qui denique impatientiæ furore rapitur, ſuffert damnum patientiæ, quo nullum eſt
maius. Nam in rebus humanis nihil eſt vera animi magnitudine & patientia maius. Et
cum alienum quis ſurripuerit, victus impatientia, aliud ſibi malum & damnum accu-
mulat. Nam iuſtitiæ & innocentiæ bonum perdit. Audi conſilium, & ſuſcipe diſcipli-
nam, vt ſis ſapiens in nouiſsimis tuis.) Duo maximè peccatorem iuuant quòd ſapien-
tum & ſanctiſsimorum hominum cōſilio in ſuis rebus agendis vtatur. Alterum, vt ma-
gis proborum hominum correctionem leuem & moderatam amplexetur, quàm ſuorū
amicorum oſcula: & cum maximam in quam aliquando incidit, ruinam conſiderat, &
quanto in ſuæ animæ diſcrimine verſatus fuerit, à futuris periculis ſibi præcauet, nec
experit ſecundum pati naufragium. Multæ cogitationes in corde viri, voluntas au-
tem domini in æternum permanebit.) Agnoſcitur imbecillitas humani intellectus cum
variis cogitationibus raptatur & torquetur. Nunc cogitat laſciuus ſe impudico concu-
bitu cum ea congredi quam deperit, & ſedata carnis perturbatione abhorret quod ama-
bat. Addictus auaritiæ ſtudio, nihil nō auarum & ſceleſtum ſuo animo verſat. Denique
ſummorum honorum appetentiſsimus perpendit animo quonam pacto ad ſupremos
honores euehetur: quòd ſi vnam ſuorum affectuum perturbationem & peſtem vicerit,
alia & forſitan maiori laborabit. Hinc dictum illud Iob diuinum exiſtimo, Et nūquam Iob.14.
in eodem ſtatu permanet. Voluntas autem domini, quæ eſt immutabilis, in æternū per-
manet. Et hoc approbat pſalmographus dicens, Dominus in æternum permanet. Et ali- Pſal.9.
bi, Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Homo Pſal.111.
indigens miſericors eſt, & melior eſt pauper quàm vir mendax.) Qui duram pau-
pertatem expertus eſt, & in multa aduerſitatum pericula decidit, facilè alienæ ruinæ
miſeretur. Nam in alio miſeriam & calamitatem agnoſcit, quam in ſeipſo probauit. Et
præferenda eſt mendacio paupertas. Etenim melius eſt extrema inedia premi, quàm
mendacia profundere, & mendaciis ac calumniis velle veritatem obſcurare. Eſt etiam
pauper iuſtus melior diuite iniuſto, imò nulla eſt iuſta comparatio. Nam iuſtus ſini-
ſtris fortunæ flatibus agitatus, ſi aduerſa quæque æquo animo toleret, in cælum euehe-
tur: diues verò iniuſtus & crudelis ad ſtygias paludes demergetur. Hoc in loco facilis eſt
ſeptuaginta interpretū lectio. Etenim legunt, κρείσσων δὲ πτωχὸς δίκαιος ἢ πλούσιος ψεύστης.
Id eſt, Melior autem mendicus iuſtus, quàm diues mendax.

¶ *Timor domini ad uitam, & in plenitudine commorabitur abſque uiſitatione peſſimi. Abſcondit piger ma-
num ſuam ſub aſcella, nec ad os ſuum applicat eum. Peſtilente flagellato, ſtultus ſapientior erit. ſi autem corri-
pueris ſapientem, intelliget ſapientiam. Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominioſus erit & infelix.
Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ. Teſtis iniquus deridet iudicium, & os impio-
rum deuorat iniquitatem. Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.)*

Sanctus Dei timor quo reformidamus dominum offendere, nos ad felicem beato-
rum vitam perducit, & in plenitudine beatitudinis commorabitur abſque viſitatione
dæmonis, cui non patet ad regnum Dei acceſſus. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Timor Dei Eccleſ.1.
gloria & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Hunc autem timorem abiicit piger
ſuæ ſalutis negligentiſsimus, qui laborioſa quæque & dura refugit, & occultat manum
ſuam ſub aſcella, nec eam admouet ori, vt inſiſtendo labori ſuæ vitæ conſulat. So-
let etiam in dura hyeme ſuas manus abſcondere ſub aſcella, vt eas calefaciat,
quas tamen laborando calore foueret, & rigorem frigoris ſuperaret. Peſtilente
flagellato, ſtultus ſapientior erit. ſi autem corripueris ſapientem, intelliget ſapien-
tiam.) Cum impiorum & ſceleratiſsimorum hominum correctiones fiunt publicè,

magnam ſtultis vtilitatem adſerunt. Nam malorum cruciatus & ſupplicia terrorẽ aliis incutiunt,qui cũ timent ſimiles pœnas incurrere,à vitiis reuocantur. Hinc dicit Paulus
1.Timot.5. differens de publicis peccatis, Peccantes coram omnibus argue,vt & cæteri timorem habeant. Igitur percuſſo peſtilente,qui reipublicę peſtem & detrimentum attulerat,ſtultus ſapientior erit. Hoc eſt,minus ſtultus. Nam alterius correctione ſuum peccatum emendabit,& ab inſania repurgabitur. Et ea eſt ſapientis humanitas & manſuetudo, vt ſi deliquerit,æquo animo ferat correctionem, & exoſculetur illum à quo leniter vapulauit. Nam ſatis intelligit moderatam diſciplinam animorum morbis mederi,nobiſque plurimum conſerre. Qui affligit patrem,& fugit matrem,ignominioſus erit & infelix.) Inhumaniſsimus eſt & ingratiſsimus,qui ſuos parentes affligit, ipſiſque mala pro bonis
2.Reg.15. 17.&18. reddit:quod fecit perditiſsimus Abſalon perſequendo Dauid. Et perpetuam ignominiæ notam incurrit,qui ſuam matrem fugit & deſerit,ei denegando pietatis obſequium, &
Deute.27. potiſsimum cum poteſt ei ſuccurrere. Vnde ſcriptum eſt in lege, Maledictus qui nõ honorat patrem ſuum,& matrem ſuam. Non ceſſes fili audire doctrinam, nec ignores ſermones ſcientiæ.) Quantumlibet homo ſcientia præpolleat, cæteriſque præferatur, non tamen debet omnino à ſtudiis feriari & obtorpeſcere,ſed ei danda eſt opera, vt ad ſummum virtutis faſtigiũ euehatur,& conſummatiſsimus euadat. Nec vtiliſsimos ſcientiæ ſermones ignorabit cum virum multiſcium audiet. Teſtis iniquus deridet iudicium,& os impiorum deuorat iniquitatem.) Quia teſtis iniquus & fraudulentus plerunque facit iudicem errare,iuſtam ſententiam deludit, & ridet cum agnoſcit ſuis mendaciis euerſum fuiſſe iudicium. Hinc ſubnectit Salomon, Et os impiorum qui falſo teſtimonio & calumniis delectantur,deuorat iniquitatem:nec minus impij ardenter exqui-
Prouer.2. runt ſua iniquitate ſatiari,quàm deſideret famelicus cibis refici. Siquidem lætantur improbi cum malefecerint,& exultant in rebus peſsimis. Parata ſunt deriſoribus iudicia, & mallei percutientes ſtultorum corporibus.) Licet ſceleſtiſsimi diuinæ iuſsionis aut comminationis iudicia derideant,eos tamen extrema gehennæ ſupplicia manent,& in die vltionis iram & indignationem domini ſentient. Nec minus eorum corpora agitabuntur igne & torquebuntur,quàm ferrum candens malleis agitetur & contundatur.
Apoca.21. Vnde in Apocalypſi ſcriptum eſt, Timidis & incredulis,& execratis,& homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatris, & omnibus mendacibus,pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure,quod eſt mors ſecunda.

ARGVMENTVM VICESIMI CAP.

Facilè deſpumant in libidinem,qui nimio uino incaleſcunt:quandoquidem obſcœnæ uoluptatis incendium, & rei ueneræ fomentum à uinolentia proficiſcitur. Excitat & ebrietas tumultus & contentiones, quibus ſtulti ſeſe commiſcent,qui deliciarum & uoluptatum hamo ineſcati, ſolum quod præſens eſt,quodq́; gratum eſt oculis,proſpiciunt: & laborem fugientes,ignauæ ac pigro ocio ſeſe dedunt:quos ſumma inopia & egeſtas ante extremum uitæ diem uexabit & affliget. Ea quoque eſt hominum imbecillitas & fragilis cõditio,ut ne quidem ullus reperiri poſsit qui citra diuinum præſidium rectam bene uiuendi uiam ſectetur, & ad uirtutum officia ſuos greſſus dirigat,ac fateatur ſe eſſe immunem à peccato.

CAPVT VICESIMVM.

Luxurioſa res uinum, & tumultuoſa ebrietas. Quicunque his delectatur,non erit ſapiens. Sicut rugitus leonis,ita & terror regis. Qui prouocat eum, peccat in animam ſuam. Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus: omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis. Propter frigus piger arare noluit,mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde uiri: ſed homo ſapiens exhauriet illud. Multi homines miſericordes uocantur, uirum autem fidelem quis inueniet?)

Nos hortatur Salomon vt vinolentiam toto ſtudio fugiamus, qua mens ſubuertitur,ſenſus fit craſsior,& libidinis flammæ accenduntur, & potiſsimum vitandus eſt iu-
uenibus

uenibus luxus vini. Si enim abſque vino ferueat adoleſcentia, & inflammetur calore ſanguinis,& ſucculenro validoque ſit corpore,quid opus eſt poculo in quo ſuſpicio veneni eſt?Siquidem vinum plus æquo ſumptum,ſit venenum. Vnde Androcides ægre ferens Alexandrum vino deditum eſſe,& in pocula procliuem, eius intemperantiam his verbis cohibebat:Vinum potaturus rex,memento te bibere terræ ſanguinem. Nam ſicut venenum eſt homini cicuta, ſic & vinum. Et hanc Salomonis ſententiam ex aliis ſacræ ſcripturæ locis comprobare poſſumus.Loth patrem cum filiæ inebriaſſent,ad inceſtum atque infandum concubitum illexerunt.Dicit & Paulus ad Epheſios,Nolite inebriari vino,in quo eſt luxuria,ſed impleamini ſpiritu. Hunc locum enarrãs Hieronymus dicit,Quomodo non poſſumus duobus dominis ſeruire,Deo & mammonæ,ſic nõ poſſumus ſpiritu impleri pariter & vino.Qui enim ſpiritu impletur,habet prudentiam, & manſuetudinem,verecundiam,caſtitatem.Qui vino,habet inſipientiam,furorẽ,procacitatem,libidinem.Hoc quippe æſtimo vno verbo ſignificare luxuriam.Quod ſi quidam intelligerent,nunquam me temeritatis & hæreſeos arguiſſent, quòd in virginitate ſeruanda dixerim vinum adoleſcentulis declinandum, & non mittendum ſuper flammam oleum,nec naturalem carnis ardorem,fomentis voluptatis augendum.Poteſt autem vinũ in quo eſt luxuria,& illud accipi,de quo in Cantico Moyſi dicitur, Furor draconum vinum eorum,& furor aſpidum inſanabilis:quod omnes qui ſeculi iſtius cogitatione ſunt ebrij,bibunt,& inſaniunt,& vomunt,& præcipites corruunt.Hæc ille.Nec ex eo putes vinum eſſe rem luxurioſam, quòd in ſe malum ſit, & luxuriam contineat. Nam dicit pſalmographus,Educas panem de terra, & vinum cor hominis lætificet. Et quòd natura vinum ſit bonum & vtile,manifeſtat Eccleſiaſticus dicens, Vinum in iucunditate creatum eſt,& non in ebrietate ab initio. Conſuluit & Paulus ſuo Timotheo vt modico vino vteretur propter debilem ſtomachum,& frequentes infirmitates. Sed vinum dicitur eſſe res luxurioſa, quia cauſat calorem, & feruentem efficit ſanguinem, qui incitat hominem ad luxuriam. Eſt & ebrietas tumultuoſa, quia tumultus excitat, & prouocat hominem ad rixas & contentiones:quam qui redolet, indignus eſt vt cum viris probis verſetur. Huic loco finitimum eſt illud Eccleſiaſtici, Vinum multum potatum,irritationem & iram & ruinas multas facit. Amaritudo animæ,vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas,imprudentis offenſio,minorans virtutem,& faciẽs vulnera. Exclamat & acerbe Eſaias aduerſus illos qui mero æſtuant,dicens: Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam,& potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Et ſuos diſcipulos noſque omnes monet Chriſtus in ſuo euãgelio vt a ſordidiſsimo crapulæ & ebrietatis vitio abhorreamus,dicens,Attendite autem vobis ne forte grauentur corda veſtra in crapula & ebrietate,& curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa.tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.Quòd ſi quis lupo voracior,& arenis ſitientior,ingurgitatione cibi & potus delectetur,cum illis connumerandus erit qui porcinam agunt vitam,nec vllum habebit cũ ſapientibus commercium,qui ſummopere frugalitatem, caſtimoniam vitæ, & temperantiam amant. Sicut rugitus leonis,ita & terror regis.qui prouocat eum,peccat in animam ſuam.) Iuſta leonis rugientis ad terrorem regis irati comparatio,illi loco cohæret quem in præcedenti capite explicuimus,Sicut fremitus leonis, ita & regis ira. Sed qui illuſtriſsimum regem iniuriis laceſſit,& ad iracundiam prouocat,lędit animã ſuam, & peccati laqueis inuoluit,& plerunque iuſſu principis luit pœnam mortis: quod contigit Semei,qui peſsima maledictione Dauidi maledixerat.Et ipſi Ioab arrogantiſsimo, qui ad iracũdiam Dauid prouocauit. Idem ſiniſtrè ipſi Adoniæ euenit,qui ad iram Salomonem commouit,quòd temere quæſierit Abiſac Sunamitem ſibi dari in vxorem. Illi tres viri improbi à miniſtris Salomonis fuerunt interfecti. Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus:omnes autem ſtulti miſcentur contumeliis.) Omniũ gratiam ſibi demeretur,ab omnibuſque laudatur,qui ſe à contentionibus & iurgiis ſubducit. Nam hac in re indicat ſe eſſe amatorem quietis & tranquillitatis. Siquidem garrula, importuna & rixoſa contentio, eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Et melius eſt cedere iuri ſuo,& pati iniuriam,quàm contentionibus & diſsidiis lædere pro-

Geneſ.19. Ephe.5. Hierony. Matt 6. Deute.32. Pſal.104. Eccleſ.31. 1.Timot.5. Eccleſ.31. Eſaie.5. Luce.21. 2.Reg.16. & 3.Reg.2.

ximum, aut fraternam charitatem extinguere. Quamobrem Paulus nos docet vitare in-
eptas & clamoſas verborum contentiones, dicens, Noli cõtendere verbis. ad nihil enim
2. Timot. 2. Tit. 3. vtile eſt, niſi ad ſubuerſionem audientium. Et alibi, Stultas autem quæſtiones, & genealo
gias, & contentiones, & pugnas legis deuita. ſunt enim inutiles & vanæ. Cõcinnè huic ſen
Iaco. 3. tentiæ conſentit illud diui Iacobi, Quòd ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint
in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. non eſt enim iſta
ſapientia deſurſum deſcẽdens à patre luminũ, ſed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim
zelus et contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Stulti vero ſequentes
ſuas animi perturbationes, & paſsionum impetum, ſeſe contumeliis & contentionibus
implicant, ac clariſsimos viros plerunque conuiciis inceſſunt. Propter frigus piger a-
rare noluit: mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei.) Permoleſtum eſt ocioſo labora-
re, qui impatiens frigoris, non vult dum tempus poſtulat, colere terram, ne frigore affli-
gatur: veruntamen inediam ſufferet, & æſtiuo tempore mendicabit oſtiatim, nec ob vi-
tium ſuæ pigritiæ cibus ei dabitur. Nam ſua oſcitantia & iugi deſidia meruit obrui luto.
Mendicabunt & fatuæ virgines in die iudicij, & dei gratiam depoſcent, nec eis dabitur.
Mat. 25. dicent & ſponſo, Domine, domine, aperi nobis. Sed ille reſpondens dicet eis, Amen dico
vobis, neſcio vos. Idcirco dum tempus habemus operandi bonum, vigilemus, & ſpiritali
oleo lampades noſtras impleamus. Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri:
ſed homo ſapiẽs exhauriet illud.) Quemadmodum non facilè ſciri poſſunt quæ in pro-
fundo aquæ latent, ita non facilè conſilium viri circunſpectiſsimi quandiu in abditiſsi-
mo cordis ſcriniolo latet, cognoſci poteſt. Si quiſquam tamen illud exhaurire poſsit, pru
denter inquirendo, & occultas quæſtiones agitãdo de his de quibus ille intra ſemetipſum
conſulit, maxime prudens & ſapiens cenſebitur. Vnde Eccleſiaſticus loquens de difficili
Eccleſ. 24. inueſtigatione ſapientiæ, dicit, A mari enim abundabit cogitatio eius, & conſilium illius
in abyſſo magna. Multi homines miſericordes vocantur, virum autem fidelem quis
inueniet?) Multi dicunt ſe aliorum miſeriæ & infirmitatibus condolere, ac pauperibus
opitulari, qui tamen occurrentibus ſibi egenis pietatis viſcera claudunt. Quis non ſibi
arrogat nomen viri pientiſsimi? Quis non pollicetur ſe indigentiam pauperum ſubleua-
turum? Vix tamen vnus reperitur qui præſtet quod famelicis pollicitus eſt, & qui prõ-
pta voluntate eleemoſynas cum temporales tum ſpirituales exerceat, & pupillo, viduæ
& inopi indicet, & ſua negligat, vt publicæ vtilitati conſulat. Idcirco ſcitẽ ſubiunxit Sa-
lomon: Virum autem fidelem quis inueniet? qui ſcilicet vere & abſque vlla ſimulatione
ſit miſericors, & Chriſtianæ pietatis obſeruãtiſsimus, vt proximum diligat ſicut ſeipſum,
vt æquitatis iura conſtanti animo tueatur, vt denique ex æquo & bono iudicet, nec prin-
cipibus & diuitibus aſſentetur, nec in diſtribuendis rerum eccleſiaſticarum ſacerdotiis,
1. Corin. 4. vllius perſonam accipiat. Hinc dicit Paulus ad Corinthios, Hic iã quæritur inter diſpen-
Mat. 25. ſatores vt fidelis quis inueniatur? Qui tamen domino fideles erunt, & talentũ ſibi concre
ditum locupletabunt, ampliſsimum præmium conſequentur.

*Iuſtus qui ambulat in ſimplicitate ſua, beatos poſt ſe filios derelinquet. Rex qui ſedet in ſolio iudicii, diſſi-
pat omne malum intuitu ſuo. Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Pondus & pon-
dus, menſura & menſura, utrunque abominabile eſt apud deum. Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer ſi munda &
recta ſint opera eius. Aurem audientem, & oculum uidentem, dominus fecit utrunque. Noli diligere ſomnum,
ne te egeſtas opprimat. Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.*

Virtutes parentum & optimi mores plurimum conducunt ad rectam liberorum edu-
cationem. Denique honeſta patris & matris conuerſatio liberos plerunque inflammat
Mat. 7. ad virtutum ſtudia, & vitæ ſanctimonia eos à perpetrandis vitiis auocat. Subſcribit &
huic loco euangelicum illud Chriſti verbum: Omnis arbor bona bonos fructus facit.
Videntur tamen aliqua ſacræ ſcripturæ teſtimonia huic ſententiæ aduerſari. ſiquidẽ Sa-
1. Reg. 8. muel fuit vir iuſtus & ſimplex, & tamen diſsimiles ſui filios reliquit, qui à paternis mori-
bus degenerarunt: nam ſordido auaritiæ ſtudio dediti, & corrupti muneribus, peruerte-
4. Reg. 18. 4. Reg. 21. runt iudicium. Tum etiam Ezechias fuit vir probus, & diuinæ religionis amantiſsimus,
& reliquit poſt ſe Manaſſem filium perditiſsimum, qui deos alienos adorauit. Nec placuit
1. Polit. 4. Ariſtoteli opinio Theodecti, qui putauit vt ex hominibus hominem, ex beſtiis beſtiam,
ſic

ſic ex bonis bonum generari:& licet natura id velit,attamen plerunque non poteſt.Ad-
de,quòd ſi ex bonis parentibus ſemper boni liberi naſcerentur, nõ promererentur ſuis
virtutum officiis laudem neque gloriam.Nam ex bis quæ nobis à natura inſunt, nemo
laudatur neque vituperatur. Verùm cum dicit Salomon, iuſtum in columbina ſim-
plicitate ambulantem,beatos poſt ſe filios derelinquere, illos exiſtimat vere filios iuſti
appellari,qui veſtigia & exempla iuſti ſequuntur.Nam qui ſua patrimonia ſuaſque opes
ſcortis & obſcœnis voluptatibus decoxerũt, & improbè vixerunt,nõ ſunt digni vt vo-
centur iuſtorum filij.Siquidem adoleſcens ille prodigus & laſciuus, qui ſuam ſubſtantiã
viuendo luxurioſe diſsipauerat',cum poſt longam inediam & famem quam tolerauerat,
pœnitentia ductus ad ſuum patrem tanquam ad ſacram ſuæ vitæ anchoram confugit,
dicebat,Pater,peccaui in cælum,& coram te:iam non ſum dignus vocari filius tuus. fac Lucæ 15.
me ſicut vnum de mercenariis tuis.Optima etiam parentum ſeminaria,& honeſtæ vitæ
præſidia,magnopere conducunt vt liberi fiant boni: & communiter ex bonis parenti-
bus boni procreantur filij,non quidem boni niſi inclinatione naturali, & optimis na-
turæ igniculis:ſed euadunt abſolutè & ſimpliciter boni,aſſuefactione virtutis, & hone-
ſtis officiis. Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſsipat omne malum intuitu ſuo.) Rex
æquiſsimus iuſtum exercẽs iudicium, diſsidia & contentiones ſuorum ſubditorum diſ-
cutit & cõponit,bonis præmia cõſtituit,& malis pœnas irrogat,quos ſuo intuitu terret.

Quis poteſt dicere,mundum eſt cor meum,purus ſum à peccato?) Hoc in loco planè
docet Salomon ſtultam eſſe ſuæ laudis iactantiam, & temerarium eſſe vnumquemque
de ſua innocentia & iuſtitia gloriari.Hoc autem dictum putes conſiderata humanæ na-
turæ fragilitate,& metiendo vires hominis. Niſi enim dominus ſpeciali gratia te iuue-
rit, tuique animi vires firmauerit, non poteris abſque temeritate & mendacio dicere,
Mundus ſum à peccato, immunis ſum ab omni culpa. Et licet mortiferi delicti ſordes
non coinquinent neque fœdent tuam animam, peccati tamen quotidiani macula te
contaminat.Inſignis autem fuit gratia quam dominus Ieſus omnium innocentiſsimus
& mundiſsimus ſuæ puriſsimæ matri præſtitit, vt eam ab omni peccato præſeruaret.
Quòd denique aliqui ſint mundi à peccato ſaltem mortali, id diuinæ gratiæ tribuendũ
eſt. Vnde dicit propheta, Beati immaculati in via. Et in euangelio ſcriptum eſt, Beati Pſal.118.
mundo corde,quoniam ipſi deum videbunt.Hanc quoque Salomonis ſententiam aliis Matt.5.
ſacrarum literarum teſtimoniis ſuffulciemus. In libris Regũ dicitur,Non eſt homo qui 3.Reg.8.
non peccet.Item,Si iuſtificare me voluero,os meum condemnabit me. Si innocentem & 2.Paralip.6.
oſtendero, prauum me comprobabit.Et alibi, Quid eſt homo vt immaculatus ſit, & vt Iob.9.
iuſtus appareat natus de muliere?Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis,& cæli non Iob.15.
ſunt mundi in conſpectu eius:quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit
quaſi aquam iniquitatem?Dicit etiam Dauid,Omnes declinauerunt,ſimul inutiles facti Pſal.13.
ſunt,non eſt qui faciat bonum,non eſt vſque ad vnum.Legimus & in Eccleſiaſte,Nõ eſt Eccleſ.7.
homo iuſtus qui faciat bonum, & non peccet. Et huic ſuffragatur ſententiæ illud diui
Ioannis,Si dixerimus quoniam peccatum non babemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas 1.Ioan.1.
in nobis non eſt.Et paulò pòſt,Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem fa-
cimus eum,& verbum eius non eſt in nobis. Fatetur & Paulus in epiſtola ad Romanos,
omnes in Adam peccaſſe.Sed id intelligendum eſt de iis qui à peccato nõ fuerunt præ- Roma.5.
ſeruati. Pondus & pondus,menſura & menſura,vtrunque abominabile eſt apud deũ.)
Illis ſuccenſet dominus, qui iniuſtis ponderibus & menſuris fraudem committunt, &
ſimplices circunueniunt. Pondus quidem maius & minus abominabile eſt apud deum.
Hinc in antiqua lege dictum eſt,Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & mi- Deute.25.
nus,nec erit in domo tua modius maior & minor.Pondus babebis iuſtum & verum, &
modius æqualis & verus erit tibi, vt multo viuas tempore ſuper terram quam domi-
nus deus tuus dederit tibi. Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer ſi munda & recta ſint ope-
ra eius.) Puer ſuis ſtudiis ſuiſque officiis probatur: quæ ſi recta ſint & munda, lau-
dem promerebitur. ſi verò obliqua & immunda, vituperij nota inuretur.Coniicimus &
ex bona indole quam puer pręſe fert,futuram virtutem.Nam pbyſionomia plurimum
facit ad præſagiendum de probitate hominis aut improbitate. Aurem audientem,&

oculum videntem,dominus fecit vtrunque.) Dei donum eſt audire doctrinam ſapien-
tum,eaque vti ad rectè viuendum,& eorum exempla perſpicere,& perſpiciendo ſectari.
Iob.33. Vnde dicit Iob,Deus aperit aures virorum,& erudiens eos inſtruit diſciplina,vt auertat
hominem ab his quæ fecit,& liberet eum de ſuperbia,eruens animam eius à corruptio-
ne,& vitam illius vt non tranſeat in gladium. Noli diligere ſomnum,ne te egeſtas op-
primat.Aperi oculos tuos , & ſaturare panibus.) Qui pigritiæ dediti altum dormitant
ſomnum , nec curant vitæ præſidia , plerunque grauiſsimam inopiam tolerant : qui
verò modicũ dormit,& ad laborãdũ paratus frangit ſoporẽ,ſubitoq́; expergiſcitur à ſo-
mno,egeſtatis morbo facilè medebitur,&cibo ſuis vigiliis & laboribus debito reficietur.
*Malũ eſt,malũ eſt,dicit omnis emptor: & cũ receſſerit,tũc gloriabitur. Eſt aurũ,& multitudo gemmarũ,
& uas precioſum,labia ſcientiæ. Tolle ueſtimentum eius qui fideiuſſor extitit alieni,& pro extraneis aufer pi-
gnus ab eo. Suauis eſt homini panis mendacii , & poſtea implebitur os eius calculo. Cogitationes conſiliis ro
borantur , & gubernaculis tractanda ſunt bella. Ei qui reuelat myſteria,& ambulat fraudulenter , & dila-
tat labia ſua,ne commiſcearis. Qui maledicit patri ſuo & matri , extinguetur lumen eius in mediis tenebris.
Hæreditas ad quam feſtinatur in principio,in nouiſsimo benedictione carebit.)*

Plerunque contingit emptorem paruo æſtimare rem emendam,eiuſque precium im-
minuere , vt vilius emat. Idcirco dicit venditori , Malũ eſt,malum eſt,exaggerando ver-
bis defectum rei emendæ , & minus valet quàm æſtimes. verùm cum recedit re empta,
gloriatur quòd merces minimo precio emerit. Sed vafrum hoc commentum fraudulen
tis conuenit,& non viris probis,qui nollent iuſtum venditorem fallere,nec ei damnum
adferre,imò cupiunt iuſto precio merces emere. Sunt enim emptio & venditio ſpecies
5.Eth.2. iuſtitiæ commutatiuæ : quare in ſpontaneis hominum commerciis debet æquitas ob-
ſeruari. Eſt aurum,& multitudo gemmarum , & vas precioſum,labia ſcientiæ.) Pleriſ-
Prouer.3.8. &.16. que in locis ſuaſit Salomon ſapientiam eſſe meliorem & excellentiorem cunctis opibus
precioſiſsimis . Et ſi ſelectiſsimæ & maximè inſignes regionum omnium margaritæ in
vnum conferrentur,& vaſa aurea & argentea,nunquam poſſent excellentiam ſapientiſ-
ſimi viri conſequi,nec eius ſapientiæ conferri. Etenim terrena omnia marceſcũt,tametſi
aliquo temporis interſtitio floreant:ſapientia vero nunquam marceſcit,nunquam è ſuo
Sapi.6. fragrantiſsimo flore decidit . Tolle veſtimentum eius qui fideiuſſor extitit alieni, &
pro extraneis aufer pignus ab eo.) Licitè quis poterat in antiqua lege auferre veſtem &
pignus illius qui fideiuſſerat pro alio . Nam fideiuſſor ſe obſtrinxerat ad ſatiſfaciendum
pro alieno. Si tamen indiguiſſet illa veſte ad ſe obtegendum nocte,ſub veſperam ei red-
Exod.22. debatur,& mane creditor eam repetebat. Vnde in Exodo ſcriptum eſt,Si pignus à pro-
ximo tuo acceperis veſtimentum,ante ſolis occaſum reddes ei. Ipſum enim eſt ſolũ quo
operitur indumentum carnis eius,nec habet aliud in quo dormiat. ſi clamauerit ad me,
exaudiam eum,quia miſericors ſum. Et dominus per Amos prophetam ſuccenſet & im-
Amos.2. properat quibuſdam filiis Iſrael quòd ſuper veſtimentis pignoratis accubuerint. Sua-
uis eſt homini panis mendacij , & poſtea implebitur os eius calculo.) Cibus mendaciis
acquiſitus,ſuauis eſt mentienti. Nam vnicuique delectabile eſt ſecundum habitum ope-
rari,poſthac tamen os eius implebitur amaritudine , & graui confuſione. Nam pro ſuis
Beda. impoſturis & mendaciis acerrimas luet pœnas. Venerabilis Beda hunc enarrans locum
dicit. In quocunque membro quis amplius peccauerit , in eo ampliora in vltione patie-
tur tormenta. Vnde rectè qui in lingua magis delinquit,in ea plus arſurus eſſe perhibe-
tur,dum os eius calculo(qui eſt lapis ignitus)implendum eſſe refertur:quod accidiſſe cõ
Lucæ.16. ſtat diuiti illi qui epulabatur quotidie ſplendidè,cum in inferno ardens , refrigerari ſibi
à Lazaro linguam petebat. Nam quia in verbis ſuperuacuis in epulando defluxerat , in
lingua amplius ardebat. Hæc ille. Loco huius, Implebitur os eius calculo, Septuaginta in-
terpretes legunt , ἐμπλησθήσεται τὸ στόμα αὐτοῦ χαλίκων. Id eſt, implebitur os eius ſilicibus.
Hierony. Hieronymus ediſſerens illum Eſaiæ locum, Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in ma
Eſa.6. nu eius calculus quem forcipe tulerat de altari,& tetigit os meum, dicit:Poteſt calculus
ſignificare carbunculũ lapidẽ,qui ob coloris flammei ſimilitudinem igneus appellatur.
Hęc ille. Poteſt & tormentum ignis quod mendaces & impij ſufferent,exprimi calculo.
Cogitationes conſiliis roborantur,& gubernaculis tractanda ſunt bella.) Perſpicien-

tia

tia rerum & exquiſitiſsimis conſiliis cogitationes fulciuntur & augentur, ac felices exi-
tus habent, & magis prudentia, multis rerum experimentis, & cunctatione, ac recta mi-
litum gubernatione tractãda ſunt bella quàm corporeis viribus, & armorum præſidiis.
Et huic ſententiæ ſubſcribit illud Ciceronis de Senectute, Non viribus aut velocitati-
bus aut tarditatibus corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, authoritate & ſenten-
tia. Ei qui reuelat myſteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia ſua, ne commi-
ſcearis.) Nullum eſt habendum commercium cum illo qui detegit arcana & cõſilia ſuæ
fidei concredita, & veram ſimulando amicitiam, multa pollicetur quæ non præſtat. Fu-
giendus eſt omnino talis fictus & perſonatus amicus, qui integerrimo amico palã blan-
ditur, eum verò clanculum prodit. Hinc dicit Eccleſiaſticus, Qui denudat arcana amici, Eccleſ. 27.
fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum ſuum. Qui maledicit patri ſuo &
matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris.) Dignus eſt vt torqueatur eculeo, &
membratim diſcerpatur, qui maledictionis ſputa in ſuum patrem & maırem euomit: &
me hercules meretur detrudi in tenebras exteriores, vbi erit fletus, & ſtridor dentium.
Vnde in Leuitico ſcriptũ eſt, Qui maledixerit patri ſuo aut matri, morte moriatur. Patri Leuit. 20.
matrique qui maledixerit, ſanguis eius ſit ſuper eum. Hæreditas ad quam feſtinatur
in principio, in nouiſsimo benedictione carebit.) Hæc torquetur parabola in illos qui
ambitionis aut auaritiæ ſtudio capti, cupiunt ſuos parentes è regno aut domo expelle-
re, vt ipſi regnent: quos deus iudex optimus plerunque ſuorum parentum ſucceſsione
priuat, nec etiam pleriſque morbis & moleſtiis afflictos regnare permittit. Nemo ſiqui-
dem dignus eſt aliis principari & imperare, qui nunquàm ſubditione aut principatu al-
terius vixerit. Conuenit & apposite huiuſce loci ſententia iis qui ante tempus ſitiũt ſuo-
rum parentum patrimonium, quos vellent breui exhalare animam, vt hæreditate frue-
rentur: quia tamen optant quod eos optare non decet, dei & ſuorum amicorum bene-
dictione carent, & multis torquentur miſeriis.

¶ *Ne dicas, reddam malum: expecta dominum, & liberabit te. Abominatio eſt apud dominum pondus &
pondus: ſtatera doloſa non eſt bona. A domino diriguntur greſſus uiri. Quis autẽ hominum intelligere poteſt
uiam ſuam? Ruina eſt homini deuotare ſanctos, & poſt uota retractare. Diſsipat impios rex ſapiens, & in-
curuat ſuper eos fornicem. Lucerna domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta uentris. Miſeri-
cordia & ueritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. Exultatio iuuenum, fortitudo eorũ:
& dignitas ſenum, canicies. Liuor uulneris abſterget mala, & plagæ in ſecretioribus uentris.)*

Nos cohortatur Salomon vt cohibeamus affectum vltionis, nec optemus reddere
malum pro malo, nec iniuriam iniuria retaliare. Hinc dicebat propheta ſibi temperans
à vindicta, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis ina- Pſal. 7.
nis. Et huic ſubſcribit iudicio Paulus in epiſtola ad Romanos, explicans abunde quidnã
ſibi velit hæc Salomonis ſententia, Nulli (inquit) malum pro malo reddentes. Et paulò Roma. 12.
pòſt, Non voſipſos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ. ſcriptum eſt enim, Mihi Deute. 32.
vindictam, ego retribuam, dicit dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſi-
tit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. Noli vin-
ci à malo, ſed vince in bono malũ. In lege tamẽ præfixa erat talionis pœna, vt reddere-
tur anima pro anima, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro manu, pes pro pede, Exod. 21.
aduſtio pro aduſtione, vulnus pro vulnere, liuor pro liuore. Sed illud debito iuris ordi- Leuit. 24. & Deut. 19
ne, & non liuore & zelo vindictæ obſeruandum erat: & ad officium iudicis ſpectat fla-
gitiis hominum infligere pœnam, & reddere malum pœnæ pro malo culpæ. Licet inni-
tendo perfectioni, & euangelicam philoſophiam ſectando, conſulendum ſit Chriſtiano
vt non reſiſtat malo: quandoquidem dicit Chriſtus volens iuſtitiam noſtram eſſe iuſti-
tia Scribarum & Phariſæorum excellentiorem, Dico vobis nõ reſiſtere malo: ſed ſi quis Matt. 5.
te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et hæc ſane intelligen-
da ſunt, vbi referiendo proximus non ſolum nõ emendaretur, ſed deterior fieret, & per-
peram laboraremus: & nõ repercutiendo, reſipiſcet, & ad virtutem inflectetur: denique
vbi remiſsio pœnæ & quies à vindicta, nõ officeret bono reipublicæ. Vnde ſcriptum eſt
in Leuitico, Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Abomi- Leuit. 19.
natio eſt apud dominum pondus & pondus: ſtatera doloſa non eſt bona.) Hæc ſuis in

locis iam declarata ſunt. A domino diriguntur greſſus viri : quis autem hominem intelligere poteſt viam ſuam?) Nos deus ſua benignitate iuuat vt rectam virtutum ſemitam capeſſamus: quòd ſi greſſus noſtri non dirigantur à domino ad bonum, ab inceptis deſiſtimus. Nec poteſt homo beatitudinem æternam ad quam anhelat, conſequi, niſi diuina gratia iuuetur, quandoquidem finis ille ſupremus humanæ naturæ vires longè exuperat. Nec etiam poteſt homo plenè & perfectè abſque diuina ope intelligere viam ſuæ ſalutis, qua ad beatorum fœlicitaté contendet. Hæc autem ſeorſim ex aliis ſacræ ſcriptu-
Eſa.26. ræ locis ſtabiliemus. Dicit enim Eſaias, Omina opera noſtra operatus es nobis. Et de di-
Pſal.26. rigendis à domino greſsibus noſtris dicit Propheta, Dirige me in ſemita recta. Et alibi,
Pſal.118. Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.
Quòd autem Deus ſit nobis via ad nanciſcendam beatorum vitam, & æternam fœlici-
Ioan.14. tatem, indicat illud Euangelij de Chriſto, Ego ſum via, veritas, & vita: nemo venit ad pa-
Ioan.15. trem, niſi per me. Iterum, Sine me nihil poteſtis facere. Et huic euangelicæ philoſophiæ
Philip.2. ſubſcribit Paulus dicens, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate. Ruina eſt homini deuotare ſanctos, & poſt vota retractare.) Ruit præceps in ſoueam peccati, qui nonnihil deo vouit, eiuſque ſanctis conſecrauit, & cum poteſt, non adimplet. Licet enim vouere ſit ſpontaneę voluntatis, tamen reddere votum eſt neceſsitatis. quod enim deo ſpontè polliciti ſumus, opportuno tempore præſtare debemus. Hinc illud Eccleſiaſtæ, Si quid vouiſti deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſsio. Sed quodcunque voueris, redde: multoque melius eſt nõ vo-
Eccleſ.5. uere, quàm poſt votum promiſſa non reddere. Et huic Salomonis loco finitimum eſt il-
Deute.23. lud Deuteronomij, Cum votum voueris domino deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud dominus deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis, & facies ſicut promiſiſti domino deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es. Diſsipat impios rex ſapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.) Nobiliſsimi & potentiſsimi regis officium eſt infeſtiſsimos Reipublicæ hoſtes & quoſcunque rebelles debellare, in eorumq́ue temeritatem & impudentiam acriter animaduertere. Quod autem ſubnectit Salomon, Incuruat ſuper eos fornicem, indicat reges antiquitus conſueuiſſe parta de hoſtibus victoria erigere in ſignum laudis & virtutis arcum ſiue fornicem triũ-
1.Reg.15. phalem. Siquidem Saul poſtquam expugnauit Amalechitas, erexit ſibi fornicem triumphalem. Animaduerte fornicem proprie arcum ſignificare, & quodcunque opus concameratum, à furuo, id eſt obſcuro, quòd eiuſmodi opera obſcura ſint. Vnde Martialis in epigrammate ad Leſbiam,

At meretrix abigit teſtem veloque ſeraque,
Raraque ſummœnij fornice rima patet.

Lucerna domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta ventris.) Quòd
Gene.2. ſpiritus hominis ſiue anima dicatur ſpiraculum, oſtendit illud Geneſeos, Formauit dominus deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. His verbis Salomon innuit ſpiritum hominis & lumen naturale rationis, à diuino lumine illu-
Pſal.4. minari. Vnde dicit Propheta, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine. Et alibi, ſecũdum quod dicit Dauid, Quia tu lucerna mea domine, & tu domine illuminabis tenebras meas. Et cum ſpiritus hominis diuino afflatu & fulgidiſsima illa luce illuſtratur, homo ſui cordis ſecreta, internas cogitationes, ſuoſq́ue proprios actus & affectiones inueſtigat, & inueſtigando certò aut probabiliter cognoſcit. Et hoc plane docet Paulus
1.Corin.2 dicens, Quis enim hominum ſcit quę ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?
1.Reg.22. Miſericordia & veritas cuſtodiunt regẽ, & roboratur clementia thronus eius.) Rex dignus eſt laude qui miſericordiam cum ipſa veritate & iuſtitia copulat, nec tam ad præſtandam miſericordiam facilis eſt vt nimis indulgeat, nec ſuæ mentis oculum ad tuendam iuſtitiam deflectat. Denique non eo rigore iuſtitiæ vtitur, neque ea animaduerſionis auſteritate, vt nullum miſericordiæ locum relinquat, ſed excellentiſsimam ex miſericordia & æquitate harmoniam conficit. Et hæc antea declarata ſunt. Regius autem & auguſtiſsimus principis thronus, clementia & humanitate ſtabilitur. Enimuero rex clementiſsimus

mentiſsimus ſua manſuetudine ſuorũ ſubditorũ gratiã demeretur, qui hoc vnũ ad tuẽ-
dã ſui regni trãquillitatẽ ſuo animo infigere debet, vt magis ametur quàm timeatur. Nec
immerito dicebat Dauid, Et mãſuetudo mea multiplicauit me. Exultatio iuuenũ ſor- 2.Reg.22.
titudo eorũ, & dignitas ſenũ canicies.) In exercitiis bellicis robuſtiſsimi iuuenes maximè
gloriãtur cũ generoſum militẽ de gradu certaminis deiecerunt: & quẽadmodũ illis agi-
litas corporis & fortitudo cedit in gloriam, ita & ſenibus veneranda canicies. Habet ſi-
quidem ætas omnis nonnihil præclari, in quo gloriari poteſt. Quòd autem obſeruanda
ſit & laudanda ſenũ canicies, facile eſt ex eo quod in Leuitico ſcriptũ eſt, cõprobare: Co-
rã cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Quænã verò colẽda ſit ſenectꝰ, docet Leuit.19.
liber Sapiẽtiæ, Senectus enim venerabilis eſt, nõ diuturna, neque annorũ numero cõpu- Sapi.4.
tata: Cani autẽ ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Liuor vulne-
ris abſterget mala, & plage in ſecretioribus ventris.) A morbis & plagis animi purgan-
tur ac ſanantur, qui flagella domini, languidas ſcilicet corporis ægritudines, tormẽta ple
raque, & exulcerationes ac aduerſa quæque perpeſsi ſunt. Etenim cũ exterius affligimur,
ad peccatorũ noſtrorum memoriam reuocamur, & ad dominum confugimus, vt plagas
noſtræ mentis ſanet. Vnde dicebat Dauid, Ad dominum cum tribularer clamaui, & exau Pſal.119.
diuit me. Attende ventris appellatione mentem hoc in loco exprimi. Sicut enim venter
conſumit eſcas, ita mens pertractando excoquit curas.

ARGVMENTVM VICESIMI PRIMI CAP.

Siquid reges illuſtriſsimi & potentiſsimi cogitent quod reipublicæ utiliſsimum ſit, & ſuorũ ſubditorum concordiam & tranquillitatem tueatur, id ſanè deo optimo referendum eſt acceptiſsimum, qui nonnunquam mouet corda regum ad ineundum mutuam amicitiã, eorumque affectus prius diſsidiorum fluctibus agitatos ſedat & cõponit: & non ſolum regum, uerumetiam & ſanctorum omnium animos quocunque uoluerit inflectit & inclinat: quibuſcunque etiam libuerit ſua gratiarum munera largitur, cui haud dubie miſericordiæ & iuſtitiæ officia magis placent quàm uictimæ: à quo non exaudientur etiam eius opem efflagitãtes, qui obturant aures ad clamorem pauperum, ipſiſque uitæ ſubſidia denegant.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

SIcut diuiſiones aquarum, ita cor regis in manu domini, quocunque uoluerit, inclinabit illud. Omnis uia uiri recta ſibi uidetur, appendit autem corda dominus. Facere miſericordiam & iudicium, magis placet domino quàm uictimæ. Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis: lucerna impiorum, peccatum. Cogitationes robuſti ſemper in abundantia, omnis autem piger in egeſtate eſt. Qui congregat theſauros lingua mendacii, uanus & excors eſt, & impingetur ad laqueos mortis.)

Quemadmodum volũtate diuiua diuiſæ ſunt aquæ quæ erant ſub Gene.1.
firmamẽto, ab his quæ erant ſuper firmamentum, ita dei voluntate & poteſtate mouetur
cor regis, quod poteſt augere aut imminuere, obdurare aut incuruare, & pro animi ſen-
tentia quocunque voluerit, vertere & inclinare. Quis enim vnquam diuinæ poteſtati re- Pſal.75.
ſiſtere potuit? Nunquid flagitioſiſsimum Pharaonem, & in ſua opinione pertinaciſsimũ Exo.9.&
excitauit vt in eo ſuam virtutem oſtenderet? Nonne commouit cor Sennacherib regis Roma.9.
Aſſyriorum, vt non occuparet Hieruſalem, ſed percuſsis vna nocte centum octo-
ginta quinque milibus ſui exercitus, in ſuam patriam reuerteretur, & à ſuis filiis 4.Reg.19.
miſerè trucidaretur? Excitauit & Nabuchodonoſor regem Babylonis ad ſubuer-
tendum Sedechiam regem Iuda, & ad reprimendàm ſuperbiam & arrogantiam fi- Hiere.39. Ezec.26.
liorum Iſrael. Quòd ſi potentiſsimi reges & principes dei potentiæ & ditioni ſub-
dantur, ſortiori argumento & eorum ſubditi, ignobiles, & abiectiſsimæ conditio-
nis homines. Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda dominus.)
Licet actiones hominis plerunque ſint malæ, & frequentius quàm bonæ, tamen non
expetuntur ab homine ſub ratione mali, ſed boni ſaltem apparentis. Nemo enim reſpi-
ciens ad malum operatur. Et licet iudicet in vniuerſum omne malum eſſe fugiendum,

erroneum tamen habet in particulari iudicium . Siquidem affectiones,& rerum huma-
narum cupiditates,ac oblectamenta quibus detinemur,ſæpiſsime iudicium rationis ob-
nubilant,& admodum difficile eſt exactè ſcire quando cogitationes noſtrę ſunt rectæ,
& deo placent,qui ſolus corda hominum ſcrutatur,& æquiſsima ſuæ iuſtitiæ ſtatera me-
Mat 16 & Roma.2. rita noſtra & demerita appendit,paratus reddere vnicuique ſecundum opera eius: cui
magis grata ſunt pietatis & iuſtitiæ officia , quàm veteris legis ſacrificia,vt aliubi ſatis
declaratum eſt.Non enim dominus requirit a nobis victimas,& multas oblationes quæ
Mich.6. ſunt ex conſilio,ſed vt faciamus iudicium,& diligamus miſericordiam,vt docet Miche-
as propheta. Exaltatio oculorũ eſt dilatatio cordis,lucerna impiorum,peccatum.) Eri-
guntur ſuperborum oculi,cum eorum cor in ſuperbiam & arrogantiam effertur:humi-
lium vero oculi demittuntur , ſed a domino in rerum ſpiritalium contemplationẽ eri-
guntur. Et quemadmodum virtus iuſtis lucerna eſt,qua recto calle ad exoptatiſsimum
finem ducũtur,ita peccatum iniuſtis & impiis lucerna eſt , qua ad ſectandas huiuſce tur-
bulenti mundi voluptates & inaudita flagitia diriguntur,& peccatorum funibus pertra
Iob.18. cti tandem in profundas inferorum tenebras præcipitantur. Vnde dicit Iob,Nonne lux
impij extinguetur,nec ſplendebit flamma ignis eius ? Lux obtenebreſcet in tabernaculo
Iob.21. illius,& lucerna quæ ſuper eum eſt,extinguetur.Et alibi,Ducunt in bonis dies ſuos,& in
Hiere.4. puncto ad inferna deſcendunt. Et loquens Hieremias de impiorum væcordia dicit , Sa-
pientes ſunt vt faciant mala,bene autem facere neſcierunt. Cogitationes robuſti ſem-
per in abundantia,omnis autem piger in egeſtate eſt .) Abundant bonis qui dei dona
honeſtis ſtudiis locupletant:& quoniam robore mentis & fortitudinẽ pręcellentes ſem-
per cogitant bona facere,& talentum domini ſibi concreditum adaugere,bonorum om
nium abundantia ditantur.qui verò pigritia ſoluti ſunt , & vmbratilem ac ocioſam vi-
tam amant,& talentum domini imminuunt , in extremam paupertatem incident.Hoc
Matt 25. ſanè docuit Chriſtus in euangelio dicens,Omni enim habenti dabitur , & abundabit:ei
autem qui non habet,& quod videtur habere,auferetur ab eo. Qui cõgregat theſauros
lingua mendacij,vanus & excors eſt,& impingetur ad laqueos mortis.) Hoc in loco Sa-
lomon inuehitur in adulatores diuitum,quibus ſanè nihil eſt peſtilentius,nihil denique
Reipublicæ pernicioſius.Siquidem venaturi prædam , ſummis & clariſsimis viris adu-
lantur vt ditentur,confingunt mendacia vt veritatis amantiſsimos qui ab aſſentatiun-
culis abhorrent,eludant,& circunueniant:& quia lingua eorum concinnata eſt menda-
ciis & dolis,quibus opes iniuſte ſibi compararunt,miſeræ mortis laqueis irretientur , &
apud inferos,niſi eos pœnituerit,perpetuò cruciabuntur.

¶ *Rapinæ impiorum detrahent eos , quia noluerunt facere iudicium Peruerſa uia uiri aliena eſt : qui autem mundus eſt,rectum opus eius . Melius eſt ſedere in angulo domatis,quàm cum muliere litigioſa , & in domo communi. Anima impii deſiderat malum,non miſerebitur proximo ſuo.Mulctato peſtilẽte,ſapientior erit paruulus:& ſi ſectetur ſapientem,ſumet ſciẽtiam.Excogitat iuſtus de domo impii,ut detrahat impios à malo.Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis,& ipſe clamabit,& non exaudietur.Munus abſconditum extinguet iras,& donum in ſinu indignationem maximam.)*

Nunc oſtẽdit quantum nocumenti adferant diuitibus bona rapinis parta.Etenim ra-
ptores & tyranni vi opprimentes bona aliorum , in profundum inferni detrahentur.
1.Timot 6. Non igitur abſurdè dixit Paulus : Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem , &
in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt hominem in in-
Ecclesi.16. teritum & perditionem.Et de ſupplicio raptoris dicit Eccleſiaſticus, Non effugiet in ra-
pina peccator.Succenſet & dominus in prophetia Eſaiæ raptoribus , & iis qui depræ-
Eſa 3. dati ſunt bona pauperum,dicens:Vos depaſti eſtis vineam meam , & rapina pauperis in
domo veſtra. Et iuſtam reddit rationem Salomon cur raptores ad inferos vſque de-
trudentur ,quia noluerunt facere iudicium quibus oportebat eos feciſſe,nec iuſtè cum
proximo viuere , ſed potius ei inſigne damnum adferre. Peruerſa via viri aliena eſt:
qui autem mundus eſt , rectum opus eius.) Peruerſæ ſunt ſceleratiſsimorum homi-
num vię,& a deo , beatorumque ſemita,longè alienæ. Nullum ſiquidem eſt proborum
cum improbis commercium , & qui iniuſte viuunt ,& dei præcepta tranſgrediun-
tur , verè & appoſitè dicuntur filij alieni : quod indicat Pſalmus ille , Filij alieni

mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Qui verò Pſal. 17.
ſunt filij dei, quia eius ſpiritu aguntur, & repurgati ſunt à peccato, rectam ſequuntur orbitam, & honeſtæ vitæ officia exercẽt. Melius eſt ſedere in angulo domatis quàm cum muliere litigioſa, & in domo communi.) Quoniam mulier garrula & rixoſa perturbationes mouet, iurgia ſeminat, parit ſcandala, concitat bella, diuidit vnitatem, pacem violat, amicitiam diſſoluit, animi tranquillitatem aufert, & communem vitæ ſocietatem impedit, longè melius erit ſedere in loco ſecreto domus, & ſolitariam agere vitam, quàm habitare cum muliere litigioſa, & in domo quæ tibi ſit cum illa communis. Hinc dicebat Propheta, Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Et alibi, Similis factus ſum peli- Pſal. 54.
cano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio. Vigilaui, & factus ſum ſicut Pſal. 101.
paſſer ſolitarius in tecto. Amplexando ſenſum ſpiritalem dices, Melius eſt cœlibem a- 1. Cor. 7.
gere vitam, quàm ducere vxorem. Poteſt & angulo domatis ſignificari vita ſolitaria & religioſa, quæ eſt à tumultibus hominum & terrenis negociis ſemota: quam qui amat, cupit deſpectis rebus humanis ſoli deo placere. Intellige δῶμα, τος, latinè tectum dici. Et Septuaginta Interpretes hoc in loco ſic legunt, *κρεῖσσον οἰκεῖν ἐπὶ γωνίας ὑπαίθρου ἢ ἐγκεκονιαμένοις μετὰ ἀδικίας καὶ ἐν οἴκῳ κοινῷ*. Hoc eſt, Melius habitare in angulo non tecto, quàm pictis domibus cum iniuſtitia, & in domo communi. Quidam hic vocant domum communem, domum amplam. Anima impij deſiderat malum, nõ miſerebitur proximo ſuo.) Nullum eſt malũ quod non optet impius. Etenim deſiderat ſuis indulgere voluptatibus, aliena diripere, lædere proximum, pauperes vi opprimere, & ſtatum reipublicæ labefactare, & eò eſt vecordi & peruerſo animo, vt nunquam miſeriæ ſui proximi condoleat. Et licet impius malum deſiderat, non tamen ſub ratione mali, ſed boni apparentis. Mulctato peſtilẽte ſapientior erit paruulus: & ſi ſectetur ſapientem, ſumet ſcientiã.) Ex XIX. capite huius operis ſumito huiuſce loci intelligentiam. Excogitat iuſtus de domo impij, vt detrahat impios à malo.) Eò tendunt iuſtorum ſtudia, vt ſemper contendant pro viribus reuocare impios à malo, illiſque ſuadere nihil periculoſius eſſe animæ, quàm cœno voluptatum & vitiorum perpetuò volutari. Nihil verò vtilius animæ, quàm contractas animi ſordes reſipiſcentiæ lachrymis abluere. Et licet iuſtus ex impiis parentibus natus ſit, non propterea ſuorum parentum vitiis conniuet & acquieſcit, ſed nihil putat commodius eſſe, quàm internis ſuorum amicorum & aliorũ morbis mederi, & impium à luto ſcelerum in quo prius ſordidabatur, explicare. Qui obturat autem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur.) Qui obturãt aures ſuas pauperibus miſericordiã efflagitãtibus, nõ exaudietur a domino etiã ſi tẽpore anguſtiæ diuinã opẽ implorent, niſi forſitan interim eos pœnituerit. Vnde di-
cit diuus Iacobus, Iudicium enim ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam. Et Iaco 2.
diuiti epuloni negata eſt guttula aquę vt refrigeraretur, quia dum hic viueret, non ſub- Luce. 16.
leuauerat inopiam Lazari, nec eum pauerat micis quæ de ſua menſa cadebant. Munus abſconditum extinguet iras, & donum in ſinu, indignationem maximam.) Qui cupit iram domini & furorem extinguere, det occultè eleemoſynam pauperi, nec aurã popularem venando, quod contulit, iactitet, nec inanis gloriæ & humani fauoris aut extraneæ retributionis intuitu, ſed duntaxat amore conditoris, ſuas opes egenis par-
tiatur. Hoc autem inſtitutum nobis prǽſcripſit Chriſtus, dicens: Cum facis eleemo- Mat. 6.
ſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, & pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

¶ *Gaudium iuſto eſt facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. Vir qui errauerit à uia doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur. Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat uinum & pinguia, non ditabitur. Pro iuſto datur impius, & pro recto iniquus. Melius eſt habitare in terra deſerta quàm cum muliere rixoſa & iracunda. Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo iuſti, & imprudens homo diſſipabit illud. Qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet uitam, iuſtitiam & gloriam. Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens, & deſtruxit robur fiduciæ eius. Qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.)*

Nihil iucundius eſt iuſto quàm præſtare quod luſtum eſt,& officia iuſtitiæ exequi:&
vehementer gaudent præfecti iuſtitiæ cum in ſceleratiſsimos animaduerterunt:& in ma
ximam ipſorum gloriam cedit,vnicuique quod ſuum eſt tribuiſſe. Idcirco pro ſua illæſa
Pſal 36. & inuicta iuſtitia hæreditabunt terram. Iniuſti vero perpetuo timore concuſsi peribunt.
Et licet aliquando delectentur ſe damnum aliis intuliſſe, tamen maximè timent,& po-
tiſsimum ſicarij,prædones & homicidæ, ne in ſuis flagitiis deprehendantur. Nunquam
enim mens ſui conſcia quieſcit,nec à terrore ſuppliciorum libera eſt. Vir qui errauerit
à via doctrinæ,in cœtu gigantum commorabitur.) Commercium habent cum ſuper-
bis,& ſpiritibus immundis, qui à ſemita veritatis & ſanæ doctrinæ deflectunt. Nomine
gigantum hoc in loco intelliguntur arrogãtes,ſuperbi,moribus corruptiſsimi, & etiam
Iob 26. ipſi dæmones,de quibus dicit Iob, Ecce gigantes gemunt ſub aquis,& qui habitant cum
Pſal. 32. eis. Et in illo Pſalmo, Et gigas non ſaluabitur in multitudine virtutis ſuæ:ſumitur gigas
Auguſti. pro ſuperbo,qui authore Auguſtino,ſe extollit aduerſus deum,velut quia eſt ipſe aliquis
Sapi. 14. in ſe & per ſe. Tum quoque ſcriptum eſt in libro Sapientiæ : Ab initio cum perirent ſu-
perbi gigantes,ſpes orbis terrarum ad ratem confugiens,remiſit ſeculo ſemen natiuita-
tis,quæ manu tua erat gubernata. Aliquando tamen nomen gigantis ſumitur in bonam
partem pro fortiſsimo qui cæteros homines incomparabili virtute præcedit. Vnde de
Pſal. 18. Chriſto dicit propheta, Exultauit vt gigas ad currendam viam : à ſummo cœlo egreſsio
eius. Qui diligit epulas,in egeſtate erit:qui amat vinũ & pinguia, non ditabitur.) Qui
indulgent genio,& exquiſitiſsimas epularum delicias expetunt,ſumma prementur ino-
pia. Nam aſſuetis voluptatibus inſeruientes,ſua patrimonia liguriunt,ſuaſque facultates
paulatim conſumunt. Nec ditabuntur qui in vinis nardinis & precioſis multum pecu-
niæ inſumunt,& cupediis ciborum lautiſsimam menſam fouent. Pro iuſto datur im-
pius,& pro recto iniquus.) Impius nonnunquã temporaneum ſupplicium patitur,quod
Heſter. 7. iuſto intentauerat : quod nobis compertum eſt de peſsimo Aman, qui ſuſpenſus eſt in
patibulo quod parauerat Mardocheo. Et aliquando iniuſtus æternis pœnis cruciatur
pro peccato quod commiſit in iuſtum. Etenim tyranni perſequentes ſanctos martyres,
deiecti ſunt in ignem æternum. Melius eſt habitare in terra deſerta, quàm cum mu-
liere rixoſa & iracunda.) Iam huiuſce loci ſententia patuit. Theſaurus deſiderabilis,
& oleum in habitaculo iuſti,& imprudens homo diſsipabit illud.) Filius imprudens &
prodigus ſæpiſsime opulentiſsimos ſui patris iuſti theſauros diſsipat,& vno momento
Eccleſ. 2. deuorat quidquid à ſuo patre multis laboribus conquiſitum eſt. Hinc Eccleſiaſtes deplo
rat & deteſtatur omnem ſuam induſtriam,qua ſub ſole ſtudioſiſsime laborauit, ignorãs
an hæres quem eſſet habiturus poſt ſe,ſapiens vel ſtultus futurus ſit,& dominaretur in la-
boribus quibus deſudauerat. Et hoc quoque vanum eſſe exiſtimauit. Nam cum alius la-
boret in ſapientia & doctrina & ſollicitudine,homini ocioſo quæſita dimittit. Poteſt &
theſauro deſiderabili ſignificari bonorum operum claritas, & opulentia meritorũ:oleo
Mat. 25. vero,pietatis officia, quæ non ſunt in fatuis virginibus reperta. Sed habitaculum iuſtorũ
inimici fidei diſrumpere nituntur. Qui ſequitur iuſtitiam & miſericordiam, inueniet
vitam,iuſtitiam & gloriam.) Frequenter Salomon connectit iuſtitiam cum miſericor-
dia:nec immeritò. Nam vna ab altera diuelli non poteſt. Idcirco dignus eſt beatorũ vi-
ta & gloria,qui non ſolùm amat iuſtitiam & miſericordiam,ſed iuſtitiæ & miſericordiæ
opera exercet. Ciuitatem fortium aſcendit ſapiens,deſtruxitque robur fiduciæ eius.)
Moſes legiſlator peritiſsimus,& inſigni ſapientia præditus, munitiſsimas ciuitates Seon
Nume. 21. & regis Amorræorum & Og regis Baſan expugnauit. Plus ſiquidem virium habet ſapien-
Deute. 3. tia in diruendis & euertendis ciuitatibus,quàm armorum præſidia. Qui cuſtodit os
ſuum & linguam ſuam,cuſtodit ab anguſtiis animam ſuam.) Refrenet linguam ſuam,
& temperatè viuat,qui vult à multis anguſtiis,periculis & peccatis præſeruari. Siquidem
gula & immoderata lingua multos in ruinam pertraxit.& hæc alibi delarata ſunt.

¶ *Superbus & arrogans uocatur indoctus, qui in ira operatur ſuperbiam. Deſideria occidunt pigrum. noluerunt enim quicquam manus eius operari. Tota die concupiſcit & deſiderat: qui autem iuſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit. Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere. Teſtis mendax peribit : uir*

obediens

obediens loquetur uictoriam.Vir impius procaciter obſirmat uultum ſuum:qui autem rectus eſt,corrigit uiam ſuam.Non eſt ſapientia,non eſt prudentia,non eſt conſilum contra dominum.Equus paratur ad diem belli,dominus autem ſalutem tribuet.)

Qui ex impetu iræ proſilit in ſuperbiam,conuicia & contumeliam,cenſetur indoctus
& ſatuus,carens dono veræ doctrinæ & ſapientiæ,tametſi humanis diſciplinis ſit prædi-
tus.Nihil enim aut parum ſcientia nobis conducit,quę non eſt charitati & manſuetudi-
ni cõiuncta. Deſideria occidunt pigrum,noluerunt enim quicquam manus eius ope-
rari.) Suis torquetur affectibus, ſuiſque ardentibus deſideriis enecatur,qui quod ſum-
mè cupit,non aſſequitur.Et quia deditus pigritiæ,opes & honores deſiderat, nec dat o-
peram vt huiuſmodi bonis fruatur,idcirco multis anguſtiis vexatur.Iuſtus vero his ca-
retq; moleſtiis.Nam laborare non ceſſat vt vitæ ſubſidia egenti tribuat.Iuſtus enim,autho
re Pſalmographo,miſeretur & tribuet.Quòd ſi ampliſsimas habeat opes,& abunde etiã Pſal.36.
largietur. Vnde dicit Tobias:Si multum tibi fuerit,abundanter tribue : ſi exiguum tibi Tobi 4.
fuerit,etiam exiguum libenter impartiri ſtude. Accedit & huic Salomonis ſententiæ il-
lud Pauli:Qui furabatur,iam non furetur,magis autem laboret operando manibus ſuis Ephe.4.
quod bonum eſt,vt habeat vnde tribuat neceſsitatem patienti. Hoſtiæ impiorum abo-
minabiles,quæ offeruntur ex ſcelere.) Abominatur dominus & reiicit hoſtias quæ offe-
runtur ex rapina,ſurto & iniuſtitia.Nam huiuſmodi hoſtiæ magis deo diſplicent,quàm
carentia hoſtiarum , quibus non indiget. Hinc illud Michee,Nunquid placari poteſt Mich.6.
dominus in milibus arietum , aut in multis milibus hircorum pinguium? Et hæc iam à
nobis explicata ſunt. Teſtis mendax peribit,vir obediens loquetur victoriam.) Prius
dixit Salomon,Teſtis falſus non erit impunitus:& qui loquitur mendacia,non effugiet. Prouer.19.
Et huic iudicio ſubſcribit illud Pſalmographi,Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. Pſal.5.
Qui verò à mendaciis abhorret,& fideliter quod pollicitus eſt præſtat,diuiniſque iuſsis
obſequitur,ad victricẽ palmam aſcendet:cuius egregia facinora de domitis internis ho
ſtibus victoriam teſtantur. Vir impius procaciter obſirmat vultum ſuum:qui autẽ re-
ctus eſt,corrigit viam ſuam.) Obſtinata mens impij,& factis & vultu procaciter obſir-
mato,ac torua facie manifeſtatur,& videtur impi⁹ vultu feroci ac caperata frõte ſeipſum
armare aduerſus omnem exhortationem & moderatam caſtigationem.Qui verò recti-
tudinis amator eſt,& timet pœnam æternam incurrere,ſi quandoque deum offenderit,
ſeipſum accuſat,& ſuam agnoſcendo culpam,reſipiſcit,& quæ malè acta ſunt,corrigit &
emendat:quod notum euadit de beato Petro,qui vehemẽter doluit quòd Chriſtum ter Luce.22.
abnegauerit:& poſtquam ad vberrimum diuinę miſericordiæ fontẽ confugit,ſuum pec-
catum amarè defleuit. Non eſt ſapientia,non eſt prudentia,non eſt conſilium contra
dominum.) Qui ſublimi rerum diuinarum & humanarum cognitione præditi ſunt,
non poſſunt diuinam prouidentiã & ordinationem præpedire ,nec dei voluntati reſi-
ſtere.Vnde dicit Iob,Deus ſolus eſt,& nemo auertere poteſt cogitationẽ eius. Suffraga- Iob.23.
tur & huic ſententiæ quod dicit dominus per Eſaiam:Conſilium meum ſtabit, & omnis Eſa.46.
voluntas mea fiet.Rurſum , Quis enim ſimilis mei?Et quis ſuſtinebit me?Et quis eſt iſte Hiere.49.
paſtor qui reſiſtat vultui meo? Equus paratur ad diem belli, dominus autem ſalutem
tribuet.) Qui cum hoſtibus in bello congrediuntur , tametſi pro viribus laborent vt de
gradu ſuos inimicos deiiciant & proſternant,tamen victoriam & fœlicem belli exitum
à domino expectare debent.Domini enim eſt bellum,qui non in gladio nec in haſta ſal- 1.Reg.17.
uat,vt dicebat Dauid Goliæ,quem diuina ope adiutus interfecit.

ARGVMENTVM VICESIMI SECVNDI CAP.

Longè melius eſt ipſi homini & expetibilius,uitæ ſanctimoniam & illæſam ſui famã apud omnes tueri, quàm multis affluere diuitiis,quandoquidẽ opes iis qui improbè & turpiter uiuunt,nihil ornamenti adferunt,ſed plurimũ dedecoris.Pauperi uerò bene uiuenti,candor animi,integritas nominis,cæteræque uirtutes & gratiam & ornamentum adiiciant,cuius modeſtia in contemptu ſummorum honorum,& ſancto dei timore ſita eſt.quem qui calumniis opprimit, & dolo ac mendaciis circumuenit ut ſuas diuitias augeat , ad iracundiam dominum prouocat,& in ſummam inopiam incidet:& quo magis animam eius configit & uexat,maioremque illi uiolentiam facit,eo ſanè maius tormentum ſufferet.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

MElius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ. Super argentum & aurum gratia bo-
na. Diues & pauper obuiauerunt ſibi, utriuſq; operator eſt dominus. Callidus uidet
malum, & abſcondit ſe: innocens pertranſit, & afflictus eſt damno. Finis modeſtiæ
timor domini, diuitiæ & gloria & uita. Arma & gladii in uia peruerſi, cuſtos au-
tem animæ ſuæ longè recedit ab eis. Prouerbium eſt, Adoleſcens iuxta uiam ſuam,
etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Diues pauperibus imperat, & qui accipit mu-
tuum, ſeruus eſt fœnerantis.)

Quòd nomen bonum multis diuitiis præferendum ſit, nemo eſt qui hæſitat. Et-
enim honeſta vtilibus præferenda ſunt: & incolumis & illæſa fama propius ad ſpiritalia
bona accedit, quàm ampliſsimarum rerum opulentia. Magis etiam ad tuendum dei ho-
norem ſpectat. Ad hæc, recta aliorum educatione, morum probitate, & celeberrimo no-
mine proximus ad virtutes inflammatur, aut à vitiis abducitur, non autem auri & ar-
Matt. 5. gẽti cumulis. Idcirco Chriſtus ſuis diſcipulis dixit, Luceat lux veſtra coram hominibus.
volens innuere, Veſtra ſancta & immaculata religio, veſtraq; ſanctimonia, & animi ma-
gnitudo in deſpiciendis rebus humanis, aliis ſit ſpeculum & exemplum bene viuendi.
Eccleſ. 41. Huic quoque Salomonis loco cohæret illud Eccleſiaſtici, Curam habe de bono nomi-
ne. hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri magni & precioſi. Bonæ vitæ
numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Quòd ſi neglexeris tuam
famam à calumniis hominum & canino inuidentiæ latratu protegere, ac nihilifeceris
quid de te male ſentiant homines, videberis ab ipſa humanitate alienus. Hinc mihi per-
3. Eth. 6. placet illa grauis & ſeria Ariſtotelis ſententia, Sunt nonnulla mala quæ quidem metue-
re oportet & honeſtum eſt, & non metuere turpe. Infamiam nanque qui timet, eſt pro-
bus & verecundus: qui non timet, impudens. Nec ſolùm precioſiſsimis auri & argenti
theſauris bona fama præferenda eſt, ſed etiam eximia & dei & hominum gratia. Nam
ea præditus, libertatem habet eundi quò velit, & faciendi quæcũque velit. Vnde de To-
Tobiæ. 1 bia viro equidem diuinæ religionis ſtudioſiſsimo, & pauperum alumno, legimus, Dedit
illi deus gratiam in conſpectu Salmanaſar regis, & dedit illi poteſtatem quocunque vel-
let ire, habens libertatem quæcunque facere voluiſſet. Poteſt & inſignis gratia frequen-
ter ſaluare vitam, quam diuitiæ non poſſunt. Diues & pauper obuiauerunt ſibi, vtriuſ-
que operator eſt dominus.) Tunc propriè & chriſtianè ſibi obuiant diues & pauper,
quando diues eſurientem alit, nudoque veſtimenta præbet: & hoc dei dono fieri credi-
mus. Vnde de beato Martino, generoſiſsimo Chriſti athleta, legimus, Cum nihil præter
arma & vnam veſtem poſsideret, pauperi nudo Chriſti nomine eleemoſynam à ſe ob-
nixe petenti in porta Ambianenſi dimidium chlamydis gladio diuiſæ tribuit, reliqua
parte ad ſe tegendum reſeruata: qui nocte conſecuta Chriſtum vidiſſe memoratur di-
midiata veſte quam is pauperi dederat, indutum, & dicentem, Martinus catechumenus
hac me veſte contexit. Occurrunt & ſibi obuij diues & pauper, quando diues non deſpi-
cit pauperem, nec pauper aduerſus diuitem murmurat. Impartiatur & diues ſuas opes
pauperi, pauper vero ſuam quantulamcunque operam præſtet diuiti, & prompta volun-
tate ac propenſione animi gratiam remetiatur. Callidus videt malum, & abſcondit
ſe: innocens pertranſit, & afflictus eſt damno.) Aſtutus videns periculum ſibi immi-
nere, ſe abſcondit, vt illud euitet, & nonnunquam fugit ne in manus ſuorum inimicorũ
1. Reg. 19. incidat: quod fecit Dauid, qui plerunque fugiendo, Saulis iram & furorem declinauit,
nec in pericula ſe temere præcipitauit. Innocens verò, & ignarus periculi ſibi imminen-
tis, pertranſit locum inſidiarum, & affligitur ſuarum rerum diſpendio, & nonnunquam
venit in manus ſuorum aduerſariorũ à quibus iugulatur. Vnde Achimelech ſacerdos à
1. Reg. 22. Saule accerſitus, ignorans periculum ſuæ vitę imminere, iuit cum tota familia ſui patris
ad ſceleſtiſsimum Saulem, cuius iuſſu fuit trucidatus à Doech Idumæo. Et hic locus nos
admonet vt non tumultuarie & concitato animo nos periculis exponamus, quãdoqui-
dem apoſtoli nonnunquam fugiendo ſuæ vitæ conſuluerunt, & terrores principũ, mi-
Matt. 10. nas & perſequutiones declinarunt: quibus Chriſtus dixerat, Cum vos perſequentur in

ciuitate iſta,fugite in aliam.Verùm cum eos oportuit pro fide de vita periclitari, atrociſsima mortis ſupplicia pro nomine Chriſti magno animo perpeſsi ſunt. Finis modeſtiæ timor domini,diuitiæ & gloria & vita.) Modeſtia propriè ſumpta,virtus eſt quæ circa mediocres honores verſatur:& ita ſe habet ad magnanimitatem,atque ſe habet liberalitas ad magnificentiam:& is modeſtus vocatur,qui moderato ſeu mediocri honore contentus eſt.Hic tamen ſumitur modeſtia pro moderamine obſeruando in omni virtute morali,cuius eſt paſsiones ſedare,& compoſitis animi affectibus tranquillitatem retinere.Et de inſigni virtute ipſius modeſtiæ dicit Paulus ad Philippéſes, Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.Perfectio igitur virtutum moralium in hac vita,facit vt timeamus dominum timore ſancto,eumque ſyncero amore colamus : & eò tendunt omnes virtutes morales,vt caſto dei timore domitis noſtris affectibus,nos à vitio reuocent,& ad honeſta officia impellant.Et non ſolū finis modeſtiæ & cæterarum virtutum moralium eſt timor dei in hoc ſeculo,ſed in futuro ſpiritales diuitię,gloria & vita æterna. Arma & gladij in via peruerſi,cuſtos autem animæ ſuæ longè recedit ab eis.) Audaces,ſuperbi & peruerſi ſubitò proſiliunt ad arma,& magis bellum bellicoſque tumultus amant quàm pacem.Nihil aliud expetunt quàm principum diſsidia fouere,& diſtrictis gladiis innocentes ferire,pauperum agros depopulari,expilare vrbes,& virgines deflorare:quorum inſolentia nihil eſt inſolentius. Et licet nonnunquam liceat ius ſuum & libertatem patriæ armis & bellis defendere, tamen abſque vlla æquitatis ratione belligerantur,& armorum præſidiis abutuntur. Sed qui ſecretam ſuæ animę domunculam diligenter cuſtodiunt,& timent ne ſummi iudicis gladio feriantur,ab huiuſmodi bellis & armis ſibi præcauent,ſcientes non licere homini authoritate propria alium occidere. Omnes enim qui acceperint gladium,gladio peribunt. Prouerbium eſt, Adoleſcens iuxta viam ſuam,etiam cum ſenuerit,non recedet ab ea.) Qui à tenera ætate imbiberūt vitia,illiſque peſsimè educati laxarunt habenas,vix poſſunt lenio fracti ab eis deſueſcere.Hinc bellè & ſcitè dictum eſt ab Horatio,

4.Eth.4.

Philip.4.

Matt.26.

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem,
Teſta diu.

Leonidas etiam pædagogus Alexandrum Philippi Macedonum regis filium vitiis quibuſdam imbuit,quæ robuſtum & magnum quoque regem ſunt perſequuta.Neque Ariſtoteles,cui ille poſtea operam dabat,potuit vitium extirpare à puerili inſtitutione imbibitum.Adeò in teneris(vt inquit Virgilius Georgicorum II.) aſſueſcere multum eſt. Et Plato cum quendam alea ludentē redarguiſſet,ille autem diceret,Quam parua o Plato reprehendis:At non paruum eſt(reſpondit)conſuetudo.Huic quoq; ſententiæ plaudit illud Ariſtotelis,Non parum,ſed plurimum,quin potius totum refert,ſic an non ſic homines ab adoleſcentia conſueſcant. Dicit etiam Ambroſius libro primo officiorum cap.XX. Vſus cito inflectit naturam. Diues pauperibus imperat:& qui accipit mutuum,ſeruus eſt fœnerantis.) Imperioſe & magna cum audacia loquitur diues cū pauperibus,& præſertim cum illis qui ſuæ ditioni ſubiecti ſunt. Diuitiæ plerunq; erigunt homini criſtas,& ſupercilium attollunt:paupertas vero deiicit hominem,eumq; cogit humi repere.Qui autem fœneratus eſt ab aliquo mutuum,ex eo ſeruus eſt fœnerantis,quia ei obſtringitur ad exoluendam pecuniam mutuò acceptam.

2.Eth.1.

¶ *Qui ſeminat iniquitatem,metet mala:& uirga iræ ſuæ conſummabitur.Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur.De panibus enim ſuis dedit pauperi.Victoriam & honorem acquiret,qui dat munera:animā autem aufert accipientium.Eiice deriſorem,& exibit cum eo iurgium,ceſſabuntq; cauſæ & contumeliæ Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum regem. Oculi domini cuſtodiunt ſcientiam,& ſupplantantur uerba iniqui.Dicit piger,Leo eſt foris:in medio platearum occidendus ſum.Fouea profunda os alienæ:cui iratus eſt dominus,incidet in illam.)*

Qui ſeminat virtutes,ſuauiſsimum virtutum fructum metet,& honeſtorum ſtudiorum præmia conſequetur.Qui verò vitia ſeminat,diſcordias ſcilicet,conuicia,iram,cōtumelias,peſtiferas hęreſes,maledicta,latrocinia,durā ſeruitutem,& ſceleratiora flagitia, ſupplicium peſsime ſæuienti debitum metet.Hinc dicit Paulus, Quæ enim ſeminauerit homo,hæc & metet:quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionē.

Gala.6.

qui autem ſeminat in ſpiritu,de ſpiritu metet vitam æternam. Tum quoq; in libro Oſeę
Oſeæ.10. ſcriptum eſt,Araſtis impietatem,iniquitatem meſſuiſtis , comediſtis frugem mendacij.
Et qui iniquitatum omnium virus in multorum perniciem ſparſit, nec deſiſtit in viros
probos ſurore & impetu ſuæ iræ ſæuire , ſibiipſi ſuæ ſæuitiæ & iracundiæ mortem con-
ſciſcet. Qui pronus eſt ad miſericordiam,benedicetur:de panibus enim ſuis,dedit pau-
peri.) Salomon frequenter mentibus hominum inculcat pietatis officia,vt ea nunquã
ē memoria excidant.Nec immeritó . Nam illa inter cætera maximè commendantur,
Matt.25. quibus optimum rependitur præmium . Et huic loco reſpondet illud euangelij,Veni-
te benedicti patris mei , poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſu-
riui enim , & dediſtis mihi manducare : ſitiui , & dediſtis mihi bibere, &c. Et cum
iuſti & miſericordes dicent Chriſto , regi equidem ſummo,Domine , quando te vi-
dimus eſurientem, & pauimus : ſitentem , & dedimus tibi potum?tunc rex reſpon-
debit , Amen dico vobis , quandiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mi-
hi feciſtis. Victoriam & honorem acquiret qui dat muneta , animam autem au-
fert accipientium.) Quis non plauſibilem omnium gratiam ſibi demeretur,qui vltro
munera largitur?Quis denique non colitur & ſuſpicitur cum potiſsimum de republica
bene meritis ſua impartitur? & quo princeps liberalius cum ſuis ſubditis tum externis
ampliſsima dona confert,eo ſi decertandum fuerit aduerſus hoſtes , maiorē nanciſcen-
dæ victoriæ ſpem concipit.Et non ſolum ſuas opes impartiendo,multorum beneuolē-
tiam ſibi conciliat,ſed eorum animos quaſi ſuffurando ad ſe rapit & allicit. Eiice de-
riſorem,& exibit cum eo iurgiū,ceſſabuntque cauſæ & contumelię.) Summouēdi ſunt à
ciuitate reipublicæ perturbatores,vt ciues à multis moleſtiis ſint liberi,& tranquillè vi-
uãt.Et qui authoritate valet,expellat ſcurras,cōuiciatores,ſuſurrones,& id genus homi-
nes,& ceſſabunt cōtumeliæ & iurgia. Qui diligit cordis mundiciam propter gratiam
labiorū ſuorum,habebit amicum regem.) Gratia labiorum,puritas ſermonis , & mun-
ditia linguæ quæ maximè commendatur,cordis mūditiam & nitorem indicat. Et quia
antiquitus illuſtriſsimi reges viris honeſtiſsimis ſtipabantur,apud quos adulatores , pa-
raſiti,geſticulatores,pędicones,pathici,lenones,& delatores male audiebant:idcirco vi-
tæ ſanctimonia conſpicui,& qui inſignem quandam in dicendo gratiam habebant, re-
Matt.5. gibus fiebant amiciſsimi.Qui deniq; mundo ſunt corde,de quibus dicit Chriſtus, Beati
mundo corde,quoniam ipſi deum videbunt:ſummi regis amicitiam ſibi comparabunt,
& regni cæleſtis felicitate & deliciis fruentur. Oculi domini cuſtodiunt ſcientiam,&
ſupplantantur verba iniqui.) Dominus ſua benignitate cuſtodit in eccleſia ſcientiam
veritatis quam docet,nec eam ſinit hallucinari in his quæ pro moribus & fide decernit.
Ioan.14. Vnde Chriſtus ſuis diſcipulis dicebat antequam in cælum reuerteretur, Paracletus autē
ſpirituſſanctus quem mittet pater in nomine meo,ille vos docebit omnia , & ſuggeret
vobis omnia quæcunque dixero vobis. Iniuſti autem,& hæretici omnes,& qui pietati ac
iuſtitiæ contrarij ſunt,ſubuertentur. Dicit piger,Leo eſt foris:in medio platearum oc-
cidendus ſum.) Leuiſsimæ ſunt excuſationes quas ſibi piger prætexit ne laboret,& bona
opera exerceat,& ne forti animo quod magnum eſt & arduum aggrediatur. Dicit ma-
iora ſibi imminere pericula quàm vt ea vitare poſsit. Et vbi poſſet corporeis viribus ra-
bidum leonem proſternere,refugit certamen. Me (inquit) viuum leo rugiens deglutiret
& abſorberet ſi cum eo congrederer. Etiam quidam Chriſtiani admodum timidi & ipſo
lepore meticuloſiores,tempore perſequutionis ſubterfugiunt palàm profiteri fidem ſal-
uatoris,dicentes,Adſunt tyranni qui nobis atrociſsimum mortis ſupplicium intentant:
non audemus fidem teſtari,ne moriamur. Sed huiuſmodi homunciones tyrannorū ter-
roribus fracti,indigni ſunt vita. Nam debuerant pro defenſione fidei, cum tempus po-
ſtulauit,honeſtiſsimam oppetere mortem. Fouea profunda os alienę:cui iratus eſt do-
minus,incidet in illam.) Impudica oſcula,& laſciua verba adulteræ & fornicariæ,ac pe-
ſtifera hæreticorum dogmata,profundæ foueæ conferuntur , in quam corruentes per-
Roma.2. eunt : & qui ſibi theſaurizant iram domini in die iræ , in profundum abyſsi & infe-
rorum demergentur.

¶ *Stultitia colligata eſt in corde pueri,& virga diſciplinæ fugabit eam. Qui calumniatur pauperem ut au-*
geat

geat diuitias ſuas,dabit ipſe ditiori,& egebit.Inclina aurem tuam,& audi uerba ſapientium:appone autem cor ad doctrinam meam.Quæ pulchra erit tibi cum ſeruaueris eam in uentre tuo, & redundabit in labiis tuis, ut ſit in domino fiducia tua.Vnde & oſtendam eam tibi hodie. Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia,ut oſtenderem tibi firmitatem & eloquia ueritatis reſpondere ex his illis qui miſerunt te.)

Quia pueri amant ludicra & puerilia quæque,propter defectum prudentiæ & debilem rationis vſum deſipiunt,& viriola quædam committunt, quæ flexili virga corriguntur. Vnde dicit Eccleſiaſticus:Qui diligit filium ſuum,aſsiduat illi flagella,vt lætetur Eccleſ.30. in nouiſsimo ſuo. Et paulò pòſt,Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans eſt,ne forte induret,& non credat tibi,& erit tibi dolor animæ. Qui calũniatur pauperem vt augeat diuitias ſuas,dabit ipſe ditiori,& egebit.) Vſurarij & raptores reipublicæ perniciofiſsimi,à quibus expilata ſunt pauperum bona, regibus & principibus ſe ditioribus theſaurizant,& nota tandem eorum vſura & rapina in ſummã paupertatem decidunt. Inclina aurem tuam,& audi verba ſapientium,appone autẽ cor ad doctrinam meam.) Nobis adnitendum eſt vt diuinæ ſapientiæ cultum capiamus,& ſumma cum diligentia ſapientum dictis auſcultemus.hoc enim ſtudio mentem noſtrã à terrenis cogitationibus auocabimus,& auocatam virtutibus exornabimus. Hæc autẽ admonitio frequenter ab authore noſtræ vtilitatis cauſa repetitur. Quæ pulchra erit tibi cum ſeruaueris eam in ventre tuo , & redundabit in labiis tuis, vt ſit in domino fiducia tua,vnde & oſtendam eam tibi hodie.) Excellentiſsima ſapientiæ doctrina diſcẽtibus videtur eſſe in exordio aſpera & inſuauis,ſed cum aſsiduis ſtudiis & intimo corde eius virtutem perceperint,eam ſanè ſuauiſsimam & pulcherrimam eſſe deprehendent: quam qui ſuis mundis labiis & compoſita lingua reſonant,eiuſque fructum percipiunt, confidunt ſe ad beatorum inſulas demigraturos,& nobis in hac vita, pulchra, nitida & elegans oſtenditur,pulchrior autem in futuro ſeculo ſedatis omnino noſtris affectibus oſtendetur. Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter in cogitationibus & ſcientia, vt oſtenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis reſpondere ex his illis qui miſerunt te.) Salomon tripliciter auditori veram ſapientiam deſcripſit.Siquidem cogitare, loqui,& operibus hanc exercere præcepit:qua quidem deſcriptione totus hic liber plenus refulget. Sunt tamen quidam interpretes peritiſsimi qui exiſtimant hac triplici ratione ſapiẽtiæ ſignificari tres partes veteris Teſtamenti,Legem ſcilicet,prophetas , & hagiographa. Et hac dicendi forma Salomon in perſona Dei loquitur, dicens,In frequenti ſacrarum literarum meditatione,& frequenti ſapientiæ exercitio(quod ſanè vehementer animum ad deum attollit)eſt firmiſsima ſacræ ſcripturę intelligentia. Et qui caſta huiuſmodi eloquia prompta voce in alios transfundunt,illiſque inſtructi ſunt,poſſunt aptè & appoſitè iis à quibus de ſeriis ſacrarum literarum ſcripturis interrogantur, reſpondere. Vnde dicit beatus Petrus,Parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea 1.Pet.3. quæ in vobis eſt ſpe. Poſſunt & viri omni doctrinarum genere conſummatiſsimi reſpondere iis à quibus mittuntur,potiſsimum deo optimo & ſapientiſsimo,angelis,& eccleſiaſticis principibus,à quibus ad diuerſa munera obeunda diriguntur. Dicunt & alij Salomonem hic in propria perſona loqui,vt velit planè fateri ſe tripliciter manifeſtaſſe pro modulo ſui ingenij ſapientiã Dei,in iſtis Prouerbiis,Eccleſiaſte,& Cãtico Cãticorũ.

¶ *Non facias uiolentiam pauperi,quia pauper eſt,neque conteras egenum in porta,quia dominus iudicabit cauſam eius,& configet eos qui confixere animam eius.Noli eſſe amicus homini iracundo,neque ambules cũ uiro furioſo,ne forte diſcas ſemitas eius,& ſumas ſcandalum animæ tuæ. Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas,& qui uades ſe efferunt pro debitis.Si enim non habet unde reſtituat,quid cauſæ eſt ut tollat operimentum de cubili tuo?Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui. Vidiſti uirum uelocem in opere ſuo,coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.)*

Si iniuſtum ſit & crudele cuipiam violentiam inferre,maxime crudelis & inhumanus is cenſebitur,qui infirmum , imbecillem & egenum violentia premet & torquebit. Imò quo viribus imbecillior eſt,& duriorem inediam ſuffert, eo magis debemus ei noſtram operam præſtare, eiuſque infirmitatem & inopiam ſubleuare. Poteſt & hic locus in hunc modum exponi:Si pauperi mutuò pecuniam dederis , non eum violentia opprimes. Vnde in Exodo ſcriptum eſt,Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi Exod.22.

qui habitat tecum, non vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Caueto et iã ne
Deute 16. in porta, id eſt in iudicio (quod antiquitus fiebat in portis vrbium) conteras egenum.
Eſaiæ.10. Siquidem dominus per Eſaiam ſuam torquet maledictionem in iudices iniquos, qui cõdiderunt leges iniquas vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Tum quoq; in libro Hie-
Hiere.21. remiæ dicit dominus, Iudicate mane iudicium, & eruite vi oppreſſum de manu calumniãtis, ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui extinguat propter malitiam ſtudiorum veſtrorum. Et hoc teſtimonio fulcitur ſententia huiuſce contextus, Quia dominus iudicabit cauſam eius. Etenim dominus vindicabit cau-
Pſal. 102. ſam pauperis iniuſtè tractatam. Et faciet iudicium omnibus iniuriam patientibus. Transfiget etiam dominus ſpiculis æternæ mortis & damnationis illos qui ſagittis ſuæ inhumanitatis corda pauperũ cõfixerunt. Enimuero iuſtum eſt vt à facie domini auertantur, qui ſuam faciem à pauperibus auerterunt, illiſque viſcera miſericordiæ occluſerunt. Noli eſſe amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioſo, ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.) Sapientia te cohortatur vt non ineas fœdus cum illo qui percitus ira, & æſtui iracundiæ aſſuetus, ſua conuiciorum venena in quoſque ſibi obuios ſpargit, viroſque clariſsimos iniuriis inceſsit, & grauiter lædit, licet adhibenda ſit diligentia, ſi fieri poſsit, vt ad priſtinam amicitiam redeat. Nec vllum nobis optandum eſt commercium cum furioſis & maniacis, qui ſuis adacti furiis, & furibundis affectibus, non parum detrimenti reipublicæ adferunt: quandoquidem illorum æmuli & ſectatores ſtolidi, non ſolùm ſibiipſis ſcandalum ſiue ruinam animæ adferunt, ſed pleriſque aliis. Noli eſſe cum his qui defigunt manus ſuas, & qui vades ſe offerunt pro debitis. Si enim non habet vnde reſtituat, quid cauſæ eſt vt tollat operi-
Prouer.6. mentum de cubili tuo?) Iam docuit Salomon, illum qui ſpopondit pro amico ſuo, defixiſſe manum ſuam apud extraneum, & illaqueatum verbis oris ſui, & captum propriis ſermonibus. Idcirco rurſum te monet vt vites periculum & damnum quod tibi ex fideiuſsione contingere poteſt, ne imiteris illos qui fideiubendo pro alio defigunt manus ſuas apud extraneum: nec ſine neceſsitate & vrgenti negocio te pro debitis alienis fideiuſſorem offeras. Si enim is pro quo ſpopondiſti, non habeat vnde reſtituat creditoribus, quid cauſæ eſt, & quæ tibi futura eſt vtilitas vt de tuo cubili tollatur pro pignore veſtimentum quo operiebaris? Vidéſne tibi damnũ vnà cum multis moleſtiis ingeri? Nõ ſis igitur facilis ad fideiubendũ pro alio. Ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui.) Caueto ne in aliorum fines irrumpas, & tui proximi bona diripias, ſed eſto contentus hæreditate patrum tuorum. Nec tranſilias limites à maioribus
Deute.19. tibi præſcriptos. Vnde in Deuteronomio ſcriptum eſt, Non aſſumes & transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in poſſeſsione tua. Admonemur & hoc prouerbio vt non tranſgrediamur præcepta ab antiquioribus & patribus noſtris nobis præſcripta: & plus illis & authoritatis & honoris quàm nobiſipſis deferamus. Demus etiam operam vt non tranſgrediamur terminos fidei, quos catholici doctores ab initio ſtatuerunt. Quòd ſi illi qui male ſentiunt de auguſtiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, de orandis ſanctis, de purgatorio, & de cultu & honore ſanctarum reliquiarum, voluiſſent ſectari veſtigia eccleſiaſticorum doctorum, eorumque limitibus contineri, nec iuſtas veræ doctrinæ metas tranſilire, non incidiſſent in illas hæreſes in quas inciderunt.

Vidiſti virum velocem in opere ſuo: coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles.) Qui ſtrenui ſunt & diligentes in opere ſuo, digni ſunt vt ſtent coram regibus, ipſiſque inſeruiant. tales ſiquidem debent à ſummis principibus honorificè recipi, nec eos decet barbaris & ignobilibus famulari. Qui etiam diuinis legibus obſequuti ſunt, & ſumma cum diligentia munus ſibi concreditum obierunt, in die iudicij coram ſummo & æquiſsimo rege ſtabunt, & ad dexteram collocabuntur.

ARGVMENTVM VICESIMITERTII CAP.

Si accerſitus fueris ad auguſtiſsima principum palatia ut de rebus magnis & arduis decernas, & quidnam tuus

tuus ſentiat animus dicas, præcaueto ne temere loquaris, & nobiliſsimum principem ad iracundiam prouoces. quòd ſi cum eo in menſa diſcubueris, præmeditare quidnam ſeriis eius percontationibus reſpõdeas, cui placere tibi difficillimum erit, diſplicere uero pernicioſiſsimum: & apud teipſum tacitus conſidera tuo gutturi admotum eſſe gladium, quo, ſi minima in re bilem ei moueris, iugulaberis. utilius tamen tibi erit honeſtam oppetere mortem, quàm uulnerata tua anima eius uitiis conniuere & aſſentari. Deniq; multo præſtat te patrocinando ueritati pauperrimam agere uitam, quàm neglecta ueritate ſupparaſitando ditari.

CAPVT VICESIMVMTERTIVM.

QVando ſederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ poſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes animam tuam in poteſtate. Ne deſideres de cibis eius in quo eſt panis mendacii. Noli laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & uolabunt in cælum. Ne comedas cum homine inuido, & ne deſideres cibos eius: quoniam in ſimilitudinem arioli & coniectoris æſtimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non eſt tecum. Cibos quos comederas, euomes, & perdes pulchros ſermones tuos.)

Nos cohortatur ſapientia vt cum in lautiſsimis principum menſis diſcumbimus, prudentiam nobis ducem, noſtrique ſermonis directricem ſequamur, ne quid tumultuariè & temere dicamus quod delicatas clariſsimorum virorum aures offendat. Ea denique ſerpentum aſtutia muniamur, vt potius Harpocratem quàm loquaciſsimũ Therſitem ἀμετροεπῆ, id eſt ſine fine verba fundentem, referamus. Plurimum ſiquidem ſummis principibus placet linguæ parſimonia: importuna vero loquacitas mirum in modum diſplicet. Et quia plerunque regibus & ducibus quod libet licet, debemus ab eis ad magnifica conuiuia accerſiti, tota mẽtis acrimonia totoque ſtudio perſpicere quidnam ipſis, cum de re quapiam interrogati fuerimus, reſpondebimus. Hoc tamen artificio nobis vtendum erit: Dentibus noſtris & ſermonibus vallum & retinaculum opponemus, vt petulantiam verborum coercere poſsimus. Verba etiam volitantia detractis pinnis intra ſepimentum cohibebuntur. Nec oratio noſtra in ore naſcetur, ſed in pectore. Et facilius à garrulitate nobis temperabimus, cùm ſedatæ fuerint noſtræ animæ paſsiones, & animũ ab erroribus & vitiis repreſſerimus. Beatus Auguſtinus tractatu LXXXIIII.
in euangelium Ioannis, ediſſerendo locum illum, Maiorem hac dilectionem nemo ha- Ioan. 15
bet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ſequitur ſeptuaginta Interpretũ
verſionem, quæ ſic habet, Si ſederis cœnare ad menſam potentis, conſiderans intellige Auguſti.
quæ apponuntur tibi, & ſic mitte manum tuam, ſciens quia te talia oportet præparare. Vbi ad allegoriam ludendo dicit Auguſtinus: Nam quæ menſa eſt potentis, niſi vnde ſumitur corpus & ſanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt conſiderare & intelligere quæ apponuntur tibi, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum, vt ſcias quia talia te oportet præparare, niſi quod iam dixi, quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuã poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere? Sic enim ait etiam apoſtolus Pe-
trus, Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplũ, vt ſequamur veſtigia eius. 1. Pet. 2.
Hoc eſt talia præparare, hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt, quorum ſi non inaniter memorias celebramus, atque in conuiuio quo & ipſi ſaturati ſunt, ad menſam domini accedimus, oportet, vt quemadmodum ipſi, & nos talia præparemus. Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij.) Non optes veſci cibis principum mendaciis iniuſtitia & fraude conquiſitis. Nam huiuſmodi cibi abominabiles ſunt domino. Et ſi quid fauore principum & ſummorum virorum obtinueris quod alteri iure debitũ erat, & verſuram feceris ne aſſequeretur, obſtringeris reſtituere. Noli laborare vt diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere, quia facient ſibi pennas quaſi aquilæ, & volabũt in cælum.) Nullis te laboribus
diſcrucies vt cumulatiſsimas opes acquiras. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in 1. Timot. 6.
tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt

hominem in interitum & perditionem. Sed tuæ induſtriæ tuæque prudentiæ in cõqui-
Matt.6. rendis opibus adhibe modum, nec theſaurizes in terra theſauros, vbi ęrugo & tinea de-
molitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Abhorreas ab inexplebili cupiditate poſsidē-
di terrenas opes, ne tuos ſubrigas oculos ad huius ſeculi regna & diuitias, quas acquire-
re non potes, quaſi tibi pennati eſſent oculi, vt nõ tam ad temporaneas diuitias anhela-
res quàm volitares, & tanquam aquila quæ volat in altum, ad hæc terrena aſpirares. Si-
quidem huiuſmodi conatus vanus eſt & irritus. Deinde te commonefacit Salomõ vt nõ
comedas cum illo qui tibi fœlicem fortunam inuidet, cui peculiare eſt triſtari de pro-
ſperitate alterius, & de aduerſitate maxime gaudere. Etenim cibi quos tibi apparauit, nõ
eo fine curauit tibi admoueri, vt illis vnà cum moderata voluptate reficiaris, ſed vt in-
ficiaris, & in tuam perniciem cedant: ſed plerunque deo conatus eius & inſidias præpe-
diente, non quod optabat aſſequitur. Et quemadmodum arioli diuinantes de futuris ab
his quæ in aris immolata ſunt, & ſomniorum coniectores non ſunt certi futuri euẽtus,
ita inuidus cogitans te ſuo cibo venenato intoxicare, non eſt certus ſi nã eueniet quod
in te machinatus eſt. Et cum ad eius conuiuium accerſitus diſcumbis, & tibi ſimulato a-
more dicit, Comede & bibe: animaduerte eius mentem à tua diſsidere, ipſumque nõni-
hil mali tibi moliri. Quòd ſi blandis eius verbis delinitus comederis cibos quos tibi ap-
parauerat, illiſque ingurgitatus fueris, ſcias quòd in detrimentum tuum & vituperium
cibos egeres, & perdes gratiam ſermonum quibus cum eo colloquebaris.

*¶ In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquii tui. Ne attingas paruulorum termi-
nos, & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim eorum fortis eſt, & ipſe iudicabit contra te cauſam
illorum. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad uerba ſcientiæ. Noli ſubtrahere à puero diſci-
plinam. ſi enim percuſſeris eum uirga, non morietur. In uirga percuties eum, & animam eius de inferno libe-
rabis. Fili mi, ſi ſapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum, & exultabunt renes mei cum locuta fue-
rint recta labia tua. Non æmuletur cor tuum peccatores, ſed in timore domini eſto tota die, quia habebis
ſpem in nouiſsimo, & præſtolatio tua non auferetur.)*

Nos cohortatur ne amore inanis gloriæ ſeducti, ſtolidis, inſipientibus, proteruis &
immundis arcana diuinæ ſapientiæ & ſublimis philoſophiæ myſteria detegamus. Et hoc
Matt. 7. ſanè nos voluit Chriſtus obſeruare, dicens, Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis
margaritas veſtras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirum-
pant vos. Ne attingas paruulorum terminos, & agrum pupillorum ne introeas. Pro-
pinquus enim eorum fortis eſt, & ipſe iudicabit contra te cauſam illorum.) Non ir-
rumpas in fines paruulorum, nec eorum poſſeſsiones inuadas. non enim adoleſcentuli
tibi poſſunt obſiſtere, nec ſeipſos defendere. Nec vaſtes & depopuleris agros pupillorum
qui ſub tutoribus viuunt. Siquidem dominus fortis & potens, qui bonis & iuſtis propin-
quus eſt, non patietur iniuriam fieri ſimplicibus, paruulis, orphanis & pupillis, ſed eorũ
cauſam aduerſus direptores & fures iudicabit, & perditiſsimorum hominum iniuſtitiã
Deute.10. vindicabit. Vnde in Deuteronomio ſcriptum eſt, Facit dominus iudicium pupillo & vi-
Iob. 22. duæ. Et in libro Iob legimus de eo qui irruit ſuper pupillos, & viduas cõtempſit, Viduas
Iob.24. dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti. Item, Alij terminos tranſtulerũt,
diripuerunt greges, & pauerunt eós. Aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro
pignore bouem viduæ. Subuerterunt pauperum viam, & oppreſſerunt pariter manſue-
tos terræ. Et paulò pòſt, Vim fecerunt deprædãtes pupillos. Oſtendit & pſalmographus
Pſal.9. dominum patrocinari orphanis & pupillis, dicens, Tibi derelictus eſt pauper, orphano
tu eris adiutor. Idem, Iudicate pupillo & humili: vt non apponat vltrà magnificare ſe
Pſal.145. homo ſuper terram. Et alibi, Dominus cuſtodit aduenas: pupillum & viduam ſuſcipiet, &
vias peccatorum diſperdet. Declinabis autem à via iniuſtitiæ, nec pupillorum bona di-
ripies, ſi ad ſapiẽtiæ doctrinam aurem tuam inclinaueris: & tibi iubet, ſi quos habeas li-
beros aut ſubditos, vt ab eis non ſubtrahas diſciplinam & moderatam correctionem,
poſtquam eos deliquiſſe reſciueris. Non enim è vita decedent ſi virgis eos moderatè
affeceris: & hoc tuis liberis beneficium conferes, quòd leui caſtigatione qua reſipiſcent,
eorum animas à vitiis quibus ad inferos vſque corruebant, liberabis. De correctione fi-
liorum iam plus ſatis diximus. Et quod Salomõ ſubnectit, indicat planè propenſiſsimũ
patris

patris erga filium amorem , cuius animus geſtit cum agnoſcit filium rectam educationem ſuſcepiſſe,& ita in ſapientiæ ſcholis profeciſſe,vt iuuenilia deſideria, puerileſq; affectus cohibuerit. Exultant & renes patris,id eſt, interior lætitia qua ob compoſitos ſui filij mores lætatur,in corpus redundat,cum filius prudenter,appoſitè ,ſcitè & modeſtè loquitur:de cuius ſalute bene ſperat,cum timet Deum offendere , nec quicquam habet commercij cum corruptiſsimis & ſceleratiſsimis viris.

¶ *Audi fili mi,& eſto ſapiens,& dirige in uia animum tuum.Noli eſſe in conuiuiis potatorum , neque in comeſſationibus eorum qui carnes ad ueſcendum conferunt: quia uacantes potibus, & dantes ſymbola , conſumentur,& ueſtietur pannis dormitatio. Audi patrem tuum qui genuit te, & ne contemnas cum ſenuerit mater tua. Veritatem eme,& noli uendere ſapientiam & doctrinam & intelligentiam. Exultat gaudio pater iuſti:& qui ſapientem genuit, lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus & mater tua,& exultet quæ genuit te. Præbe fili mi cor tuum mihi,& oculi tui uias meas cuſtodiant.)*

Rurſum monet filium,& vnumquemque diuinæ religionis amantiſsimum,vt ſapientiam amet & reuereatur,& diſcat à ſapientibus quæ ſibi magnopere conducunt,vt ſuam mentem ad viam ſalutis dirigat. Et in primis vult vt temperate & frugaliter viuat,declinetque luxum conuiuiorum , nec diſcumbat in menſa cum edaciſsimis & bibaciſsimis viris, qui ſordidiſsimis comeſſationibus ad multas horas prorogatis ſaginant ventrem, conferunt cibos vt voluptuoſius & diutius comedant,& ebrietatem ad veſperam vſque ſectantur. Et quemadmodum mare non ſatiatur aquis,nec rapax ignis facibus,ita manduci,helluones, gaſtrimargi & bibuli , nec cibo nec potu ſatiari poſſunt,& more Eryſitonis omniũ intemperatiſsimi,accumulant epulas epulis, vt ſuam crapulam & profundam ventris ingluuiem foueant. Nec immeritò te monet Salomon vt fugias conuiuia ventricolarum & vinolentorum. Nam gulæ proceres, cupediuori,polyphagi,vinipotæ, & qui dant ſymbola vt maiorem & edendo & bibendo voluptatem percipiant,ac menſarum luxum nutriant,conſumentur. Siquidem cupediis ciborum onerati , & ingurgitati vino,corpus & animam enecant , & ſibi muniunt viam vt ad inferos deſcendant. Vnde dicit Paulus : Eſca ventri, & venter eſcis:deus autem & hunc & has deſtruet. Adnotes velim ſymbolum Græcè, dici Latine collationem. hoc eſt quod plures in vnum conferunt. ex hoc ſignificatu dicuntur gulones & ventricolæ ſymbolum dediſſe in cœnam, quando vnuſquiſque confert in vnum nummos pro rata, vel cupedias ciborum, ad conuiualem apparatum inſtruendum. Qui verò ad cœnam ſiue prandium nihil cõfert, immuniſque diſcumbit, ἀσύμβολος appellatur. Et eò tandẽ inopiæ redigentur guloſi & temulenti, vt cogantur mendicare , & vix intempeſta nocte ruptis & laceris veſtibus ac viliſsimis panniculis operientur. Audi patrem tuum qui genuit te,& ne contemnas cum ſenuerit mater tua.) Si pater tuus ſenio fractus tuam efflagitauerit opem, teque precetur vt tremulam anxiam & morboſam ſenectutem iuues , non ſubtrahas ab eo debitum obſequium:& tuæ infigito memoriæ,quòd te aliquando genuerit, & genitũ pauerit. Nec cõtemnas matrẽ tuam,quæ te in ſuo vtero non ſine dolore geſtauit,cũ ad ſenectutẽ peruenerit. Vnde dicit Eccleſiaſticus,Fili ſuſcipe ſenectã patris tui,& nõ cõtriſtes eũ in vita illius:& ſi defecerit ſenſu,veniã da,& ne ſpernas eum in virtute tua. Eleemoſyna enim patris non erit in obliuione. Et aliquantò pòſt,Quàm malæ famæ eſt,qui derelinquit patrẽ,& eſt maledictus à deo qui exaſperat matrẽ. Veritatem eme,& noli vendere ſapientiã & doctrinã & intelligentiã.) Si non liceat vendere ſapientiã,doctrinam euangelicam,cõcionem,& intelligentiam, (gratis enim accepiſtis,inquit dominus, gratis date:eò quòd nullis nummis nulliſq; rebus temporaneis ſpirituale donũ æſtimari poteſt)cur licebit emere veritatẽ , quæ rerum ſpiritalium numero aſſcribitur? An quòd veritas non ſit proximè cõparanda pecuniis,aut bono aliquo temporali tanquã rei precio? Siquidem in Eſaia ſcriptũ eſt,Omnes ſitientes venite ad aquas:& qui nõ habetis argentum,properate,emite,& comedite. Venite,emite abſq; argento & abſq; vlla cõmutatione vinum & lac. Quem locum enarrans Hieronymus dicit: Eſt autem & pecunia peſſima ſiue argentum,quod reprobat ſcriptura dicens,Pecunia quæ datur cũ dolo , quaſi teſta reputabitur. Et in alio loco: Argẽtum veſtrũ reprobũ. Et eſt argentũ quod dei eloquiis cõparatur. Eloquia domini,eloquia caſta,argentũ igne examinatũ,probatũ terræ,

1.Corin.6.
Eccleſ.3.
Matt.10.
Eſa.55.
Hierony.
Pſal.11.

purgatum ſeptuplum. Spreto igitur illo argento, & pecuniis, quibus aquas domini eme-
re non poſſumus, pergamus ad eum qui tenens calicem ſacramenti diſcipulis loqueba-
Matt.26. tur, Accipite & bibite: hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem pec
catorum. Quod vinum miſcuit & ſapientia in cratere ſuo, omnes ſtultos ſeculi mundiq;
ſapientiam non habentes, prouocans ad bibendum, & vt nō ſolum vinum emamus, ſed
& lac, quod ſignificat innocentiam paruulorum: qui mos ac typus in Occidentis eccle-
ſiis hodie vſque ſeruatur, vt renatis in Chriſto, vinum, lacq́ue tribuatur: de quo lacte di-
1.Corin.3. cebat & Paulus, Lac vobis potum dedi, non ſolidum cibum. Et Petrus, Quaſi modò nati
1.Pet.2. paruuli, rationale lac deſiderate. Hæc ille. Poteſt tamen emi veritas, ſapientia & doctri-
na, ſtudiis, labore, indefeſsis vigiliis, & orationibus. Et quanuis non liceat vendere ſa-
pientiam, & ſacrum euangelij verbum, poteſt tamen is qui ſapientiam profitetur, aut
concionem habet ad populum, vendere (vt quidam volunt) ſuum laborem, quo ple-
runque attenuatur corpus, & exulcerantur pulmones. Et debemus ſuppeditare victum
1.Corin 9 iis qui nobis ſpiritualia ſeminant: quod ſuadet Paulus dicens, Si nos vobis ſpiritualia
ſeminauimus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Exultat gaudio pater iuſti;
& qui ſapientem genuit, lætabitur in eo.) Quicquid gratiæ, gloriæ & ornamenti filius
ſuis virtutibus conſequutus eſt, cedit in laudem & honorem ſui patris: qui perfunditur
gaudio cum agnoſcit ſuos liberos honeſtè viuere, & ſapiētum monitis acquieſcere. Ex-
ultat & mater quæ tales filios genuit, eoſq́ue videt ſummis in honoribus conſtitutos eſ-
ſe, quorum animus totus eſt philoſophiæ ſtudiis addictus, quorum denique oculi vias
Eccleſ.3. ſapientiæ & præcepta domini cuſtodiunt. Hinc illud Eccleſiaſtici, Deus honorauit pa-
trem in filiis, & iudicium matris exquirens firmauit in filios.

Fouea enim profunda eſt meretrix: & puteus anguſtus, aliena. Inſidiatur in uia quaſi latro, & quos incautos inuenerit, interficiet. Cui uæ? cuius patri uæ? Cui rixæ? cui foueæ? Cui ſine cauſa uulnera? Cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui morantur in uino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis uinum quando flaueſcit, cum ſplenduerit in uitro color eius. Ingreditur blande, ſed in nouiſsimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus uenena diffundet. Oculi tui uidebunt extraneas: & cor tuum loquetur peruerſa: & eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo. Et dices, uerberauerunt me, ſed non dolui: traxerunt me, & non ſenſi. Quando euigilabo, & rurſus uina reperiam?)

Salomon omnibus ſui animi viribus inuehitur in famoſiſsimas meretrices, in quarum profundam voraginem qui cadunt, non facilè poſtea extrahuntur: quod apertè indicat contextus ille, Et puteus anguſtus, aliena, id eſt adultera. Nam quemadmodum in puteum arctum cadens, ita demergitur, vt vix extrahi poſsit: ita qui in execrandū adulterij vitium labitur, non facilè explicari poteſt nec curari. Siquidem ſcorta, fellatrices & lupæ, & quæ celebratæ ſunt laſciuiæ, cum hominem in ſui amorem pellexerunt, ita ſuis nexibus & pedicis irretiunt, vt non ſinant eum elabi: & niſi dominus inſano amore captum iuuerit, nunquam à luto obſcœnæ voluptatis extricari poterit. Nec minus fornicaria tuæ animæ inſidiatur, quàm latro corpori viatoris quem iugulare cupit: & quos inuenerit incautos, & ſobrietatis ac temperantiæ armis deſtitutos, interficiet, eoſque pertrahet ad incendium libidinis, nec ceſſabit donec totum hominem ſpoliaue-
Eccleſ.9. rit, & ſpoliatum ad perditionis foueam detruſerit. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. Ne reſpicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius. Ne des fornicariis animam tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circunſpicias ſpeciem alienam. Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via conculcabitur. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere nō ſedeas omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem. Et quia inſignium ſcortorum lenocinia & blandimenta iis qui ſinopiſſant ſiue laſciuiunt, venena ſunt propinata, idcirco Salomon venereis ſagittis confoſſus, & agnoſcens mala quæ ab impudico meretricis congreſſu proficiſcuntur, dicit: Cui væ? cuius patri væ?

Væ,

Væ,æternum interitum nominat,de quo dominus,Vę,inquit,homini illi per quē ſcan- Matt.18.
dalum venit.Patrem verò cui maledictio imminet,vocat authorē tanti ſceleris:aut dia-
bolum,qui cordibus hominum virus peſtiferæ ſuggeſtionis infundit,de quo Iudæis di-
ctum eſt:Vos ex patre diabolo eſtis,& deſideria patris veſtri vultis facere. Sed dic quæ- Ioan.8.
ſo,Quibus ſunt rixæ, vitiorum foueæ, ſine ſagittis vulnera, ſuffuſiones oculorum, ſiue
obſcurata videndi acies? nonne vinoſis,& iis qui epotandis calicibus liberalius indul-
gent?Siquidem multo vino madidi,toto corpore trepidant,& vulnera per tumorem in
membris accipiunt, quæ nulla ferri cauſa pertulerunt,& immoderato vini hauſtu lippi-
tudinem & caliginem oculorum ſibi contrahunt.Quòd ſi velis ſeminaria luxuriæ vita-
re,ne intuearis vinum quando flauum & quaſi aureum quendam colorem oſtendit.Nā
qui flaueſcentis vini aſpectu delectantur,plerunque inducuntur ad immoderatum po-
tum.Et licet vinum ingrediatur blandè,& tuum palatum dulciter moueat, tibiq; in ex-
ordio rideat,tamen paulatim impetendo cerebrum, in nouiſsimo mordebit vt colu-
ber,ſuumq́ue ſicut regulus nocentiſsimus ſerpens(quem Græci baſiliſcum dicunt)vene-
num diffundet.Vt enim homini cicuta eſt venenum,ita & vinū. Et huic ſubſcribit ſen-
tentiæ illud Eccleſiaſtici,Multos exterminauit vinum.Item,Vinum multum potatū ir- Eccleſ.31.
ritationem & iram & ruinas multas facit.Amaritudo animæ vinum multum potatum.
Et cum fueris ingurgitatus vino,oculi tui veneno ebrietatis faſcinati, videbunt ad con-
cupiſcendum meretrices & adulteras,& cor tuum in libidinem ebulliens,loquetur intra
ſe & verſabit quæ ſunt impudica & laſciua: & eris ſicut dormiens in medio mari huiuſ-
ce præſentis ſeculi,quod fluctibus & vndis tentationum & vitiorum iactatur:quando-
quidem vehemens venereorum paſsio obnubilat rationem, & ſenſum ligat:& quemad-
modum gubernator nauis altum dormiens ſomnum,amiſſo ſua negligentia clauo per-
mittit nauem in profundum maris demergi, ſic vinolentus negligens ſuos infrenes af-
fectus habenis rationis coercere,ſinit ſuam animam miſerè periclitari, & in foueam vi-
tiorum corruere. Quando autem laſciuus & temulentus calidos ſuæ ebrietatis fumos
exhalauit,& à ſomno expergefactus ad ſe redit,dicere ſolet, Verberauerunt me prauæ
affectiones,meamq́ue mentem callidiſsimi dæmones vulnerarunt:nullum tamen meis
adactus voluptatibus ſenſi dolorem, nec quæ perpetraui flagitia cognoui:traxerunt me
quò voluerunt morbi mei animi, nec tamen læſa mea mente ægritudinem meam per-
cepi.Quando igitur ad priſtinam meam voluptatem expergiſcar? & ad aſſuetas libidi-
nis & vini delicias meis furiis inflammatus reuertar?

ARGVMENTVM VICESIMIQVARTI CAP.

Te commonefacit Salomon ut non optes cum ſceleratiſsimis hominibus uiuere, nec ut ullum tibi ſit commerciū cum iis qui perfricta fronte & ſumma cum impudentia æquitatis iura uiolant: quandoquidem mens eorum peruerſa nihil aliud penſiculatim meditatur quàm dolos, rapinas, circumuentiones, latrocinia & mendacia, nec ceſſant nocte dieq́; inſidiari iuſtis, ut eorum bona diripiant, & quod ſanè deterius eſt, ſublatis opibus eos trucident. Sed aliquando pro ſuis turpiſsimis flagitiis acerrimas luent pœnas, nec ultrices Dei manus effugient, & repentè conſurget eorum perditio & ruina: de qua tamen iuſti non debent affectu uindictæ lætari. Nam forte lachrymis pœnitentiæ ſua peccata detergent, & dominus ab eis ſuam iram auferet.

CAPVT VICESIMVMQVARTVM.

NE æmuleris uiros malos, nec deſideres eſſe cum eis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria uniuerſa ſubſtantia precioſa & pulcherrima. Vir ſapiens fortis eſt, & uir doctus robuſtus & ualidus: quia cum diſpoſitione initur bellum, & erit ſalus ubi multa conſilia ſunt. Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum. Qui cogitat mala facere, ſtultus uocabitur. Cogitatio ſtulti, peccatum eſt, & abominatio hominum detractor.

Si deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.)
Quid te fugere oporteat, & à quorum ſodalitio præcauere debeas, oſtendit Salomon, dicens, Ne æmularis viros malos, nec deſideres eſſe cum eis. Et huic loco reſpon-
1.Corin.5. det Paulina illa ſententia, Scripſi vobis in epiſtola, Ne commiſceamini fornicariis,
non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, non commiſceri, ſi is qui frater nominatur inter vos, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Nec abs re te monet Salomon vt non imiteris malos, & eos potiſsimum qui libidine & vinolentia ſuas fortunas diſsiparunt, quia rapinas mens eorum meditatur, & fraudes labia eorum loquuntur. Cum enim vino & crapulæ dediti, ſuas facultates impudicis & obſcœnis voluptatibus abſumpſerunt, conantur aliorum bona rapere. Quòd ſi vi conſequi non poſſint quæ moliuntur, ſaltem mendaciis fraudes intentant, nihilque non excogitant quò fœdam voluptatem nutrire poſsint. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.) Domus optima, & honeſtiſsima familia, ac ipſa politia, quæ rationem architecturæ ſubit, ſua bene viuendi fulcimenta & inſtituta ab ipſa Sapientia deſumit, cuius præceptis inſtituitur ad colendum vnum deum, & vt rebus terrenis, honoribus, diuitiis, & voluptatibus non hæreat, ſed ſummopere ſtudeat animam rationalem virtutibus exornare. Roboratur & prudentia, quæ actiones humanas ad optimum finem dirigit, nec finit quidpiam inconſultè & temere fieri. Vnde in euangelio Lucæ di-
Lucæ.14. cit Chriſtus, Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat ſumptus qui neceſſarij ſunt, ſi habeat ad perficiendum: ne poſteaquam poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare? Aut quis rex iturus committere bellum aduerſus alium regem, non ſedens prius cogitat ſi poſsit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad ſe? alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt. Vir etiam ſapiens ædificat
Matt.7. domum ſuam ſuper firmiſsimam petram, in quam licet pluuiæ, flumina & venti irruant, non tamen cadit. Denique eccleſia, quæ eſt domus Dei viui, columna & firma-
1.Timot.3. mentum veritatis, extruitur ſapientia, & prudentia fulcitur. Hinc Paulus loquens de
1.Corin.3. ædificatione Dei dicit, Vt ſapiens architectus fundamentum poſui. In doctrina replebuntur cellaria vniuerſa, ſubſtantia precioſa & pulcherrima.) Cellariis exprimuntur cordatiſsima iuſtorum præcordia, quæ non niſi ſtudio ſapientiæ donariis virtutum replentur, quibus ſanè nihil eſt pulchrius & precioſius. Non enim terrenæ diuitiæ conferendæ ſunt cum theſauro ſapientiæ, quo ditantur qui fidem Chriſti amplexati ſunt, & magis ſtudent Deo placere, quàm hominibus. Vnde dicit Paulus ad Corin-
1.Corin.1. thios, Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu, quòd in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni verbo, & in omni ſcientia. Et qui firmiſsimo ſapientiæ clypeo munitur, omnium fortiſsimus cenſetur, quandoquidem ſapientia plus valet in rebus arduis & bellicis, quàm vires corporis: nec quis poteſt abſque prudentia & longo rerum experimento inire bellum, & confligendo conſequi victoriam. Qui etiam cæleſti philoſophia præditus eſt, poteſt fortiſsimi aduerſarij, ſcilicet diaboli, certamina vincere, & tutius res ſuas peragit, cum virorum proborum conſilio vtitur. Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum.) Quia ſapientia in alto ſita eſt, & in ſublimi rerum diuinarum meditatione, quam non poteſt ſtultus attingere neque conſequi, idcirco dicitur eſſe ſapientia excelſa ſtulto: & coram ſapientibus & iudicibus, qui antiquitus iudicabant in portis vrbium, obmuteſcet indoctus & inſipiens. Quamobrem Paulus oſtendens cum quibus debeamus loqui
1.Corin.2. de arcanis & myſteriis diuinæ ſapientiæ, dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt. Et is vere cenſendus eſt ſtultus, qui cogitat & proponit Dei præcepta tranſgredi. Nam diuinorum beneficiorum ingratiſsimus eſt, & ſuis indulgendo vitiis, ac dæmonibus obſequendo, ſuam

perdit

perdit animam,& quo denſius conuiciorum ſputa in ſuum proximum ſpargit, eiuſque ſanam & incolumem famam lædit, eo magis dominum ad iracundiam prouocat, & perpetuam ſui confuſionem & abominationem incurrit. Si deſperaueris lapſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua.) Si in grande periculum dilapſus fueris,& multæ te premant anguſtiæ & circundent,eſto magno animo,nec deſperes. Etenim deſperando, conſtantiam animi & fortitudinem perdis: & exiſtimes nihil eſſe execrabilius deſperatione, quæ Iudam ad laqueos adegit. Et quanuis aduerſitatum procellis concutiaris, & nephanda ſcelera commiſeris, non propterea debes deiici animo, nec de immenſa Dei miſericordia deſperare,ſed tibi confugiendũ eſt ad largifluum diuinæ clementiæ fontem, in quo ſyncera compunctione & feruẽti pœnitẽtia tuas animi ſordes ablues. Vnde dicebat Iob ſuam in domino fiduciam collocãs,Etiam ſi occiderit me, Iob.13.
in ipſo ſperabo. Et de Abraham legimus,Qui contra ſpem in ſpem credidit. Roma.4.

¶ *Erue eos qui ducũtur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris, Vires non ſuppetunt: qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit,& ſeruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini iuxta opera ſua. Comede fili mi mel, quia bonum eſt, & fauum dulciſsimum gutturi tuo. ſic & doctrina ſapientiæ, animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouiſsimis ſpem,& ſpes tua non peribit. Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti, neque uaſtes requiem eius. Septies enim cadit iuſtus, & reſurgit: impii autem corruent in malum.)*

Si quos noueris iniuſtè morti adiudicatos,labora pro viribus vt liberentur, & imitare Danielem, qui eruit Suſannam à ſupplicio mortis. Etiam erue eos qui vigente Danie.13.
perſecutionis certamine lapſi ſunt in vitia, nec ceſſes eos à tenebris ad lucem reuocare. Si quos etiam noueris ab hæreticis ſubornatos pertrahi ad hęreſim,porrige dextram vt à luto ſui erroris explicentur. Denique fame aut inedia perituros, tuis opibus iuua, eorumque paupertati ſuccurrito. Quòd ſi velis prætexere excuſationem ne de manibus impiorum eripias eum qui ad interitum ducitur, dicendo,Non ſuppetunt mihi vires vt eum liberem: dominus qui intuetur cor, (homo autem quæ parent intelligit) fa- 1.Reg.16.
cilè videbit ſi nam mentiaris, an verum ſit quod dixiſti. non enim quidquam eum latere poteſt, ſed omnia nuda ſunt & aperta oculis eius, & tibi reddet iuxta tua opera: ſi Hebr.4.
mentitus fueris, ſupplicium: ſi verò veritatem dixeris, & feceris quæ oportuit te feciſ- Mat.16.&
ſe, præmium æternum. Comede fili mi mel, quia bonum eſt,& fauum dulciſsimum Roma.2.
gutturi tuo. ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouiſsimis ſpem, & ſpes tua non peribit.) Terra promiſsionis in qua regnauit Salomon, Exod.3.&
fluebat melle & lacte; quibus exprimebatur vbertas & ſuauitas illius terræ. Et hoc in Num.13.
loco Salomon confert doctrinam ſapientiæ optimo melli, & fauo ſuauiſsimo. Nam quemadmodum mel cibis dulcedinem,ſic doctrina ſapientiæ cæteris diſciplinis miram ſuauitatem adfert: quam qui aſsiduis ſtudiis & duris laboribus inuenit, in eiuſque exercitio & iugi meditatione & bonis operibus optimè proficit, ſpem habet aſſequendi fœlicitatem æternam: nec ſpes vlla peribit. Etenim ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis. Ne inſidieris & quæras impietatem in domo iuſti, neque vaſtes requiem eius.) Si velis deo placere, caue ne inſidieris iuſto, & eius domeſticis, nec quæras anſam detrahendi & nocendi viris probis, nec interturbes iuſtorum pacem propter delicta quotidiana. vix enim vita præſens multis perturbationibus & tentationibus obnoxia, ſine peccato tranſigi poteſt. Et rationem aſsignat Salomon dicens,Septies enim cadit iuſtus, & reſurgit. Et licet iuſtus in leuiſsima delicta cadat,& forſitan pluries quàm ſepties venialiter peccet, non tamen deſinit eſſe iuſtus, quia ob quotidiana vitia à Dei gratia non excidit. Vnde alibi dicit Salomon,Non eſt homo iuſtus in terra faciens bo- Eccleſ.7.
num,qui non peccet. Etenim propter peccatum primi parentis quod contraximus, aut ignorantia,aut obliuione,aut cogitatione, aut ſermone,aut ſubreptione,aut fragilitate carnis delinquimus.& hanc ad peccãdum pronitatem declarat Paulus ad Romanos dicens,Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuan- Roma.7.
tem me in lege peccati quæ eſt in membris meis. Si tamen ceciderit iuſtus, cito adhibet diligentiã vt reſurgat: & facilè reſurgit,quia non hæret malo in quod ceciderat,nec eius lapſus erat letalis. Si enim peccaret mortaliter, & ſuis vitiis aſſueſceret, non voca-

retur iuſtus, ſed impius, qui ita cadit in capitalia crimina, vt ſine ſpeciali Dei auxilio
reſurgere non poſsit. Et cum dixit Salomon, Septies cadit iuſtus, vſus eſt numero deter-
Iob.33. minato pro indeterminato, quemadmodum in libro Iob legimus, Ecce hæc omnia o-
peratur deus tribus vicibus per ſingulos, vt reuocet animas eorum à corruptione, & il-
luminet luce viuentium. Secundum ſeptuaginta Interpretes ſic leges, Septies enim ca-
det iuſtus, & reſurget. Græca enim phraſis ita habet, ἑπτάκις γὰρ πεσοῦται ὁ δίκαιος, καὶ ἀνα-
Auguſti. στήσεται. Et Auguſtinus ſequens verſionem ſeptuaginta Interpretum, dicit libro XI. de
Ciuitate Dei capite XXXI. ſeptenarium numerum hoc in loco ſumi pro vniuerſo. &
huic ſententiæ, Septies cadet iuſtus, & reſurget, hanc reddit intelligentiam, quotieſ-
cunque ceciderit, non peribit.

¶ *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne fortè uideat dominus, &
diſpliceat ei, & auferat ab eo iram ſuam. Ne contendas cum peſsimis, ne æmuleris impios, quoniam non ha-
bent futurorum ſpem mali, & lucerna impiorum extinguetur. Time dominum fili mi, & regem. Et cum detra-
ctoribus ne commiſcearis: quoniam repente conſurget perditio eorum, & ruinam utriuſque quis nouit? Hæc
quoque ſapientibus. Cognoſcere perſonam in iudicio non eſt bonum. Qui dicunt impio, iuſtus es, maledicent
eis populi, & deteſtabuntur eos tribus. Qui arguunt, laudabuntur, & ſuper ipſos ueniet benedictio. Labia
deoſculabitur, qui recta uerba reſpondet. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum,
& poſtea ædifices domum tuam.)*

Si tuus inimicus aduerſitatum telis tranſfixus fuerit, ne ei inſultes, nec de eius ruina
tuus geſtiat animus, ne tua ſuperbia diſpliceat domino, & te cadente ſanetur qui prius
calamitatum & viciorum morbo laborabat. Aliter & melius, Si inimicus tuus in enorme
quoddam facinus ceciderit, ne gaudeas affectu quidem odij & vindictæ. quid enim ſcis
ſi dominus ſummè miſericors eum reſpiciet oculo ſuæ immenſæ miſericordiæ, & cum
eum ſui peccati pœnitebit, auferet dominus ab eo iram ſuam, quæ cum ablata fuerit, in
tuum caput corruet? Et licet lætari poſsis zelo iuſtitiæ de malo alicuius, vt eſt ei pœna
& medicina atque vtilis caſtigatio, tamen nunquam gaudere debes de malo culpæ de-
linquentis, nec de malo pœnæ, ex odio, inuidia, & libidine vlciſcendi. Fac quod te mo-
Roma.12. net Paulus, Nulli reddas malum pro malo, & vince in bono malum. Vult & Chriſtus
Matt.5. author pacis, vt diligas inimicos tuos, & benefacias iis qui te oderunt, & ores pro perſe-
quentibus & calumniantibus te. Deinde te commonefacit Salomon vt non contendas
verbo correctionis cum induratis, & iis qui tibi videntur eſſe incorrigibiles. nam tuam
perderes operam. ſed iudex debet cum peſsimis viris contendere pœnis, vt à malo ar-
ceantur, & alij terreantur. Fuge & conſortium impiorum, nec imiteris eorum veſtigia.
non enim habent veram ſpem futuræ beatitudinis, ſed totam ſuam ſpem in rebus præ-
ſentibus & caducis collocarũt: licet ſpem futurorum habeant informem, ſicut & fidem,
Iob.18. quorum gloria, ambitio & proſperitas extinguetur: quod expreſsit Iob dicens, Nonne
lux impij extinguetur, nec ſplendebit flamma ignis eius? Lux obtenebreſcet in taberna-
culo illius, & lucerna quæ ſuper eum eſt, extinguetur. Quòd ſi velis bonorum ſodali-
tio frui, & ad regni cæleſtis opes anhelare, time deum primariò, & ſecundariò nobi-
liſsimum regem, quem dominus præfecit politiæ rerum temporalium. Vnde dicit Pau-
Roma.13. lus, Dei miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. non enim ſine
cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit. Ob-
tura & aures tuas ne audias detractores, eorumque conuiciis, iniuriis & detractioni-
bus conſentias, quandoquidem repentè conſurget perditio & detrahentis, & eius qui
lubenter detractorem audit: & ruinam vtriuſque quàm futura ſit magna, quis præter
deum nouit? Nam propter viperinæ linguæ vitia, & mores corruptiſsimos, gehen-
Iob.21. næ ruinam incurrent. Vnde dicit Iob, In diem perditionis ſeruatur malus, & ad diem
furoris ducetur. Hæc quoque ſapientibus.) Quidam ediſſerentes hunc locum
dicunt, Hæc, ſupple ſapientibus ignota ſunt, quando reproborum quiſque quàm
repentino interitu rapiatur à ſeculo. Vel, hæc quoque ſapientibus ſunt obſer-
uanda quæ docui, ne detractoribus (quorum lingua magis ferit quàm gladius acu-
tus) commiſceantur, quia hoc ſpecialiter vitio totum penè genus periclitatur hu-
Pſal.100. manum. Non immeritò dicebat pſalmographus, Detrahentem ſecretò proximo ſuo,
hunc

hunc perſequebar. Sed exiſtimo hanc locutionem, Hæc quoque ſapientibus, eſſe ex-
ordium ſubſequentis ſententiæ: & antiqua tralatio legit, Hæc autem dico vobis ſa-
pientibus cognoſcere. Sint igitur hæc ſapientibus & iudicibus nota. Cognoſcere
perſonam in iudicio non eſt bonum.) Sūmè ſtudeant pręfecti iuſtitiæ ne in iudicio ac-
cipiant perſonam, & ſtateram tranſiliant. Etenim acceptio perſonarum maximum eſt
peccatum. Qui enim fauore ſuorum amicorum, aut quadam familiaritate, aut muneri-
bus, accipit perſonam in iudicio, lædit innocētem, eiuſque iuſtam cauſam ſupprimit, aut
omnino extinguit, & æquitatis iura violat, ac totius iuſtitiæ limites tranſilit: quandoqui-
dem in ferendis iudiciis non ſunt inſpiciendæ perſonæ, ſed cauſæ, etiam cū ſummo exa-
mine. Et iis qui ſubuertunt iudicium, & iuſtificant impium, maledicent populi, & deteſta-
buntur eos tribus. Vnde in libro Eſaiæ ſcriptum eſt, Væ qui iuſtificatis impium pro mu- Eſa.5.
neribus, & iuſtitiam iuſti auſertis ab eo. Propter hoc ſicut deuorat ſtipulā lingua ignis,
& calor flammæ exurit, ſic radix eorum ſicut fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcē-
det. Qui arguūt, laudabuntur, & ſuper ipſos veniet benedictio.) Qui delinquentes ar-
guunt moderatè, prudenter & iuſtè, digni ſunt omnium laude & cōmendatione. quòd
ſi vitium ſit occultum, ſecretò corripiant. Vnde dicit Chriſtus, Corripe eum inter te & Mat.18.
ipſum. Si vero ſit publicum, publicè & arguant: quod oſtendit Paulus dicens, Peccantes 1.Timot.5.
coram omnibus argue, vt & cęteri timorem habeāt. Labia deoſculabitur, qui recta ver-
ba reſpondet.) Quoniam oſculum, pacis & amoris ſignum eſt: qui diſcrete, ſapienter, &
vt oportet, reſpondet, & ſermonem habet ſale conditum, amplexatur pacem, & inter ho-
mines concordiam ſouet. Præpara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum,
& poſtea ædifices domum tuam.) Prouideas tibi de agris, vineis, & aliis rebus ad tranſigē
dam vitam neceſſariis, & poſtea ædifica domum tuam, id eſt ducito vxorē, & ad laudem
dei omnipotentis procreato ſobolem. Etenim honorabilis coniunctio viri & mulieris,
& recta liberorum educatio, conſtituunt domum. Poteſt & hic eſſe tropologia, Diligen-
ter exerce exterius bona opera, & luceat lucerna tua coram hominibus: ſis denique aliis Mat.5.
exemplum bonorum operum in doctrina & grauitate, vt euulſis vitiorum ſentibus Tit.2.
agrum tui animi ad frugem retributionis excolas: deinde fabricam virtutum in do-
micilio tuæ mentis extrue, qua ad auguſtiſsimam ſummi imperatoris regiam tibi
fiet aditus.

¶ *Ne ſis teſtis fruſtra contra proximum tuum, nec lactes quenquam labiis tuis. Ne dicas, quomodo fecit mi-
bi, ſic faciam ei, & reddam unicuique ſecundum opus ſuum. Per agrum hominis pigri tranſiui, & per uineam
uiri ſtulti, & ecce totum repleuerant urticæ, operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtru-
cta erat. Quod cū uidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Vſquequo piger dormies? uſ-
quequo de ſomno conſurges? Parū inquam dormies, modicum dormitabis, pauxillulum manus conſeres ut quie-
ſcas, & ueniet tibi quaſi curſor egeſtas tua, & mendicitas quaſi uir armatus.)*

Non inhibet Salomon ne teſteris aduerſus proximum tuum, quandoquidem ſi ac-
cerſitus fueris coram iudice vt dicas quid planè ſentias de crimine obiecto Socrati, cuius
iuſte accuſatur, tu potes teſtari illum huiuſmodi crimen admiſiſſe, teque vidiſſe Socratē
tale ſcelus admiſiſſe: ſed vetat ne falſo teſtimonio lædas innocentem, nec quempiā blan-
diſsimis verbis & aſſentatiunculis oblectes. Nec debes hoc argumēto moueri, Me affecit
iniuriis, mihique plurimum nocuit, idcirco retaliabo iniuriam iniuria, & clauum clauo
retrudam, reddamque malum pro malo. Nō enim quiſpiam debet eſſe iudex in ſua pro-
pria cauſa, ſed tibi confugiendum eſt ad iudicem, cuius eſt contendentium lites compo-
nere, & inter homines iuſtitiam tueri, ac in malos animaduertere. Per agrum hominis
pigri tranſiui &c.) Arguit pigros & oſcitantes negligentiæ, qui ſinunt ſuos agros ſuāſ-
que vites oppleri vrticis, lappis, ſentibus, carduis, & noxiis herbis, quæ vſque adeo creue-
runt, vt fixis in altum radicibus euelli non poſsint nec extirpari. quòd ſi ſuos agros fera-
ciſsimos diligenter coluiſſent, ſuauiſsimum ex eis fructum reportaſſent. Idcirco ſapien-
tia rerum humanarum conſultiſsima, te monet, ſi velis paupertatem & duram mendici-
tatem fugere, vt cum tua iuuentus ferendis laboribus aptiſsima floret, ſtrenuè labores, &
ſubito expergiſcaris à ſomno. Plura de hac re in hoc opere loquuti ſumus. Ad allegoriā Prouer.6.
dices, agro & vinea exprimi conſcientiam hominis: quæ ſi præclaris virtutum officiis

exculta non fuerit, ſqualebit obſita vitiis. ſi vero excolatur, optimos fructus adferet. Et maceria lapidum in vinea vel agro ſtulti deſtructa iacet, cum cœpta virtutum munimenta, hominum ignauia & vafra dæmonum perſuaſione ad complementum minime perducuntur.

ARGVMENTVM VICESIMIQVINTI CAP.

Summam & immortalem gloriam ſibi comparat rex ſapientiſsimus, qui ſuæ auguſtiſsimæ maieſtatis thronum iuſtitia firmat, & ſummopere cupit unicuique quod ſuum eſt reddere, nec fauorem principum & diuitum anteponit æquitati, ſed ex æquo & bono nobilium & ignobilium, diuitum & pauperum cauſas diiudicat: ad cuius curiam ſi uocatus fueris, ne attentes, quantalibet etiam uirtute præcellas, cum eo de gloria contēdere: nec in honorifico magnatum & ſummorum uirorum loco ſedeas, ſed ſtudeas pro uiribus ut tua modeſtia nota ſit omnibus. Quin uero cum te deiicies, tuaſque præclaras uirtutes extenuabis, nec exiſtimabis te dignum eſſe ut in nouiſsimo loco recumbas, à nobiliſsimis principibus qui tuam inſignem humilitatem nouerunt, ad honorum ſubſellia uocaberis.

CAPVT VICESIMVMQVINTVM.

HAe quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt uiri Ezechiæ regis iuda. Gloria dei eſt celare uerbum, & gloria regum inueſtigare ſermonem. Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile. Aufer rubiginem de argento, & egredietur uas puriſsimū. Aufer impietatē de uultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius. Ne glorioſus appareas coram rege: & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim ut dicatur tibi, Aſcende huc, quàm ut humilieris coram principe. Quæ uiderunt oculi tui, ne proferas in iurgo cito, ne poſtea emendare non poſsis cum dehoneſtaueris amicum tuum.) Satis apertè indicat exordium huiuſce capitis, has parabolas eſſe
Lyranus. editas à Salomone: & hanc ſequitur ſentētiam Lyranus. Quod autem ſubnectitur, Quas tranſtulerunt viri Ezechię regis Iuda, exprimit ſtudioſiſsimos autores huiuſce collectionis, qui religioſiſsimo regi Ezechiæ morem gerentes, huiuſmodi parabolas in diuer-
Beda. ſis ſchedulis tranſcripſerunt. Venerabilis Beda in ſuis ad hunc locum commentariis dicit: Parabolas Salomonis viri Ezechiæ tranſtuliſſe referūtur, quia fortaſsis ad eius vſque tempora diſperſæ habebantur à pluribus, prout ex ore ſapientiſsimi regis ſemel dictas exceperant, ſed per induſtriam illius collectæ in vnum, & in huius libelli ſunt corpus inſertæ. Hæc ille. Sed quamnam contendentium opinionem ſequi debeas, oſtendimus in enarratione primi capitis huiuſce operis. Loco huius verbi trāſtulerunt, legunt Septuaginta interpretes ἐξεγράψαντο, id eſt excripſerunt. Et qui hic dicuntur viri Ezechiæ, ſecundum Septuaginta interpretes vocantur amici, nam gręce legimus, φίλοι ἐζεκίου, Id eſt amici Ezechię. Animaduerte in his parabolis multo plura quàm in cæteris per allegoriā dici, ex collatione rerum quæ figuris aptæ videntur eſſe. Gloria dei eſt celare verbum.) Ad dei gloriam ſpectat abditiſsima ſacræ ſcripturæ myſteria celare, & ſecretiora rerum diuinarum myſteria occultare rudibus & indignis. Si enim ſublimia ſacrarum literarum ſacramenta omnibus indiſcriminatim detegerentur, excellentiſsima myſteriorū maieſtas (quam vulgus imperitiſsimum ferre non poteſt) vileſceret, & timendum eſſet ne ſanctum daretur canibus, & mitterentur margaritæ ante porcos, quorum pedibus cōculcarentur. Non immerito exordia Geneſeos & Ezechielis feruntur eſſe velata, vt infideles irrideantur, & fideles ſtudioſe exerceantur, & altitudinem diuinæ ſapientiæ, quam ſuis ingeniis conſequi non poſſunt, admirentur. Vnde ſcriptum eſt in libro Eſaię, Dominus
Eſa. 29. claudet oculos veſtros: prophetas & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet: & erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati: quem cum dederint ſcienti literas, dicēt, lege iſtum. & reſpondebit, non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti literas, diceturque ei, lege, & reſpondebit, neſcio literas. Et dixit dominus, Eò quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me, & ti-

muerunt me mandato hominum & doctrinis, ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur. Legimus quoque in Apocalypſi, Et vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi angelum fortem, & prædicantem voce magna, Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat neque in cœlo neq; in terra neque ſubtus terram aperire librum, neque reſpicere illum. Et cum diſcipuli ſciſcitarentur à Chriſto quare in parabolis loquebatur turbis, reſpondit, Quia vobis datum eſt noſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vt adimpleatur in eis prophetia Eſaiæ dicentis, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Tum etiam Paulus loquens de imperſcrutabili dei ſapientia, dicit in epiſtola ad Romanos: O altitudo diuitiarum ſapiētiæ & ſcientiæ dei, quàm incomprehēſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Et in prima ad Corinthios epiſtola oſtendit nos debere ſolum loqui inter perfectos ſapientiam in myſterio abſconditam, quam reuelauit deus ſuis Apoſtolis per ſpiritum ſuum. Et cum raptus eſt in paradiſum, audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui. Et gloria regũ inueſtigare ſermonē.) Regis eſt ſcrutari ſermonem ſapientiæ, quo poſsit facilius & tranquillius ſuo imperare populo, & diſcernere inter bonũ & malum. Hinc Salomon rex poſtulauit à domino ſapientiam vt poſſet iudicare ſuum populum: & quod precabatur, obtinuit. Poſſunt & hoc in loco nomine regis exprimi ſapientes, quos oportet dominari cæteris. Illi ſiquidem magnam ſibi comparant gloriam cũ diligēter inueſtigant ſenſum ſermonis diuini occultè traditi, ſicut Apoſtoli perueſtigabant expoſitionem verborum quæ audierant à Chriſto. Nec tamen à ſapientibus omnia ſunt perſcrutanda. Hinc ſubiungit Salomon, Cœlum ſurſum, & terra deorſum, & cor regum inſcrutabile.) Quis enim exactè nouit etiam poſt longam inueſtigationem altitudinem cœli, & profunditatem terræ, ac inſcrutabilia regum & ſapientum corda? Hæc ſane non ſunt ab hominibus perquirenda, de quibus ſolus deus perfectiſsimam habet cognitionem. Et huic loco conſentaneum eſt illud Eccleſiaſtici: Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſeculi, quis dinumerauit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyſsi quis dimenſus eſt? Sapientiã dei præcedentem omnia quis inueſtigauit? Dixit & Eccleſiaſtes, Cuncta tentaui in ſapientia: dixi, ſapiens efficiar: & ipſa longius receſsit à me, multo magis quàm erat. Et alta profunditas, quis inueniet eam? Et eò mihi videtur ingenium Salomonis tendere, Si non poſsit homo cognoſcere quantum diſtat altitudo cœli à terra, multo minus poterit cognoſcere ſecretiſsima diuinæ ſapientiæ myſteria. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.) Quemadmodum detracta ab argento rubigine, & amotis ſcoriis, ex eo fingetur vas puriſsimum, ita ablatis vitiis à corde regis, eius regnum iuſtitia & cæteris virtutibus firmabitur. Nihil enim præſtātius eſt rege qui toto ſtudio partes iuſtitiæ tuetur: nihil vero deterius, & reipublicæ perniciosius, cum à recto iuſtitiæ tramite exorbitat, & æquitatis iura violat. Et quemadmodum virtutes regis ſubditos excitant ad bene viuendum, ita vitia regis anſam præbent ſuis ſubditis perpetrandi quàm plurima ſcelera. Ne glorioſus appareas coram rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim vt dicatur tibi, aſcende huc, quàm vt humilieris coram principe.) Caue ne te iactes coram regibus, & tuas inſolenter virtutes extollas: nec optes optimatibus & magiſtratibus præripere gloriã, ſed te præſtes modeſtiſsimũ. Quòd ſi ad lautiſsima ſummorum virorum conuiuia inuitatus fueris, noli in locis eminentioribus diſcumbere, ſed conſidera tuum ſtatum: & ſi reieceris honorem tibi oblatum, & in loco infimo ſederis, magnam apud egregios conuiuas comparabis gloriam, qui iubebunt te altiorem locum conſcendere. Huic ſanè loco cohæret illud Euangelij, Cum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco: ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore nouiſsimum locum tenere. ſed cum vocatus fueris, vade, re-

Apoca. 5. Matt. 13. Eſa. 6. Roma. 11. Sapi. 11. Eſa. 40. 1. Cor. 2. 2. Corin. 12 3. Reg. 3. Eccleſ. 1. Eccleſ. 7. Luce. 14.

cumbe in nouiſsimo loco: vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcẽde ſuperius. tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgo cito, ne poſtea emendare non poſsis cum dehoneſtaueris amicum tuum.) Si ſecretè noueris delictum tui fratris, ne temere cito & præcipitáter in litigiis quicquam dicas aduerſus tuum fratrem, aut ipſum accuſando, aut eius crimen propalando: ne poſtea cum denigraueris famam tui proximi, non poſsis eam reſtituere: & hoc dicit Salomon aduerſus homines ductos impetu ſuarum paſsionum: qui ſi quidpiam nouerint in ſuo proximo reprehenſione dignum, ſubito detegunt, & ei vehementer inſultant, non obſeruan-
Mat.18. tes præceptum domini de correctione fraterna, qui ita dicit, Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.

❡ *Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles, ne forte inſultet tibi cum audierit, & exprobare non ceſſet. Gratia & amicitia liberant, quas tibi ſerua, ne exprobrabilis fias. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur uerbum in tempore ſuo. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit ſapientem, & aurem obedientem. Sicut frigus niuis in die meſsis, ita legatus fidelis ei qui miſit eum: animam illius requieſcere facit. Nubes & uentus, & pluuiæ non ſequentes, uir glorioſus, & promiſſa non complens.)*

Quoniam ſecreta non niſi fideliſsimo amico concredenda ſunt, te monet Salomon, vt cauſam tuam ſeorſim tractes cum eo de cuius fide non hæſitas, ſed exiſtimas eum eſſe tibi integerrimum amicum. quòd ſi ſuſpiceris quempiam non tibi eſſe fidum amicum, qui leuiter detecta animi ſecreta aperit omnibus, non ei tuam mentem tuiq́ue animi arcana patefacias, ne forte tuis rebus exploratis tibi noceat & inſultet, & in publicum ventilet quod occultè dixiſti. Et quemadmodum eius perfidia & ſimulatio te prodit, tibiq́ue necem nonnunquam adfert, ita eius fiducia, integer animus, & ſyncera amicitia tuam vitam tuamque famam tuetur. Quod autem ſubnectit Salomon, Mala aurea in lectis argenteis &c. indicat quòd non minus ſermones moderati, & quæ tempore opportuno dicũtur, exornant hominem, quàm poma aurea lectum argenteum. Antiquitus ditiſsimi & potentiſsimi reges exornabant ſuos lectos auro & argento, ac precioſiſsimis lapillis. Vn-
Hester.1. de legimus in libro Heſter de excellentiſsimis Aſſueri regis lectulis, Lectuli aurei & argẽtei ſuper pauimẽtũ Smaragdino & Pario ſtratũ lapide diſpoſiti erãt, quod mira varietate pictura decorabat. Et quemadmodum inaures ornamento ſunt auribus, & corpori pellucidæ gemmæ, excellentemq́ue homini gratiam adferunt, ita & monitio & moderata correctio nonnihil gratiæ & ſplendoris adfert illi qui arguit ſapientem & obedientem. Et ſicut ventus refrigerans tempore meſsis perſimilis frigidæ niui, iucundus eſt meſſoribus, ita & fideliſsimus legatus ei qui miſsit eum. Nam eius animæ refrigerium & conſolationem adfert. Conferendus eſt & homo inanis glorię cupidiſsimus, qui non ſtat pollicitis, nubeculis, ventis & pluuiis præſagientibus pluuiam, quam ſecum non aduehunt. Nam quemadmodum huiuſmodi præſagiis nihil eſt leuius & inſtabilius, ita viro ficto & glorioſo qui magna pollicetur, nec tamen præſtat quod pollicitus eſt, nihil eſt leuius.

❡ *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando ſatiatus oderit te. Iaculum & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium. Dens putridus, & pes laſſus, qui ſperat ſuper infideli in die anguſtiæ, & amittit pallium in die frigoris. Acetũ in nitro, qui cantat carmina cordi peſsimo. Sicut tinea ueſtimento, & uermis ligno, ita triſtitia uiri nocet cordi.)*

Furor principis frangitur patientia: ſicut rex Nabuchodonoſor fuit lenitus patientia
Danie.3. trium puerorum, qui proiecti fuerant in caminum ignis ardentis. Qui etiam dominum peccando offenderunt, poſſunt eius clementiam mereri ſi aduerſa pro ſuis peccatis irrogata patienter pertulerint. Mitigat & mollis ſermo iracundiam hominis: quemadmodũ
1.Reg.25. Abigail dulci ſermone ſedauit commotum animum Dauidis aduerſus Nabal. Deinde te monet Salomon vt tibi præcaueas à luxu ſuauiſsimi edulij, ne forte illectus dulcedine ciborum, ad nauſeam vſque comedas, & poſtquam tuum ventrem dulciſsimis epulis oneraueris, nauſeantem cibum maximo cum tui corporis detrimento euomas. Si etiam ſacrarum literarum dulcedinem aliquantulum deguſtaueris, ſumito quod tibi ſufficit, nec appetas

appetas ſapere pluſquam oportet:ne dũ ſumma & profunda rerũ diuinarũ myſteria intel Roma.12.
ligere vltra vires tui ingenij quæris,etiã quæ bene intellexeris,amittas. Subtrahe pedẽ
tuum de domo proximi tui,nequando ſatiatus oderit te.)Noli nimis frequenter viſere
tuum proximum,ne ſis ei moleſtus,nec optes diu in eius domo manere,ne tua frequen-
ti præſentia faſtiditus te odio proſequatur, forſitan propter moleſtiam vel expẽſas quas
ingeris ei,aut quia ſuſpicatur quòd velis ſuã vxorem ſubornare. Iaculum & gladius,&
ſagitta acuta,homo qui loquitur contra proximum ſuum falſum teſtimonium.) Con-
fert falſum teſtem iaculis,gladiis,& ſagittis acutis. Nam quemadmodum iacula, gladij,
& acutæ ſagittæ feriunt corpus,ita mendax & falſus teſtis ferit animam eius aduerſus quẽ
falſum teſtimonium protulit.Et ſanè magis nocet falſum teſtimonium,quàm acutiſsima
ſagitta.Nam famam probi viri vulnerat & adimit, taceo quòd & plerunque diuitias au-
fert & vitam:ſagitta verò & gladius acutus ſolum còrpus vulnerat,aut vulnerando con-
fodit. Dens putridus,& pes laſſus,qui ſperat ſuper infideli in die anguſtię,& amittit pal-
lium in die frigoris.) Quemadmodum dens putridus & pes laſſus magnum homini do-
lorem adferunt, ita infidus amicus tempore aduerſitatis & anguſtiæ maximum afflicto
dolorem incutit. Quis enim non vociferaretur, & toto ſtomacho exclamaret,ſi a-
nimaduerteret ſe deluſum eſſe ab eo in quo ſpes ſuas omneis collocauerat? Illud enim
Hieremiæ pro tuenda ſua cauſa poſſet adferre, Maledictus homo qui confidit in homi- Hiere.17.
ne.Et qui huiuſmodi ſpe falſus eſt & deceptus,ſimilis eſt illi qui amittit pallium ſuum eo
potiſsimum tempore quo indiget. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſsi-
mo.) Nitrum,vt quidam volunt,à Nitria prouincia,vbi maximè naſci ſolet,nomen ac-
cepit:nec multum à ſalis Ammoniaci ſpecie diſtat.nam ſicut ſalẽ in littore maris feruor
conficit ſolis,durando in petram aquas marinas,quas maior vis ventorum,vel ipſius ma
ris feruor in littoris vlteriora proiecerit: ita in Nitria,vbi æſtate pluuiæ prolixiores tel-
lurem infundunt,adeſt ardor ſideris tantus,quòd ipſas aquas pluuiales per latitudinem
arenarum concoquat in petram,ſalis quidem vel glaciei aſpectui ſimillimam,ſed nil ge-
lidi rigoris,nil ſalſi ſaporis habentem,quæ tamen iuxta naturam ſalis in caumate durari,
& in nubiloſo aere fluere ac liquefieri ſolet. Vtimur & nitro in abluẽdis veſtibus. Vnde Iu
dææ peccanti dicit Propheta: Si laueris te nitro,& multiplicaueris tibi herbam borith,
maculata es iniquitate tua, dicit dominus Deus. Crepitat autem in aqua quomodo calx Hiere.2.
viua: & ipſum quidem diſperit, ſed aquam lauationi habilem reddit. cuius naturam
cui ſit apta figuræ, cernens Salomon, ait, Acetum in nitro, qui cantat carmina cor-
di peſsimo. Acetum quippe ſi mittatur in nitrum, protinus ebullit: & peruerſa mens
quando per increpationem corripitur, aut per prædicationis dulcedinem bona ſua-
dentur, de correptione fit deterior, & inde in murmurationis iniquitatem ſuccendi-
tur,vnde debuit ab iniquitate compeſci. Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita
triſtitia viri nocet cordi.) Non minus animus roditur triſtitia, quàm tinea veſtimen-
tum, & vermibus lignum. Siquidem ſpiritus triſtis exiccat oſſa. & hoc plenius alibi Prouer.17.
diſcuſſum eſt.

*Si eſurierit inimicus tuus,ciba illum:ſi ſitierit,da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis ſuper caput
eius,& dominus reddet tibi. Vetus Aquilo diſsipat pluuias,& facies triſtis linguã detrahentẽ. Melius eſt ſede-
re in angulo domatis,quàm cum muliere litigioſa,& in domo communi. Anima frigida animæ ſitienti,& nun-
cius bonus de terra longinqua. Fons turbatus pede, & uena corrupta,iuſtus cadens coram impio. Sicut qui
mel comedit multum,non eſt ei bonũ:ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis,opprimetur à gloria. Sicut urbs patens,&
abſque murorum ambitu,ita uir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum.)*

Iis qui ad euangelicam perfectionem anhelare cupiunt, nihil conducibilius eſt quàm
diligere inimicos ſuos,obliuiſci iniuriæ acceptæ,& reddere bonum pro malo:quod ſanè
nos docuit Chriſtus dicens in euãgelio,Diligite inimicos veſtros,benefacite his qui ode- Mat 5.
runt vos,& orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Et hoc Salomonis teſtimo-
nio vſus eſt Paulus in epiſtola ad Romanos nobis perſuadens vt vincamus in bono ma-
lum. Si,inquit,eſurierit inimicus tuus, ciba illum:ſi ſitit,potum da illi:hoc enim faciens, Roma.12.
carbones ignis congeres ſuper caput eius. Prunas autẽ congregare ſuper caput inimici,
eſt inducere ardorem charitatis in eius animum, vt tuã conſideret benignitatem,& in-

ARGVMENTVM VICESIMISEXTI CAP.

Vetat Salomon ne balbis, ſtultis & indoctis prouincia docendi committatur, quibus non minus indecens eſt & ignominioſum ut doctioribus præferantur, & in ſummo gloriæ & honoris loco ſedeant, quàm inſolitum ſit & portentoſum in æſtate terram obtegi niuibus: & ne infantiſsimi & indoctiſsimi ſuis ſtolidis uerbis, & loquaciſsima dicacitate coram imperita multitudine eruditis gloriam præripiant, & ſuas inſolenter attollant criſtas, cum tempus poſtulat, eis reſpondendum eſt, & eludendæ ſunt eorum argutiæ, ne uideantur eſſe omnium ſapientiſsimi. Nec ſecus nobis præcauendum eſt ab amico ficto & reconciliato, qui ſtruit inſidias, & fraudes clanculum molitur, quàm ab eo qui parat occultè ſagittas & gladios quibus noſtra transfigat uiſcera.

CAPVT VICESIMVMSEXTVM.

Quomodo nix in æſtate, & pluuia in meſſe, ſic indecens eſt ſtulto gloria. Nam ſicut auis ad alta tranſuolans, & paſſer quolibet uadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperueniet. Flagellum equo, & chamus aſino, & uirga in dorſo imprudentium. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe uideatur. Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit uerba per nuncium ſtultum. Quomodo fruſtra claudus pulchras habet tibias, ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.)

Oſtendit Salomon eleganti ſimilitudine quidnam debemus denegare ſtultis & illiteratis. Quemadmodum nix æſtiuo tempore inutilis eſt, quia eſt contra naturam temporis: & pluuia in meſſe, eò quòd putrefacit ſegetes: ita indecens eſt ſtulto gloria quæ ei publicè exhibetur. Cum enim honor ſit præmium virtutis, duntaxat aut potiſsimum iis qui virtute præditi ſunt, exhiberi debet. Si tamen nonnulli ſint barbari, indocti & ſtulti qui eccleſiaſticam præfecturam gerant, & adſciti ſint in ordinem Epiſcoporum, non eſt, illis denegãdus honor, ſed oportet ſubditos illis aſſurgere, eorumque dignitatem reuereri, & inſigni honore cohoneſtare. Nec illis impenditur honor quia inſipientiſsimi ſunt, ſed quia ſumma Eccleſiaſticæ dignitatis munera obeunt: ſi tamen aptè vel ineptè, decenter vel indecẽter, non curet ſubditus. Vnde dicit beatus Petrus, Serui ſubditi eſto- 1.Pet. 2
te in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Deinde confert Salomon maledictum fruſtra & temere in quempiam prolatum, aui in altum volitanti, & paſſeri quolibet eunti. Nam ſicut auis volitans in altum aeris locum; nunc mouetur, nunc verò quieſcit, & neſcitur vbinam reſidere debeat: ita maledictum ſine iuſta cauſa in quempiam vibratum, recidet in aliquem, ſed nos latet in quem determinate recidet, an in maledicentem, an verò in amicos maledicentis. Attende quæſo, maledictum quod fit affectu iræ, inuidiæ, aut libidine vlciſcendi, eſſe ex ſuo genere peccatum mortale, & charitati contrarium: quod indicat Paulus dicens, Neque maledici regnum dei poſsidebunt. Maledictum verò quod zelo iuſtitiæ in impios emittitur, eſt licitum. Siquidem Heliſæus maledixit peruerſis pueris à quibus illudebatur. Imprecatus eſt & ma- 4.Reg. 2.
lum princeps Apoſtolorum Simoni mago, qui cum optaret & vellet emere nummis gratiam ſpiritusſancti, durum hoc verbum audiuit à Petro: Pecunia tua tecum ſit in perdi- Act. 8.
tionem. Flagellum equo, & chamus aſino, & virga in dorſo imprudentium.) Non minus indigent imprudentes & peruerſi flagellis & ſtimulis, quàm equus indomitus, & piger aſinus: & licet flagris cæſi non reſipiſcant nec emendentur, eorum tamen ſupplicia aliis terrorem incutiunt, quibus à lapſu præcauebunt, & à multis vitiis reuocabuntur. Poſſunt equo & aſino ſignificari ſuperbi & luxurioſi, qui cum acriter à domino caſtigantur, nonnunquam reſipiſcentiam agunt, & vitam in melius commutãt. Hinc illud Pſalmographi, In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approxi- Pſal. 31.
mant ad te. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis. Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.) Hæc ſanè videntur ex diametro pugnare: Non reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,

& reſpondeas ſtulto iuxta ſuam ſtultitiam.ſed non aduerſantur inuicem.nam inſpicien-
dæ ſunt diuerſæ reſpondendi rationes.Non reſpondeas ſtulte & temere ipſi ſtulto, qui
ſtultè loquutus eſt.Nec inhibet Salomō vt nullo modo reſpōdeas ſtulto iuxta ſuā ſtulti-
tiam,ſed ne reſpondendo ſtulto iuxta ſuam ſtultitiam ei ſimilis efficiaris,& optes verbis
contendere ,& malum malo vincere. Reſponde autem ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam ,ei
Mat.15. aptam exhibendo reſponſionem ad eludendam & oppugnandam eius ſtultitiam,ne ſo-
lus imperitis ſapiens eſſe videatur.docta ſiquidem reſpōſione eius ſuperbam ſtultitiam
decuties,& eius ineptias & argutiolas prorſus elides. Reſpondent philoſophi argutiſsi-
mis ſophiſtis , verius ſciolis,ne apud ignaros ſuas captiunculas ſuáque vanam & inanem
doctrinam iactitent.Reſpondent & Theologi hæreticis,eorum falſa & peſtifera dogma-
ta ſacris literis ſubuertendo,ne ſimplices à chriſtianiſmo ad hæreſin abducant.Reſpon-
dit & Chriſtus inuidis & ſtultis ſcribis & phariſæis , vt eorum imperitiam confutaret , ac
calumnias euerteret.Cum enim dixiſſent, Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditio-
nem ſeniorum ? non enim lauant manus ſuas cum panem manducant:hanc ſtultitiam
profligaturus dixit,Quare & vos tranſgredimini mandatū dei propter traditionem ve-
ſtram?Rurſum cum ab eo ſciſcitati fuiſſent ſi nam liceret dare cenſum Cæſari,an non:co
Mat.22. gnita eorum nequitia ait,Quid me tentatis hypocritæ?Oſtendite mihi numiſma cenſus.
At illi obtulerunt ei denarium : & ait illis,Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio ?Dicunt
Ibidem. ei,Cæſaris.Tūc ait illis,Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cęſari,& quæ ſunt dei,deo. Item
cum Sadducæi negantes reſurrectionem mortuorum,interrogaſſent eum dicentes,Ma-
Deute.25. giſter,Moyſes dixit,Si quis mortuus fuerit non habens filium , vt ducat frater eius vxo-
rem illius,& ſuſcitet ſemen fratri ſuo.Erant autē apud nos ſeptem fratres,& primus vxo-
re ducta defunctus eſt,& non habens ſemen reliquit vxorem ſuam fratri ſuo. Similiter
ſecundus & tertius vſque ad ſeptimum. Nouiſsime autem omnium & mulier defuncta
eſt.in reſurrectione ergo cuius erit de ſeptem vxor ? omnes enim habuerunt eam. Re-
ſpondēs autem ait illis,Erratis neſcientes ſcripturas,neque virtutem dei.In reſurrectio-
ne enim neque nubent,neque nubentur,ſed ſunt ſicut angeli dei in cœlo. Claudus pe-
dibus,& iniquitatem bibens , qui mittit verba per nuncium ſtultum.) Stultus & impru-
dens legatus perſimilis eſt claudo pedibus, & inebriato vitiis. Nam neſciens decenter
& aptè munus ſuæ legationis obire, dicit quæ non ſunt dicenda,vacillat aliquando &
verbis & iudicio,& plerunque illum ad quem mittitur, prouocat ad iracundiam.Mit-
tendus eſt igitur ad magnanimum principem, prudens,modeſtus, grauis , & circun-
ſpectus legatus. Quomodo fruſtra claudus pulchras habet tibias , ſic indecens eſt
in ore ſtultorum parabola.)Sicut claudo pulchræ tibiæ nihil adferunt ornamenti , quia
indecenter incedit:ita nec parœmia & doctrina adferunt honorem ſtulto. nam incon-
cinne & inepte docet.

¶ *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii , ita qui tribuit inſipienti honorem. Quomodo ſi ſpina na-
ſcatur in manu temulenti,ſic parabola in ore ſtultorum.Iudicium determinat cauſas , & qui imponit ſtulto ſi-
lentium,iras mitigat. Sicut canis qui reuertitur ad uomitū ſuū,ſic imprudēs qui iterat ſtultitiā ſuam.Vidiſti ho
minem ſapientem ſibi uideri,magis illo ſpem habebit ſtultus.Dicit piger,Leo eſt in uia,& leæna in itineribus.
Sicut oſtium uertitur in cardine ſuo,ita piger in lectulo ſuo. Abſcondit piger manus ſub aſcella ,& laborat ſi
ad os ſuum eas conuerterit . Sapientior ſibi piger uidetur ſeptem uiris loquentibus ſententias.)*

Mercurius fingitur eſſe deus mercaturæ, & deorum interpres : ideo à græcis Her-
mes dictus , ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν , quod eſt interpretari . Hic palæſtram docuit ,lyram in-
uenit.Idem precibus Iunonis Martem è duris carceribus liberauit , Argum interemit.
eius ſimulachrum Aegyptij pennatis alis inſigniūt, alij petaſo, hoc eſt talaribus alatis,
& addunt capiti galerum. Item dant ei caduceum , quæ virga eſt qua bellum dirimi-
tur. Nam quia Mercurius orationis deus eſt, & deorum nuncius , meritò à diis mitte-
batur vt diſsidentium animos oratione ſedaret. Et quia gentiles ſuis ſuperſtitionibus ad-
dicti conſueuerant ſummum honorem deferre Mercurio , qui tamen vni vero & ma-
ximo deo deferendus erat , eique ſacram ædem conſecrabant , conferendus eſt ho-
nor qui tribuitur indocto & ſtulto , illi qui deferebatur Mercurio , quia vter-
que vanus eſt & inanis . Et qui mittit lapidem in aceruum materiæ ex qua
extruitur

extruitur templum Mercurio,ſimilis eſt illi qui infantiſsimo & ignauiſsimo primas ho-
noris partes defert. Siquidem vtriuſque conatus eſt irritus & inutilis.Alij ediſſerẽtes hũc
locũ,dicunt aceruo Mercurij, rationẽ,ſiue,vt vulgares dicunt,cõputũ exprimi.Nã apud
gentiles Mercurius fingebatur eſſe ſupputationis ſiue ratiocinij deus:& cum antiqui cu-
iuſdam rei rationem reddebant,vtebantur lapillis,ſicut modo denariis plumbeis vel ſtã-
neis vtimur.Et frequenter denarius ille qui ponitur pro vno ſolido, amouetur de loco
ſuo,& ponitur pro vna libra,vel maiori ſumma.ſic illiteratus & ſtolidus qui in ignobi-
liori loco ſedere debet, plerunque honoratiorem locum obtinet,& honorum ſubſellia
quæ doctis & ſapientibus tribuenda ſunt,ſuffuratur.Septuaginta interpretes hoc in lo-
co legunt, ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, ὅμοιός ἐστι τῷ διδόντι ἄφρονι δόξαν. Id eſt,
Qui ligat lapidem in funda, ſimilis eſt tribuenti ſtulto gloriam. Nam quemadmo-
dum lapis poſitus in medio fundæ,contra ſuam naturam fertur ſurſum, ſic mediusfi-
dius eſt contra rationem & æquitatem, quòd inſignis honor deferatur ſtupidis & indo-
ctis. Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti, ſic parabola in ore ſtultorum.)
Quemadmodum ſpina quæ naſcitur in manu temulenti,pungit temulentum & alios,ita
ſtultus & indoctus docens aut prædicans ſe fœdat, & lacerat eos quibus ſuam ſeminat
doctrinam,& maxima plerunque ſcandala concitat.Sed væ illi per quem ſcandalum ve- Mat.18.
nit. Iudicium determinat cauſas,& qui imponit ſtulto ſilentium,iras mitigat.) Sicut re
ctum iudicium præſcindit lites, & diſcutit cauſas, ac diſsidia profligat,ita vir prudens
imponens ſtulto ſilentium, iræ tumultus ſedat & mitigat. Si enim loquacitas ſtulti ri-
xas & iracundiam excitet, ſilentium ſtulti & taciturnitas rixas componet, & impetum
iræ franget. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat
ſtultitiam ſuam.) Qui ad priſtinam vitiorum dementiam redit, conferendus eſt ca-
ni ad vomitum reuertenti: vterque enim in cœno volutatur. Vnde beatus Petrus lo-
quens de iis qui aſſuetis coinquinationibus implicati ſuperantur, & quorum poſte-
riora facta ſunt prioribus deteriora, dicit, Contigit eis illud veri prouerbij, Canis
reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. Vidiſti hominem ſapien- 2.Petri.2.
tem ſibi videri, magis illo ſpem habebit ſtultus.) Longè maiora bona conſequetur ille
qui ſuam inſipientiam & imbecillitatem ingenij cognoſcit, nec quicquam ſe ſcire fate-
tur,quàm qui ſapientiam quam ſane non habet,iactitat,& vult omnium ſapientiſsimus
videri.Et huiuſmodi hominibus inanis gloriæ fumo occæcatis,dominus per Eſaiam ma-
lum imprecatur dicens, Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris,& coram vobismetipſis Eſa.5.
prudentes.Et Paulus in epiſtola ad Romanos vetat ne ſimus prudentes apud nóſmeti- Roma.12.
pſos.Et alibi dicit,Quæ ſtulta ſunt mundi,elegit deus,vt confundat ſapientes:& infirma 1.Corin.1.
mundi elegit deus,vt confundat fortia:& ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus,
& ea quæ non ſunt,vt ea quæ ſunt,deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpe-
ctu ei9. Dicit piger,Leo eſt in via &c.) Piger in omni opere arduo prætexit excuſationẽ,
& maiorẽ exiſtimat eſſe difficultatẽ quàm ſit.Idcirco nihil quod magnum ſit & excellẽs
aggreditur:pericula omnia refugit,& à laboribus abhorret:& ſicut oſtiũ vertitur in car-
dine,ita deſidioſus in ſuo lectulo molli pigritia volutatur,& quanuis altum ſomnũ fre-
gerit,non tamen ſurgit,ſed ſua torpedine & ignauia vinctus,ſub plumoſa culcitra ſe re-
uoluit. Abſcondit piger manus ſub aſcella &c.) Hic locus alibi declaratus eſt. Sapien- Prouer.19.
tior ſibi piger videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.) Exiſtimat piger longè ma-
ioris eſſe prudentiæ inquirere dulciſsimam ſuæ carnis requiem,& diu dormire,ac rerum
arduarum pericula declinare,quàm indeſeſsis vigiliis & laboribus,ſapientiæ ſtudiis incũ
bere,& literis immarceſcere.Et illos exiſtimat eſſe deliros,& ſui corporis carnifices, qui
in comparandis Philoſophiæ diſciplinis grauem valetudinem ſibi contraxerunt,ſuam-
que vitam extenuarunt.Septem autem viri loquentes ſerias ſententias,dici poſſunt illi,
qui ſeptiformis ſpiritus gratia pleni,diuina eloquia ſcripſerunt,& ſacræ ſcripturæ ſcien-
tiam ac intelligentiam nobis ſuppeditarunt.

¶ *Sicut qui apprehendit auribus canem,ſic qui tranſit impatiens,& commiſcetur rixæ alterius.Sicut noxius eſt qui mittit lãceas & ſagittas in mortẽ,ita uir qui fraudulẽter nocet amico ſuo:& cũ fuerit deprehẽſus,dicit,*

Ludens feci. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & ſuſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas. Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad interiora uentris.)

Quemadmodum qui apprehendit canem auribus, eum ad iram & furorem irritat, à quo plerunque mordetur: ita qui nullam paſſus eſt ab alio iniuriam, cum ſe corrixantibus immiſcet, non vt diſsidia ſoluat, ſed potius vt vnum aduerſus alterum inflammet, plerunque vulneratur. non enim ſouendæ ſunt rixæ & contentiones, ſed exterminandæ: & qui contendentium iurgia ſubaccendit, dignus eſt vt acriter puniatur. Nec minus culpandus eſt qui fraudulenter nocet amico, quàm qui vibrat lanceam vt hominem con fodiat & trucidet: & cum turpiſsimi facinoris accuſatur, & vult negare factum, ab intentione prætexit excuſationem, ne extrema patiatur. ſiquidem dicit, Ludens feci, nec inten debam me vllum proximo allaturum nocumentum. Sed quàm vaſra ſit & ſimulata huiuſmodi excuſatio, nemo neſcit, & acerbius ac longè grauius puniri debet qui clauculum quàm qui apertè ferit. Vix enim occultæ inſidiæ vitari poſſunt, facilè autem maniſeſtæ.

Cum deſecerint ligna, extinguetur ignis: & ſuſurrone ſubtracto iurgia conquieſcunt.) Ab hominum cœtu ſubtrahe ſuſurronem, qui non palàm ſed in auribus ferit rixas & diſſenſiones, & cõquieſcent iurgia, ſicut extinguitur ignis cui nullum amplius admouetur alimentum. deficiente enim cauſa deficit effectus. Et poſteriori huiuſce ſimilitudinis

Prouer. 22. parti conſentit illud, Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.) Quemadmodum carbones appoſiti foco, & ligna admota igni, ſouent incendiũ & nutriunt, ita conuiciator & feruens iracundia ſuſcitat rixas. Siquidem ira eſt appetitus vindictæ. Nec iracundus appetit vlciſci iniuriam niſi ſentiat ſe ab altero læſum. Sed patientia frenandus eſt hic affectus, & melius eſt pati iniuriam, quàm in hoſtem ſæuire.

Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniũt ad interiora ventris.) Mollia videntur eſſe ſuſurronis verba, & nobis gratiſsima, quia ſuſurro non palàm iurgiorum ſemina ſpargit, ipſa tamen feriunt penetralia viſcerum. Et hic locus cum illo conſpirat, Verba bi

Prouer. 18 linguis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt vſque ad interiora ventris.

❡ *Quomodo ſi argento ſordido ornare uelis uas fictile, ſic labia tumentia cum peſsimo corde ſociata. Labiis ſuis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. Quando ſubmiſerit uocem ſuam, ne credideris ei, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui uoluit lapidem, reuertetur ad eum. Lingua fallax non amat ueritatem, & os lubricum operatur ruinas.)*

Ita ſe habent verba in tumorem ſuperbiæ elata cum peſsimo & venenato corde, atque ſe habent ſcoriæ puri argenti cum vaſe fictili, quod non ſolet vero & puro argento ornari, ſed duntaxat apparenti. Et periculoſiſsima eſt coniunctio ſuperbi cum eo qui peſsimo corde molitur ſcelera. quod enim ſub amarulento corde latet, mox verbis tumidis & elatis in publicum proſertur. Antiqua edito ita legit, Argentum datum cum dolo, ſicut teſta reputandum: labia leuia cor celant triſte. Et ideirco appoſitè & ſcitè ſubiunxit Salomon, Labiis ſuis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit do-

Mat. 12. los.) Quia ex abundantia cordis os loquitur, nec poſſunt aliquando non erũpere noxiæ cogitationes, cum perditiſsimus homo & flagitioſiſsimus in corde verſauit dolos, & nocendi technas, ſuis verbis ſuperbis & contumelioſis intelligitur inimicus, & iniuriis ac minis ſeipſum prodit. Denique cum ſuam vocem ſubmiſerit humilius ac dulcius loquendo, ne eius dolus appareat, ne credideris, quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde illius. hoc eſt, eius animus corruptiſsimus malorum omnium & iniquitatum vniuerſitate ac ſentina repletur. Siquidem vniuerſitas ſeptenario deſignari ſolet, eò quòd omne tempus ſeptenario dierum comprehenditur. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in conſilio.) Illius malitia & peruerſitas innoteſcet in conſilio & diligenti inquiſitione, qui dolis & ſimulata amicitia odium obtegit: & ſi id humana induſtria non fiat, dei tamen conſilio & iudicio fiet. Ni-

Mat. 10. hil enim eſt opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non ſciatur. Detectum

eſt

eſt & Iudæ odium,quod fraudulento animo antequam ſuum dominum hoſtibus prode- Mat.26.
ret,operuerat,& oſculo cognouerunt Iudæi quem prodiderat. Qui fodit foueam,inci-
det in eam:& qui voluit lapidem,reuertetur ad eum.) Qui molitur alteri inſidias,& pa-
rat ruinam, patitur plerunque ſupplicium quod alteri intentauerat, & ſuis laqueis quos
in alterum extenderat,irretitur.Huic loco finitimum eſt illud pſalmographi,Lacum ape
ruit, & effodit eum,& incidit in foueam quam fecit. Et plerunque lapis recidit in caput Pſal.7.
illius,qui in alterum vt ei noceret vibrauerat:ſicut Balaam dans conſilium Balac aduer- Nume.24.
ſus filios Iſrael,ab eis fuit occiſus.Perierunt etiam Abſalon & Achitophel qui cõtra Da- &.31.
uid conſpirauerunt.Similes ſunt & huic prouerbio eę parœmiæ,In me hæc cudetur fa-
ba.Tute hoc intriſti,tibi omne eſt exedendum. Faber compedes quas fecit,ipſe geſtet. Terentius.
Qui diſſipat ſepem,mordebit eum coluber.Hæc omnia prouerbia cõpetunt in eos qui Auſonius.
ſibiipſis authores ſunt malorum. Lingua fallax nõ amat veritatem, & os lubricũ ope- Eccle.10.
ratur ruinas. Qui loquitur mendacium,& lingua fallaci illudit probis,nihil habet cum
ipſa veritate commercij, magnam autem habet cum diabolo,qui eſt pater mendacij,fa-
miliaritatem.Os etiam lubricum,quod non nouit ſeruare ſecretum,ruinas operatur, &
multas ſtrages aduehit,quia ſuorum conſilia aduerſariis detegit.

ARGVMENTVM VICESIMISEPTIMI CAP.

Tametſi beneuolentiã domini hodie tibi conciliaueris,eiq́; ſis maximè gratus,caue tamen ne te extollas,tuaque bona opera iactites,& glorieris in craſtinum. non enim uales omnino præuidere quomodo uitam finies,& prorſus ignoras quidnam ſuperuentura dies pariet.Quòd ſi tuus animus eximiis uirtutibus præditus ſit, & in omni diſciplinarum genere floreat,ac incrementum ſuſceperit, non te tuaque ſtudia laudes,ſed alienus:nec ea cæcitas ac inſania te capiat,ut auram popularem ſecteris.Summã adhibe curam eis quibus præficeris,& agnoſce ſingulorum officia. quod ſi quid uitii in eis inueneris, quàm citiſſime caſtiga. paſce & uerbo & doctrina gregem tibi commiſſum,& inſigni corona in regno dei coronaberis.

CAPVT VICESIMVMSEPTIMVM.

NE glorieris in craſtinum,ignorans quid ſuperuentura pariat dies.Laudet te alienus, & non os tuum:extraneus,& non labia tua.Graue eſt ſaxum, & oneroſa arena,ſed ira ſtulti utroque grauior.Ira non habet miſericordiam,nec erumpens furor,& impetum concitati ferre quis poterit?Melior eſt manifeſta correctio,quàm amor abſcõditus.Meliora ſunt uulnera diligẽtis,quàm fraudulenta odientis oſcula. Anima ſaturata calcabit fauum,& anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.)

Te monet Salomon vt non tibi pollicearis craſtinum,nec pręſu-
mas te cras victurum.Siquidem ſaluator nos vocans ad vigilias & præparationem ani-
mi ad mortem,dicit, Vigilate itaque,quia neſcitis diem neque horã.Nec debemus dif- Matt 25.
ferre vitæ noſtræ emendationem,quaſi eam aptiori tempore in poſterum ſimus emen-
daturi.nam qui gloriatur ſe in craſtinum bene & beate victurum,ignorat quidnam ſu-
peruentura dies pariet,an honeſtè viuet, an vero turpiter:an futurus ſit ſanus,an æger:
an proſpera ſit conſequuturus,an vero aduerſa.Idcirco vult Paulus,vt dum tempus ha- Gala.6.
bemus,operemur bonum ad omnes.Et ne piger ſit homo in facienda reſipiſcentia,dicit
Eccleſiaſticus,Non tardes conuerti ad dominum,& ne differas de die in diem.Subito e- Eccleſ.5.
nim veniet ira illius,& in tempore vindictæ diſperdet te.Quòd ſi velis ab omnibus lau-
dari,ne te laudes,nec virtutes quibus excellis prædices.Laus enim in ore proprio ſorde-
ſcit.Vita quantum potes ambitionem,& inanem gloriam, nec fluxos honores & huma-
nam laudem appetas, ſed magno animo contemnas.Legimus tamen ſanctos viros ſua
commendaſſe merita,ſuaſque virtutes commemoraſſe,non quòd affectu honoris tan-
gerentur,ſed eo fine id agebant,vt alios ſuis exemplis ad piè viuendum accenderent, &
peruerſos cõfutarent,deoque pro beneficiis acceptis laudes occinerent. Vnde Ezechias
grauiſſimo morbo correptus dicebat, Obſecro domine,memẽto quęſo quomodo am- 4.Reg.20.

bulauerim coram te in veritate,& in corde perfecto,& quod placitum eſt coram te fece-
2. Timot. 4. rim. Et Paulus inſtante ſuæ reſolutionis tempore, dixit, Bonum certamen certaui, cur-
ſum conſummaui, fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam red-
det mihi dominus in illa die, iuſtus iudex. Graue eſt ſaxũ,& oneroſa arena, ſed ira ſtul-
ti vtroque grauior.) Saxum & arena plurimum habent grauitatis,& ſuo pondere ſubi-
tò feruntur deorſum: poſſunt tamen à ſtultis, ſi modo ſint fortes corpore, portari: vtro-
que tamen ira ſtulti grauior eſt. Nam à ſolis ſapientibus, qui ſunt fortes animo & con-
ſtantes, portari poteſt. Nec quiſquam præter ſapientem & prudentem poteſt æquo ani-
mo tolerare ſtultorum iracundiam & conuicia.& quod ſubnectit Salomon, id exprimit,
Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor,& impetum concitati ferre quis po-
terit? Et hic loquitur de impetu iræ, quo concitatus & impulſus, caret miſericordia, à quo
cum ſuis furiis laborat, magis cauendum eſt quàm à truculentiſsima fera. Siquidem ho-
mo cum à recta ratione deuiat, omnium animalium eſt peſsimum & ſæuiſsimum: & cũ
feruet iracundia,& huc & illuc more furibundi rapitur, nullus niſi ſapiens eius impetum
ferre poteſt. Melior eſt manifeſta correctio, quàm amor abſcõditus.) Publica correctio
eſt eleemoſyna ſpiritualis, officium iuſtitiæ & charitatis. Idcirco cum ea ſequitur caſtiga-
to commodum, aut eius virtute cæteri terrẽtur,& à vitiis nonnunquam reuocantur:
præferenda eſt amori abſcondito & adulterino, quo nullum dilecto contingit bonum.
Adde quòd manifeſta animaduerſio ex ſe deſtinata eſt ad emendationem illius qui pu-
blicè deliquit,& aliorum vtilitatem: nec quis dicitur diligere delinquentem, niſi eum cũ
Eccle. c. 19. poteſt caſtiget. Vnde dicit Eccleſiaſticus, Corripe amicum, ne forte non intellexerit, &
dicat, non feci: aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non
dixerit: & ſi dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſsio,& non om
ni verbo credas. Et melius eſt ab amico verbera perpeti, quàm blandimentis inimici &
fraudulentis odientis oſculis decipi. Etenim verbera, afflictiones & vulnera amici, ſi mo-
dò moderata fuerint, proſunt afflicto: oſcula verò odientis obſunt, vt compertum eſt de
fraudulento ipſius Ioab oſculo. cum enim ſalutaſſet Amaſan, & tenuiſſet manu dextra
2. Reg. 20. mentum Amaſæ quaſi oſculans eum,& non obſeruaſſet Amaſa gladium quem habebat,
percuſsit eum in latere,& effudit inteſtina eius in terram,& mortuus eſt. Anima ſatura-
ta calcabit fauum,& anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.) Obrutus cibis opi-
para conuiuia & exquiſitas epulas faſtidit: quem verò fames vrget, quibuſlibet cibis in-
diſcriminatim veſcitur: & cum eius venter ieiunus clamat, loco dulcium deuorat ama-
ra, & omnes cibos exiſtimat ſibi eſſe delectabiles. Qui etiam voluptatibus & diuitiis
huius ſeculi ſatiati ſunt, cœleſtis menſæ delicias contemnunt. Vnde dicit Chriſtus:
Luc. 6. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Qui verò eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, ac ad-
Mat. 5. uerſa quæque pro Chriſti nomine ſufferunt, per poculum amaritudinis ad gaudia vi-
tæ æternæ peruenient.

*Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo, ſic uir derelinquit locum ſuum. Vnguento & uariis odoribus delecta-
tur cor, & bonis amici conſiliis anima dulcoratur. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiſeris: & domũ
fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ. Melior eſt uicinus iuxta, quàm frater procul. Stude ſapien-
tiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut poſsis exprobranti reſpondere ſermonem. Aſtutus uidens malum,
abſconditus eſt, paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia, Tolle ueſtimentum eius qui ſpopondit pro ex-
traneo, & pro alienis aufer ei pignus.)*

Qui derelinquit domum ſuam,& ſuæ familiæ curam negligit, conferendus eſt aui de
nido ſuo tranſmigranti, quæ cum aliò demigrat, nec in priſtinum nidulum remigrat, de-
ſerit pullos ſuos inanes & vacuos. Poteſt & hac ſententia ſignificari negligentia princi-
pis eccleſiaſtici, qui pro ſuis negociis terrenis peregre proficiſcitur,& negligit gregem
ſuæ fidei concreditum. Poteſt & eadem parabola exprimi hominis ignauia, qui optimũ
virtutis exercitium in quo cœperat proficere, deſerit,& obſcœnis voluptatibus indul-
Eccleſ. 10. get, ac tempore tentationis facilè ſuccumbit. In Eccleſiaſte legimus, Si ſpiritus poteſta-
tem habentis, aſcenderit ſuper te, locum tuum ne dimiſeris, quia curatio faciet ceſſare
peccata maxima. Et ſenſus eſt, Si vehemens diaboli tẽtatio irruerit ſuper te, non deſiſtas
à bono

à bono quod inchoaſti. Vnguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amici conſiliis anima dulcoratur.) Non minus anima vtiliſsimis amici conſiliis delectatur, quàm cor in quod redundát oblectamenta ſenſuum exteriorum, precioſiſsimo vnguẽto & fragantiſsimis odoribus oblectetur: & eò ſis propenſo animo erga tuos cordatiſsimos amicos, vt nec amicum tuum, nec amicum patris tui dimittas. quòd ſi fluctibus aduerſitatum agitetur, compatere, & ei condoleas. ſi verò proſpera quæq; ei ſuccedát, gaudeas, & plaudas amico. Domum tamẽ fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ, ne cognita tua dura paupertate, triſtitia & mœrore contabeſcat. Vbi etiam lubentius vellet tibi alia via ſuccurrere, ſi tamen te premat inopia & neceſsitas, poteris ad fidelem & familiarem amicum confugere, qui paratus eſt tibi victum & veſtitum ſuppeditare. Melior eſt vicinus iuxtà, q̃ frater procul.) Vtilior eſt ad ſuccurrendũ vicinus propè quàm frater longe habitans, quia non poteſt facilè in repentinis caſibus & periculis nobis auxiliari. Et melior eſt vicinus pietatis officia exercens, conſanguineis noſtris qui à pauperibus faciem auertunt. Hoc autem dominus manifeſtè probauit in parabola vulnerati à latronibus, cuius curam egit Samaritanus, non autem ſacerdos nec Leuita. Quòd ſi quis Lucæ.10. velit optimum bonum in hac vita conſequi, & reſpõdere exprobrantibus veritatem diuinæ legis, ſe totum ſtudio ſapiẽtiæ deuoueat. Vnde Paulus vult vt epiſcopus amplectatur eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari doctri- Tit. 1. na ſana, & eos qui contradicunt, arguere. Aſtutus videns malum, abſconditus eſt, paruuli tranſeuntes ſuſtinuerunt diſpendia.) Qui animaduertunt ingens periculũ ſibi imminere, ſeipſos, vt euadant, ſubtrahunt. Inexperti vero & improuidi nõ præuidentes pericula, ſuarum fortunarum & aliquando ſuorum corporũ diſpendia patiuntur. Tolle veſtimentum eius qui ſpopondit pro extraneo, & pro alienis aufer ei pignus.) Tu potes licitè accipere veſtimentum illius qui ſpopondit pro extraneo tibi obligato, & ab eo auferre pignus pro alienis pro quibus fideiuſsit. De hac re iam diximus.

¶ *Qui benedicit proximo ſuo uoce grandi de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit. Tecta perſtillãtia in die frigoris, & litigioſa mulier, comparantur. Qui retinet eam, quaſi qui uentum teneat, & oleum dexteræ ſuæ euacuet. Ferrũ ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici ſui. Qui ſeruat ficũ, comedet fructus eius: & qui cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur. Quomodo in aquis reſplendent uultus proſpicientium, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. Infernus & perditio non replebuntur. ſimiliter & oculi hominũ inſatiabiles. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, ſic probatur homo ore laudantis.)*

Ille cenſetur voce grandi benedicere proximo ſuo, qui ei manifeſtè adulatur, eumq́; fauore ſuperfluæ laudis extollit, & plus æquo eius bona laudat. De nocte autẽ cõſurgere dicitur, quando indebito & importuno tẽpore ac cũ magna ſolicitudine aſſentatiũculis incũbit. huiuſmodi tamen aſſentator & callidus impoſtor maledicenti ſimilis eſt, quia aſſentando lædit ſuũ proximũ, & potius contendit eum decipere, quàm eidem prodeſſe.

Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier, cõparantur.) Vtrũq; enim affligit hominẽ & vexat. Qui autẽ nititur rixoſam, garrulá & cõtumelioſam mulierẽ ab inſolentia loquacitate & iniuriis reuocare, perinde agit ac ſi vellet impetũ venti cohibere aut retinere, & oleũ manu retentum ſtringendo euacuare. Quanto enim plus ſtringitur, tanto magis elabitur. Qui enim cõuiciatricis mulierculæ rixas & cõtentiones refrenare cupit, magis accẽdit & inflammat. Sicut ferrum malleo ferreo acuitur, & paulatim emollitur: ſic homo ſua præſentia, ſua perſuaſione, ſuiſq́; virtutibus facit vt diligentius facies atq; ingeniũ ſui amici perſpiciatur, & accuratius penſentur ea quæ proponuntur. Qui ſeruat ficum, comedet fructus eius: & qui cuſtos eſt domini ſui, glorificabitur.) Quẽadmodum qui præſeruat ficũ à nocumentis, meretur eius fructibus veſci: ita immortalem promeretur gloriã, qui ſuũ dominum à periculis eripit, eiuſq́; corpus diligẽter cuſtodit. Dignus fuit qui honoraretur Abiſai filius Saruiæ, ꝙ præſidio fuerit ipſi Dauidi, ne cum 2.Reg.21. pugnaret contra Philiſtæos, à Ieſbidenob interficeretur. Deniq; ſicut in lympidiſsimis aquis reſplendent vultus proſpicientium, ſic corda hominũ manifeſta ſunt prudẽtibus, qui ſecreta cordis & affectiones quibuſdã indiciis exterioribus probabiliter cognoſcunt.

Infernus & perditio nõ replebũtur, ſimiliter & oculi hominũ inſatiabiles.) Quẽadmodũ infernus omnia deuorat, nec vnquã ſatiatur, ita inexplebilis auarorũ & laſciuorum

cupiditas nunquam ſatiatur. Ea ſiquidem eſt auari cæcitas, vt conquiſitis opibus nunquam ſit contentus, ſed ſemper cupiat theſaurum theſauro accumulare. Vnde dicit philoſophus in Politicis: Videtur quibuſdam hoc eſſe rei familiaris opus, & perſeuerant exiſtimantes oportere aut conſeruare aut augere nummorum ſubſtantiam in infinitum. Cauſa vero eſt huius diſpoſitionis, ſtudium viuendi, ſed non bene viuendi. Cum ergo cupiditas in infinitum extendatur, illa quoque quæ efficiunt, infinita cupiunt. Sed qui bene viuere ſtudent, ad fruitionem corporis quærunt diuitias. Hæc ille. Qui etiam prurienti libidine faſcinatos habent oculos, intuitu elegantiſsimarum mulierum ſatiari nō poſſunt. Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurū, ſic probatur homo ore laudantis.) Quemadmodum in conflatorio probatur argentum, & in fornace aurum, an ſit purum vel impurum, verum vel adulterinum: ita probatur homo ore laudantis, an ſcilicet ſit ſtudioſus, nécne. Si enim encomiis inſoleſcat & efferatur, dignoſcetur ſuperbus, & ambitioſus. ſi verò laudes in commendationem ſui nominis accumulatas reſpuat, aut auditis à buccinatore ſuis laudibus nihil moueatur, iudicabitur modeſtus, & humilis.

1. Polit. 6.

Cor iniqui exquirit mala, cor autem rectum exquirit ſcientiam. Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius. Diligenter agnoſce uultum pecoris tui, tuoſq; greges conſidera. non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur tibi in generatione & generatione. Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ uirentes, & collecta ſunt fœna de montibus. Agni ſunt ad ueſtimentum tuum, & hœdi ad agri precium. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria domus tuæ, & ad uictum ancillis tuis.)

Flagitioſi & turpiſsimis vitiis aſſueti perquirunt vias omnes quibus nocere poſsint, & modis omnibus aduerſus iuſtos moliuntur inſidias: & antequam in nephanda opera prorumpant, verſant animo ea flagitia quæ commiſſuri ſunt: & cum grauiſsimum damnum intulerunt proximo, & ſuis pernicioſiſsimis deſideriis ſatiati ſunt, ſumm opere lætantur. At contrà iuſti exquirentes ſcientiam eorum quę ſaluti neceſſaria ſunt, toto animo ſtudent omnibus prodeſſe, omniumque beneuolentiam ſibi comparare: nec ipſis amore dei & proximi quicquam gratius eſſe poteſt, quorum mens eſt ſyncera, conſciētia pura, & mores compoſitiſsimi: cum quibus etiam viuere ſanè iucundiſsimum eſt.

Si contuderis ſtultum in pila quaſi ptiſanas feriente deſuper pilo, non auferetur ab eo ſtultitia eius.) Primùm quid ſignificent hæc nomina, pila, pilum, ptiſana, declarabimus: deinde ſententiam Salomonis dilucidam reddemus. A pinſo dictæ ſunt pilæ, quæ vaſa ſunt concaua, quòd antiqui ſiccata frumēta in pilas immiſſa pinſebant, & hoc erat vnum genus molendi. Etiam vaſa concaua medicorum vſui apta, in quibus ptiſanæ fieri ſolent, pilæ dicuntur. Pilum verò etiam à pinſendo dictum, inſtrumentum eſt quo quippiam in mortariolo vel pila teritur aut cōminuitur. Dicit Plinius libro XVIII. Naturalis hiſtoriæ cap. VII. quoſdam virentibus ſpicis decuſſum hordeum recens purgare, madidumque in pila tundere. In eodem capite dicit vſum ptiſanæ validiſsimum ſaluberrimumque maximopere probari. Vnum laudibus eius volumen dicauit Hippocrates clariſsimus medicinæ ſcientia. Ptiſanæ bonitas præcipua Vticenſi, in Aegypto verò ea eſt, quæ fit ex hordeo cui ſunt boni anguli. Hæc ille. Quidam dicunt hoc in loco ptiſanam ſumi pro hordeo decorticato. Hac intellecta adnotatiuncula, ſcias authorem hac parabola velle innuere, quòd licet multis flagris & duriſsimis tormentis ſtultum & multis vitiis aſſuefactum afflixeris ac mutilaueris, nulla tamen caſtigatione, nulliſque monitis miſeram eius vitam emēdare poteris, niſi dominus deus ſua ſpeciali gratia te iuuerit, vt eum à ſentina peccatorum extrahas, à qua ſanè non explicabitur, niſi diuino præſidio adiutus laboret. Aliter tamen hoc in loco Septuaginta Interpretes legunt, ἐὰν μαστιγοῖς τὸν ἄφρονα ἐν μέσῳ συνεδρίῳ ἀτιμάζων, οὐ μὴ περιέλῃς τὴν ἀφροσύνην αὐτοῦ. Id eſt, Si verberaueris ſtultū in medio concilio inhonorans, non tolles ſtultitiā eius. Et hic ſenſus eſt planus. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges cōſidera. non enim habebis iugiter poteſtatem, ſed corona tribuetur tibi in generatione & generatione.) Nonnulli interpretes hunc locum ita ediſſerūt, Si fueris potens diuitiis, non propterea in rebus paruis ſis negligens, vt de ouibus & pecoribus tuis. & ſubditur cauſa: Non enim

habebis iugiter poteſtatem,hoc eſt forſitan perdes & alias cumulatiores diuitias, nec ti-
bi concedetur perpetuò eis frui.Si tamen diligens fueris in cuſtodiendis tuis armentis,
& aliis rebus etiã modicis,in æuum tibi corona tribuetur, & immortalem tibi gloriam
parabis. Sed facilè hic locus intelligetur de principibus cum ſecularibus tum eccleſia-
ſticis,qui ſumma cum diligentia debent ſuorum ſubditorum conditionem, qualitatẽ,
mores & vitam perpendere. Quòd ſi vegeto & forti ſint corpore, grauiora reipublicæ
onera eorum humeris imponant.ſi verò ſint valetudinarij,aut maximè debiles, nõ eos
iugo premant,ſed eorum vices doleant.Si denique excellant ingenio,prudentia & fœ-
lici memoria,curent vt ardua & maxime ſeria negocia tractent.Si verò ſint hebetes,ſtu-
pidi,& craſſo ingenio nati,ſaciant vt abiectiſsima & quæ parui ſunt momẽti officia ex-
erceant.Si de republica bene ſint meriti,& omnia ſua ſtudia in commune bonum con-
tulerinr, eos optimis præmiis donent. ſi verò ob ignauiam & pigritiam nihil contule-
rint,in eos animaduertant,& pro ratione delicti irrogent ſupplicia.Agnoſcant & eccle-
ſiaſtici antiſtites animas gregis ſibi commiſsi, & diſquirãt ac ſedulò ſciſcitentur ſi nam
idonei ſint & docti,quibus collaturi ſunt ſacerdotia, an ſciant diſcernere inter lepram
& non lepram,æquum vel iniquũ,bonum & malum.An vitæ ſanctimoniam(quę regen-
dæ eccleſiæ perquam vtilis eſt) habeant,an potius toto animo ſqualleant vitiis:& ſi ma-
gis in publicis gymnaſiis verſati ſunt,quàm in curiis principum.Nõ enim eccleſię præ-
fecti poterunt ſemper hac poteſtate vti,& ſui muneris officia exercere. Nam aut morte
aut alio modo eorum præfectura finietur.Idcirco ſi immarceſcibilem coronam conſe-
qui velint,dum tempus habent,rectè,prudenter & grauiter ſua obeant munera,& ſpiri-
talem alimoniam ſuis ouibus ſubminiſtrent.Vnde dicit beatus Petrus,alloquens eccle-
ſiæ moderatores,Paſcite qui in vobis eſt gregem dei,prouidentes non coactè, ſed ſpon- 1.Pet.5.
tanceè ſecundum deum,neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque vt dominantes
in cleris,ſed forma facti gregis ex animo.Et cum apparuerit princeps paſtorum, perci-
pietis immarceſcibilem gloriæ coronam. Sunt tamen nonnulli duces eccleſiæ qui ad
hæc nullo modo attendentes,potius oues ſibi commiſſas deglubunt,viuamq́ue ad cutẽ
tondent,quàm paſcant,& hamo turpiſsimi quæſtus ineſcati, ineptiſsimum & imperitiſ-
ſimum vicarium,nummis tamen aptum,& verius oppletum, neglectis ob paupertatem
idoneis,ſuis paſcendis ouibus præficiunt:ſed quomodo eas paſcant, me pudet dicere.
Alij ſunt qui non ſpontanee neque ob virtutem conſerunt ſacerdotia,ſed coactè, nec
prouident quibus potiſsimum prouidere deberent. Alij pro officiis ſacerdotia confe-
runt.Alij ſunt qui nunquam nec verbo nec doctrina nec monitis nec bonis exemplis
nec honeſta conuerſatione ſuum gregem pauerunt.Aliis ſatis eſt dominari in cleris, &
non ſuis prodeſſe.Et aduerſus huiuſmodi paſtores(qui potius dicendi ſunt mercenarij)
loquitur apertè & liberè Ezechiel à domino inſtructus,dicens, Væ paſtoribus Iſrael,qui Ezech.34.
paſcebant ſemetipſos.Nonne reges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis,& lanis o-
periebamini,& quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.
Quod infirmum fuit,non conſolidaſtis:& quod ægrotum,non ſanaſtis:quod fractũ eſt,
non alligaſtis:& quod abiectũ eſt,nõ reduxiſtis:& quod perierat,nõ quæſiſtis, ſed cũ au-
ſteritate imperabatis eis,& cũ potentia.Et diſperſæ ſunt oues meæ,eò quòd non eſſet pa-
ſtor,& factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri,& diſperſæ ſunt. Errauerũt
greges mei in cunctis montibus,& in vniuerſo colle excelſo: & ſuper omnem faciẽ ter-
ræ diſperſi ſunt greges mei,& non erat qui requireret. Huic quoque prophetico oracu-
lo reſpondet illud euangelij de mercenariis,qui ſua negligentia ſinunt ſuas oues à rapa-
ciſsimis lupis & peſtilentiſsimis hæreticis deglutiri & dilaniari. Mercenarius,& qui non Ioan.10.
eſt paſtor,cuius non ſunt oues propriæ,videt lupum venientem, & dimittit oues, & fu-
git,& lupus rapit & diſpergit oues:mercenarius autem fugit,quia mercenarius eſt, & nõ
pertinet ad eum de ouibus. Aperta ſunt prata,& apparuerunt herbæ virentes,& col-
lecta ſunt fœna de montibus.) Verno tempore vireſcunt prata,& herbæ:colliguntur
autem fœna ad vtilitatem equorum & iumentorum,& fructus pratorum & herbarum à
domino conceditur pro alimento pecorum.Agni & oues nobis veſtimenta ſuppeditãt.
ſiquidem ex eorũ lana vnà cum humano artificio fiunt veſtes.Hœdi quoque nobis ſunt

præſidio ad emendos & colendos agros. Et quia natura hominis paucis contenta eſt, nec exquiſitis indiget epulis vt nutriatur, nec ei precioſiſsimis veſtibus opus eſt vt tegatur, ſufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in neceſſaria tuæ familiæ, & ad victum tuis ancillis. Hæc ab autore dicta ſunt vt luxum rebus in omnibus vitemus, & à delicatiſsimis ciborum cupediis ac lautiſsimis conuiuiis abhorreamus, noſque tenuis victus & frugalis menſa delectet, quæ corporis & animi incolumitatem tuetur. Et huic loco Pau-
1. Timot. 6. lina illa ſententia cohæret, Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.

ARGVMENTVM VICESIMIOCTAVI CAP.

Qui flagitioſiſsima perpetrarunt ſcelera, uſque adeo timent incidere in manus iudicum, & ſupplicia ſuis delictis debita perpeti, ut nuſquam ſecurè dormiant, nec ullum reperiant locum in quo pedem tutò figere poſſint, & nemine perſequente fugam arripiunt. Franguntur & animo dediti latrociniis, proditionibus, periuriis, ueneficiis, & aliis huius mundi ſceleribus, & facilè ſuccumbunt etiam nullis dæmonum armis concuſsi. Iuſti uerò minimè ſibi conſcii, in arenam deſcendentes nullo hoſtium terrore uincuntur, & non tam ſuis uiribus quàm diuinæ gratiæ confidentes, aduerſarios de gradu deiiciunt. Et quia ambulant ſimpliciter & ſapienter, nec ſe iactant, nec ſua phylacteria dilatant, immortalem gloriam & uitæ æternæ ſalutem conſequentur.

CAPVT VICESIMVMOCTAVVM.

FVgit impius nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens, abſque terrore erit. Propter peccata terræ, multi principes eius: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiã quæ dicuntur, uita ducis longior erit. Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri uehementi in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem requirunt dominum, animaduertunt omnia. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus.)

Licet impij nonnunquam audaciæ ſtimulis concitati, & potiſsimum cum eorum mens obtenebrata eſt, in obuios quoſq; deſæuiant, ac temere in pericula ſeſe præcipitēr, tamen cum ad ſe redeunt, & extinctum eſt furoris incendium, ita peccatum ſuis laqueis eos irretit, tantumque terroris eis incutit, vt eorum vires & audaciam frangat, & plerunque ante inſidias & perſecutiones vertuntur in fugam. Fures etiam & homicidæ peracto maleficio fugitant, pauitantque. Et huc referri poteſt illud adagium, Fures clamorem, ſubaudiendum eſt, timent: & quadrat in eos, qui ſibi conſcij, metuunt ne deprehendantur. Habet autem hoc cum omnis maleſacti conſcientia, tum præcipue furti, vt hominem trepidum reddat, ac luciſugam. author Eraſmus in ſuis Chiliadibus. Quidam exponunt hunc Salomonis locum de ſpirituali certamine (quod ſanè omnium difficillimum eſt) in quo ſceleratiſsimi viri facilè vincuntur, & ſana ratione ac diuino præſidio deſtituti, ſuccumbunt, nulloque perſequente fugiunt. Quis enim neſcit peccatum nobis vires adimere, noſque prorſus imbelles, effœminatos & molles reddere? Quis denique tam duro & ſtupido eſt ingenio, vt nõ animaduertat dominum iniuſtis maximum ter-
Deute. 28. rorem incutere? Siquidem in Deuteronomio legimus: Dabit tibi dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Huic quoque ſententiæ con-
Iob. 15. fine eſt illud Iob, Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Non credit quòd reuerti poſsit de tenebris ad lucem, circunſpectans vndique gladium. Cum ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quòd paratus ſit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & anguſtia: vallabit eum ſicut re-
Ephes. 6. gem qui præparatur ad prælium. Iuſtus vero lorica iuſtitiæ, galea ſalutis & gladio ſpiritus præmunitus, carnalem timorem abiicit, & interritus vt leo, néc tam ſuis bonis operibus quàm deo confidens, aduerſus principes & rectores tenębrarum harum generoſe decertat, & decertando victoriam aſſequitur. Propter peccata terræ, multi principes eius: & propter hominis ſapientiam, & horum ſcientiam quæ dicuntur, vita ducis longior

gior erit.) Diſrumpuntur regna & vaſtantur propter peccata & principum & ſubditorum. Siquidem dominus propter nephandiſsima Salomonis ſcelera diſrumpens eius regnum ſcidit, & dedit Hieroboam ſeruo Salomonis decē tribus: & hoc prædixerat Ahias propheta, qui cum ſuum pallium in duodecim partes ſcidiſſet, decem ſciſſuras (quibus decem tribus Iſrael ſignificabantur) dedit Hieroboam. Et quemadmodum vitia hominis vitam abbreuiant, ita virtutes prorogant: quod nobis de vita Ezechiæ regis optimi & religioſiſsimi compertum eſt, cuius orationes, lachrymæ & bona opera extorſerunt à domino ſanitatem, & eius diebus additi ſunt quindecim anni. Vir pauper calumnians pauperes, ſimilis eſt imbri vehementi in quo paratur fames.) Perniciofiſsimus eſt pauper qui alterum pauperem calumniis opprimit, eiq́ue improperat & inſultat, & perſimilis eſt denſiſsimis pluuiis corrumpentibus ſegetes, quarum putrefactione naſcitur fames. Nam quemadmodum huiuſmodi pluuiæ paupertatem inducunt, & annonā cariorem reddunt, ita pauper ſuis calumniis, contumeliis & probris alterum pauperem pauperiorem reddit, cuius tamē vices dolere deberet. qui enim duriſsimam pauperiem experitur, & fame premitur, longè facilius poteſt egenis condolere, quàm qui nunquam egeſtatem paſſus eſt. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui cuſtodiunt, ſuccenduntur contra eum.) Quoniam ſimilis plaudit ſimili, & mutuò muli ſcabunt, ac impij malorum conſortio gaudent: qui mandata dei præuaricantur, laudant impium cum multa flagitia perpetrat. qui verò diligentiſsimè diuinis legibus obſequuntur, & declinant à malo, accenduntur aduerſus improbos: quemadmodum Phinees zelo dei & iuſtitiæ commotus eſt aduerſus vnum ex filiis Iſrael, & ſcortum Madianitem, & ambos in lupanari perfodit. Et Matathias occidit quendam Iudæum ſuper aram idolis ſacrificantem. Beatus etiam Petrus vehementer ſuccenſuit Simoni mago, quòd voluerit donum ſpiritusſancti nummis ſibi comparare. Viri mali non cogitant iudicium: qui autem requirunt dominum, animaduertunt omnia.) Improbi negligunt exercere officia iuſtitiæ, nec pauperum cauſam iudicant, nec diuini iudicij rigorem penſant. Qui autem vitæ ſanctimonia, ſancto timore & omni diligentia dominum requirunt, eiq́ue placere conantur, quæ ſaluti neceſſaria ſunt animaduertunt. Melior eſt pauper ambulans in ſimplicitate ſua, quàm diues in prauis itineribus.) Sancta paupertas & ſimplicitas animi cumulatiſsimis opibus præferenda eſt, & laudandus eſt pauper ſpiritu ambulans in ſimplicitate columbina, qui nec ſummos honores ambit, nec cupit diuitias in aceruum congerere, ſed viuit tenuiſsimo agello contentus. Ille verò notam ignominiæ incurrit, qui diuitiis inſoleſcit, ſuaſq́ue fortunas impudicis voluptatibus decoquit.

3. Reg. 11. & 12.

4. Reg. 20.

Nume. 25.

1. Mach. 2.

Act. 8.

¶ *Qui cuſtodit legem, filius ſapiens eſt: qui autem paſcit comeſſatores, confundit patrem ſuum. Qui coaceruat diuitias uſuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Qui decipit iuſtos in uia mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſsidebunt bona eius. Sapiens ſibi uidetur uir diues, pauper autem prudens ſcrutabitur eum. In exultatione iuſtorum multa gloria eſt. Regnantibus impiis, ruinæ hominum. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.)*

Summa ſapientia non ſolum in rerum diuinarum cognitione, ſed in obſeruatione præceptorum ſita eſt. Et is cenſendus eſt verè ſapiens, qui deo paret, & ſummo bono honeſtæ vitæ officiis connectitur. Vnde dicit beatus Ioannes, In hoc ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt. Qui autem fouet guloſos & helluones, perturbat & inhonorat patrem ſuum, qui de perditis moribus ſui filij maxime triſtatur. Qui coaceruat diuitias vſuris & fœnore liberali, in pauperes congregat eas.) Cognoſcitur vſura quando quis vltra ſortem nonnihil accipit vi mutui. Et iure naturali, diuino & humano prohibita eſt vſura, qua nihil eſt ſceleſtius, & reipublicæ pernicioſius. In Exodo legimus, Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, nō vrgebis eum quaſi exactor, nec vſuris opprimes. Et in Leuitico, Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi aduenam & peregrinum, & vixerit tecum, ne accipias vſuras ab eo, nec amplius quàm dediſti. Time deum tuum, vt viuere poſsit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram, & frugum ſu-

1. Ioan. 2.

Exod. 22.

Leuit. 25.

Deute.23. perabundantiam non exiges. Et alibi prohibendo vſuram dicit Moyſes: Non fœnerabis fratri ſuo ad vſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: fratri autem tuo abſq; vſura id quo indiget, commodabis, vt benedicat tibi dominus deus tuus in omni opere tuo in terra ad quam ingredieris poſsidendam. Tum etiam dominus pſalmographo ſciſcitanti quiſnam in cæleſti tabernaculo quietus habitaret, dixit,
Pſal.14. Ezech.18. Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Ad hæc, Memoriæ proditum eſt apud Ezechielem, illum eſſe iuſtum, qui ad vſuram non commodauerit, ſed in præceptis dei ambulauerit. Ex aduerſo igitur ille cenſebitur iniuſtus, qui ad vſuram commodauerit. Nõnulli conferunt vſurariam pecuniam aſpidis morſui. Sicut enim qui ab aſpide percutitur, quaſi delectatus vadit in ſomnum, & ſic per ſuauitatem ſoporis moritur: ſic & qui accipit ſub vſuris, pro tempore delectatur, quaſi qui beneficium ſic accipit, & per ſuauitatem beneficij non ſentit quomodo captiuus efficitur. Nam ſicut venenum aſpidis latenter per omnia membra diſcurrit & corrumpit, ſic vſura per totas facultates eius
1.Corin.5. diſcurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum quod mittitur
Gala.5. in multam farinam, totam conſperſionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totã fermentum: ſic cum vſura in domum alicuius intrauerit, totam ſubſtantiam eius ad ſe trahit, & conuertit in debitum. Fœnus autem liberale vocatur, cum mutuator aliquid recipit vltra ſortem, non tamen ex pacto, nec vlla vi obligationis, tametſi mutuatarius ei nonnihil contulerit in recognitionem & viciſsitudinem beneficij accepti, & id mutuator ſperabat ſe conſequuturum, licet nec verbis nec pacto expreſſerit, & hoc eſt pro-
Lucæ 6. hibitum. Nam dicit Chriſtus, Mutuum date, nihil inde ſperantes. Qui igitur ingentes diuitias vſuris & liberali fœnore ſibi accumulat, in detrimentum pauperum eas congregat. Etenim vſurarius plurimum lædit & vexat pauperes, qui dura neceſsitate coacti, ab eo compelluntur recipere mutuum ſub vſuris. Quidam exponentes hunc locum, In pauperes congregat eas, dicunt, Pauperibus à quibus eas extorſit, reſtituere tenetur. Hoc in loco Septuaginta Interpretes legunt, ὁ πληθύνων τὸν πλοῦτον αὐτοῦ μετὰ τόκων καὶ πλεονασμῶν, τῷ ἐλεοῦντι πτωχοὺς συνάγει αὐτόν. Hoc eſt, Qui multiplicat diuitias ſuas cum vſuris & abundantiis, ei qui miſeretur pauperum, congregat eas. Qui declinat aurem ſuam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.) Qui obturat aures ſuas ne ſancita diuinæ legis audiat, vt maiori cum licentia & ſine vllo conſcientiæ remorſu prorumpat in vitia, coram deo contemptibilis eſt: & quia maxima libidine peccandi vult legem dei ignorare, non exaudietur cum dominum orabit. De huiuſmodi nebulonibus loquitur Iob di-
Iob.21. cens: Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Qui dixerunt deo, Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quis eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? Et quid nobis prodeſt ſi orauerimus illum? Qui decipit iuſtos in via mala, in interitu ſuo corruet, & ſimplices poſsidebunt bona eius.) Qui peruerſa doctrina circumuenit iuſtos, eoſque callida perſuaſione ad vitia pertrahit, ad inferos vſque corruet, & pœnam quam pro ſuis delictis meretur, incurret, & eius diuitiæ in vtilitatem bonorum
Num.25. cedent: ſicut filij Iſrael poſſederũt bona Madianitarum, qui ſuarum filiarum ſcortatione eos ad peccatum traxerant. Sapiens ſibi videtur vir diues, pauper autem prudẽs ſcrutabitur eum.) Diues in ſuperbiam elatus, aſcribit ſuæ prudentiæ diuitiarum acquiſitionem & conſeruationem: & quia in bonis fortunæ vltimum finem conſtituit, ſibi ſapiens eſſe videtur, qui tamẽ omnium eſt imperitiſsimus: cuius temeritatem, ſtultitiam & inſipientiam pauper prudentia præditus cognoſcit & deridet, quòd carnalia ſpiritualibus præferat, & æternis caduca. Quòd ſapiẽtes & iuſti ad ſummos magiſtratus, præclara officia, & inſignes præfecturas ſubuehantur, eſt maximè iucundum & glorioſum. Nam huiuſmodi inſtituto reſpublica floret, bonum commune augetur, & honor dei conſeruatur, ac res humanæ fœlicius geruntur. Regnantibus impiis ruinæ hominum.) Cum regnant ſcelerati, & per abrupta gradiuntur, ſubditis paratur anſa labendi ad multa peccata. Sicut enim probitate, clementia & iuſtitia eorum qui præſunt, nihil eſt reipublicę vtilius, ita eorũ peruerſitate, iniuſtitia & crudelitate nihil eſt nocentius. Vnde
4.Reg.21. legimus de Manaſſe ſceleratiſsimo rege, Quia fecit Manaſſes rex Iuda abominationes iſtas peſsimas ſuper omnia quæ fecerunt Amorræi ante eũ, & peccare fecit etiam Iudam

in immun-

in immunditiis ſuis.propterea hæc dicit dominus deus Iſrael:Ecce ego inducā mala ſu-
per Hieruſalem & Iudam,vt quicunq; audierit, tinniāt ambæ aures eius.Et extēdā ſuper
Hieruſalem funiculum Samariæ,& pondus domus Achab,& delebo Hieruſalē ſicut de-
lerI ſolent tabulæ.Delens vertam & ducam crebrius ſtilum ſuper faciē eius. Qui abſ-
condit ſcelera ſua,non dirigetur:qui autem cōfeſſus fuerit,& reliquerit ea, miſericordiā
conſequetur.) Qui negat ſe deliquiſſe,aut abſcōdit ſua ſcelera in ſoro conſcientiæ,ſiue
in ſacramento confeſsionis,non purgabitur,nec ad viā ſalutis dirigetur. qui verò ſuam
agnoſcit culpā,ſuaq; peccata vt oportet confitetur,aut paratus eſt cōfiteri,nec in vomitū
reuertitur,miſericordiā & veniā à domino cōſequetur.Dicit enim pſalmographus,Dixi, Pſal.31.
confitebor aduerſum me iniuſtitiam meā domino,& tu remiſiſti impietatē peccati mei.

¶ *Beatus bomo qui ſemper eſt pauidus:qui uerò mentis eſt duræ,corruet in malū.Leo rugiens,& urſus eſu-
riens,princeps impius ſuper populum pauperem. Dux indigens prudentia,multos opprimet per calūniam:
qui autem odit auaritiam,longi fient dies eius.Hominem qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſq; ad lacum
fugerit,nemo ſuſtinet.Qui ambulat ſimpliciter , ſaluus erit:qui peruerſis graditur uiis,concidet ſemel. Qui
operatur terram ſuam,ſaturabitur panibus:qui autem ſectatur ocium,replebitur egeſtate. Vir fidelis multum
laudabitur:qui autem feſtinat ditari,non erit innocens.Qui cognoſcit in iudicio faciem,non bene facit iſte, &
pro buccella panis deſerit ueritatem).*

Ille cenſetur beatus ſpe & meritis,qui ſemper timet dei maieſtátem offendere.Nam
ſanctꝰ dei timor impedit ne homo multa perpetret vitia.Vnde Iob dicebat,Sēper enim Iob.31.
quaſi tumentes ſuper me fluctus timui deum.Scribit & Eccleſiaſticus, Timenti dominū Eccleſ.1.
bene erit in extremis,& in die defunctionis ſuæ benedicetur.Idē,Timor domini expel-
lit peccatū.Nam qui ſine timore eſt,nō poterit iuſtificari.:Qui verò ferreo eſt animo,&
ceruice ænea,nec vllis pœnarū cōminationibus à via iniquitatis extrahi poteſt,corruet
in profundū tormentorū.Hinc illud Eccleſiaſtici,Cor durū habebit male in nouiſsimo. Eccleſ.3.
Tyrannus & princeps immaniſsimus duriſsimis exactionibus opprimēs ſuū populum,
perſimilis eſt leoni rugienti,& vrſo eſurienti. Nā quemadmodum leo ſuo rugitu ſuoq;
furore viatori quē deglutire cupit,ſummū terrorē incutit:ita & princeps ſæuiſsimus ſua
ira ſuiſq; aſperis cōminationibus ſuos ſubditos territat,& tanquā vrſus famelicus eorum
bona diripit & expilat.Cōtra huiuſmodi duces loquitur dominus in Michea dicēs,Au- Mich.3.
dite principes Iacob,& duces domus Iſrael, Nūquid nō veſtrū eſt ſcire iudiciū,qui odio
habetis bonū,& diligitis malū:qui violenter tollitis pelles eorū deſuper eis,& carnes eo-
rum deſuper oſsibus eorū?Qui comederunt carnē populi mei,& pellē eorū deſuper ex-
coriauerunt,& oſſa eorū cōfregerunt,& conciderūt ſicut in lebete, & quaſi carnē in me-
dio ollæ. Dux indigens prudentia,multos opprimet per calūniam:qui autē odit aua-
ritiā,longi fient dies eius.) Princeps neſciens circūſpicere quæ ſunt agenda,q̄ plurimos
calūniis vexabit.In aliorū fines impetu ſui animi cōpulſus irrūpet.Bella cōcitabit etiam
in ſuorū perniciē,& æquitatis iura labefactari permittet,nec rigorē iuſtitiæ manſuetu-
dine & clementia temperabit,& abſq; vllo retinaculo in multa flagitia præcipitabitur.
Qui autem magno animo calumnias & auaritiam inſectatur,oditq; deditos auaritiæ, &
illos vnicè colit & amat qui liberaliter ſuas opes indigentibus partiuntur,multos annos
iucundè viuet.Frequenter diximus in veteri lege diuturnitatem præſentis vitæ fuiſſe iu-
ſtis promiſſam:& de illo qui ſperat in domino,dicitur in pſalmis,Longitudine dierum Pſal.90.
replebo eum,& oſtendam ei ſalutare meū. Hominem qui calūniatur animæ ſangui-
nem,ſi vſq; ad lacum fugerit,nemo ſuſtinet.) Qui calūniis,mendacio,circūuentione &
inſidiis quærit mortē hominis,quātūuis ſe occultet,nō euadet vltionis pœnā. Et ſi vſq;
ad foueā ſiue ſepulturā ſui corporis diſtulerit pœnitentiā agere,nemo poterit eū iuuare,
quia poſt mortē non eſt locus pœnitentiæ. Qui ambulat ſimpliciter,ſaluus erit:qui
peruerſis graditur viis,cōcidet ſemel.) Qui mitior eſt agno,nec vlli ſe cōfert, ſed exiſti-
mat ſe eſſe vermiculum & puluerem terræ,ac in ſua ſimplicitate perſeuerat,æternam ſa-
lutem conſequetur.Qui verò ambulat fraudulenter,& viis peruerſis graditur, nec mul-
tis intricatus vitiis ſtudet eripi,plenè corruet, nec à peccato reſurget. Dictum eſt enim,
Impius cum in profundum venerit peccatorum,contemnit:ſed ſequitur eū ignominia Prouer.18.
& opprobriū. Qui operatur terrā ſuā,ſaturabitur panibus:qui autem ſectatur ocium,

replebitur egeſtate.) Impiger & aſsiduus in labore vberẽ facit meſſem, & abunde ſatia-
tur.Pigri verò & oſcitanter viuentes,grauem inediam ſentiunt & perferunt. Hæc alibi
fuſius declarata ſunt. Vir fidelis multũ laudabitur:qui autẽ feſtinat ditari,non erit in-
nocens.) Laudandus eſt fidelis & integer amicus ꝙ tempore aduerſitatis nõ deſerat ſuũ
amicũ,nec abutitur bonis ſibi à domino concreditis. Vnde receptiſsimũ eſt illud euan-
Matt.25. gelij de ſeruo fideli qui talenta à domino recepta locupletauit,Euge ſerue bone & fidelis,
quia ſuper pauca fuiſti fidelis,ſuper multa te conſtituam:intra in gaudium domini tui.
Qui verò anxia ſollicitudine & æſtuantibus curis cupit ditari,& ſiti congerendarum di-
uitiarum aduritur,non erit innocens,nec carebit nota reprehenſionis,quia vi is illicitis
1.Timot.6. anhelat ad opes.Dicit enim Paulus,Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem &
in laqueum diaboli,& deſideria multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in in-
teritum & perditionem. Qui cognoſcit in iudicio faciem,non bene facit: iſte & pro
buccella panis deſerit veritatem.) Exorbitat à recto iuſtitię tramite,& grauiter delinquit
qui in iudicio accipit perſonam, & magis vni parti quàm alteri fauet,&,quod deterius
eſt,pro re minima deſerit veritatem,ſuamq́; animam munuſculis contaminat.

¶ *Vir qui feſtinat ditari,& aliis inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniat ei. Qui corripit hominem,gra-
tiam poſtea inueniet apud eum,magis quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. Qui ſubtrahit aliquid à
patre ſuo,& à matre,& dicit hoc non eſſe peccatum,particeps homicidæ eſt.Qui ſe iactat & dilatat,iurgia
concitat.qui uero ſperat in domino,ſaluabitur.Qui confidit in corde ſuo,ſtultus eſt:qui autem graditur ſapiẽ-
ter,ipſe laudabitur.Qui dat pauperi,non indigebit.qui deſpicit deprecantem,ſuſtinebit penuriam. Cum ſur-
rexerint impii,abſcondentur homines:cum illi perierint,multiplicabuntur iuſti.)*

Qui ſitit aurum & argẽtũ,nec partis opibus contentus eſt, ſed cupit in immenſum
poſſeſsiones acquirere,& aliis ſuas ampliſsimas fortunas inuidet,diuina permiſsione in
extremam calamitatem incidet,& cæleſtis gloriæ diuitiis priuabitur:quod cõtigit diuiti
Lucæ.16. epuloni,qui ardentibus flammis diſcruciatus,non potuit impetrare guttulã aquæ vt re-
frigeraretur.Deniq; qui caſtigat hominem ratione vtentẽ, nec omnino deprauatum,
tametſi ſuis paſsionibus obſequatur , apud eũ gratiam inueniet cum ſedatis paſsionum
fluctibus ad ſe redibit:& qui prius erat ei moleſtus,fiet amiciſsimus.Qui vero lenociniis
verborũ & linguæ blandimentis delinquenti blanditur,tametſi momẽto tẽporis gratus
ſit,cognita tamen eius aſſentatione & fraude excidet à gratia. Qui ſubtrahit aliquid à
patre ſuo,& à matre,& dicit hoc nõ eſſe peccatũ,particeps homicidæ eſt.) Qui clancul͠u
bona patris & matris furatur,& hoc prætextu,ꝙ ſit hæres,vitiũ excuſat,nec putat ſe alie-
num inuadere,aut qui ſubtrahit quæ vitæ parentum neceſſaria ſunt, vt illa deo offerat,
perſimilis eſt homicidæ:imò accuſandus eſt parricidij,cum permittit ſuũ patrem perire
Exod.20. fame,& tranſgreditur illud præceptum,Honora patrem & matrẽ.Et licet futurus ſit hæ-
& Matt.15. res,tamen adhuc eſt ſub ditione,cura & regimine ſuorum parẽtum. Idcirco in ſimulan-
dus eſt furti,ſubtrahendo bona à ſuis parẽtibus. Qui ſe iactat & dilatat,iurgia conci-
tat:qui vero ſperat in domino,ſaluabitur.) Qui immodicus eſt ſui laudator, & ſua ſtu-
dia ſuaſque opes & virtutes iactitat,nec quempiam exiſtimat ſibi eſſe ſecundum , cõcitat
rixas & contentiones , quia alij indignantur & ægrè ferunt quòd tantopere ſe extollat.
Aduerſus huiuſmodi ambitioſos & gloripetas loquitur Chriſtus in euangelio Matthæi,
Matt.23. dicens, Omnia opera ſua faciunt vt videantur ab hominibus.dilatant enim phylacte-
ria ſua,& magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis,& primas ca-
thedras in ſynagogis,& ſalutationes in foro , & vocari ab hominibus Rabbi. Qui verò
ſuas ſpes non collocat in honoribus & diuitiis huius ſeculi, ſed in domino , cui ſe to-
tum addixit, ſaluabitur. Qui confidit in corde ſuo,ſtultus eſt:qui autem graditur ſa-
pienter,ipſe laudabitur.) Superbus eſt,ſtultus & præſumptuoſus, qui confidit ſuis pro-
priis viribus & ſtudiis, & tanti facit ſuum iudicium , vt aliorum ſententias & iudicia
contemnat. Qui verò nihil ſibi arrogat, & aliorum conſilia & decreta ſequitur, ac
ſimpliciter ambulat, ab omnibus peculiari laudatione commendatur. Graditur au-
tem ſapienter , cum viarum pericula vitat , & ſe præbet aliis exemplum bonorum
operum. Vnde dicit Paulus,In ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt. Qui dat pau-
Coloſ.4. peri,non indigebit:qui deſpicit deprecantem,ſuſtinebit penuriam.) Dominus illorum
opes

opes adauget,qui prompta voluntate & liberali animo ſua bona largiũtur pauperibus.
Omni enim habenti dabitur,& abundabit.Dicit etiam Tobias de illo qui ex ſua ſubſtã- Matt.25.
tia facit eleemoſynam,Præmium bonũ tibi theſaurizas in die neceſsitatis, quoniã elee- Tobiæ.4.
moſyna ab omni peccato & à morte liberat,& non patietur animam ire in tenebras.Fi-
ducia magna erit coram ſummo deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Qui verò
auertit faciem ſuam ab eo qui precatur ſibi miſericordiam fieri,nec inopiam pauperum
ſubleuat,penuriam ſufferet:nec apud dominum miſericordiã cum volet inueniet.Hinc
illud Iacobi,Iudicium ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam. Cum ſurre- Iacob.2.
xerint impij,abſcondũtur homines:cũ illi perierint,multiplicabuntur iuſti.) Ingruente
perſecutionum procella prudenter boni ſe abſcondunt,& fugiendo ſuæ vitæ cõſulunt.
Vnde dicit Chriſtus:Cum vos perſequentur in ciuitate iſta, fugite in aliam. cum autem Matt.10.
impiorum furor deſæuierit,& perditis malorum omniũ autoribus perſecutio ceſſauerit,
auguſtior poſt preſſuras fidelium gloria inclareſcet. Cum etiam tyrannice regnabant 3.Reg.18.
Achab & Iezabel,abſconditi ſunt prophetæ domini in ſpeluncis:ipſis autem deſtructis 4.Reg.9.
tempore Iehu,multiplicati fuerunt iuſti,& prophetæ Baal interfecti ſunt. 4.Reg.10.

ARGVMENTVM VICESIMINONI CAP.

Vltrices dei manus non effugiet qui cenſores morum inſectatur, & corripientem moderatè delinquentiũ ſcelera acerbo animo & duro corde cõtemnit: & cum aduerſitatum omnium procellis iactatus fuerit, & uariis animi morbis uehementer afflictus, non facilè ſanabitur, quandoquidẽ nephandiſsima quæ commiſit flagitia tam arctè ſuis laqueis eum inuoluunt, ut abſq; ſummo dei auxilio ab eis explicari non poſsit. Et cum multiplicata fuerint impiorum ſcelera, & peſtilentiſsimi ſuum uirus in reipublicæ perniciẽ ſparſerint, iuſti cruciatus eorum, ruinas & confuſionem uidebunt, & lætabuntur quòd corruptiſsimi uiri debita peccatis ſupplicia patiantur, & perpetuis tormentis diſcrucientur.

CAPVT VICESIMVMNONVM.

V*iro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & eum ſanitas non ſequetur. In multiplicatione iuſtorũ lætabitur uulgus: cum impii ſumpſerint principatum, gemet populus. Vir qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam. Rex iuſtus eriget terrã, uir auarus deſtruet eam. Homo qui blandis fictisq; ſermonibus loquitur amico ſuo, rete expandit greſsibus eius. Peccantem uirum iniquum inuoluet laqueus, & iuſtus laudabitur atque gaudebit. Nouit iuſtus cauſam pauperum, impius ignorat ſcientiam.)*

Multa plerunque mala contingunt illi qui nõ ſolum ægre fert ſua vitia à viro probo corrigi,ſed ei inſultat,eumq́ue odio proſequitur,& obſtinato animo cõtẽnit corripientem ſe.Et quia moderatam correptionem negligit,nec paret recta monenti,ſed in pertinaci malitia perſeuerat,nonnunquã ſubitò & miſerè moritur,nec cum volet à peccato reſurget,nec ſanitatem animi recuperabit. Nam eius peccatum eſt in ſpiritũſanctum. Quidam Hebræi dicunt hoc in loco, Vir increpatus qui indurat ceruicem,repente conteretur,& non erit ei ſanitas,id eſt adiutorium.Septuaginta interpretes legunt, κρείσσων ἀνὴρ ἐλέγχων ἀνδρὸς σκληροτραχήλου. ἐξαπίνης γὰρ φλεγομένου αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἴασις. Hoc eſt, Melior vir corripiens viro duræ ceruicis.repente enim combuſto eo non eſt ſanitas. In multiplicatione iuſtorum lætabitur vulgus:cum impij ſumpſerint principatũ,gemet populus.) Lætantur ſimplices plebei & vulgares, cum in ciuitate bene conſtituta ciues exercent iuſtitiam,& qui præficiuntur aliis,ſe pręſtant manſuetos & clementes.eorum ſiquidem benignitate fouentur.Sunt tamen quidã vulgares ita peruerſi,ita alieni à ratione, vt doleant iuſtos ſibiipſis imperare , & indignantur ac murmurant quòd ardua reipublicæ negocia à bonis ciuibus tractentur,quibus ſuam duram ceruicem ſubmittere nolunt. Sed hic loquitur Salomon de vulgaribus & populis,qui rationem ducem ſequuntur.Nam illi ſummopere gaudent cum iuſti ad ſummos honores euehuntur:triſtantur verò cum tyranni & ſceleſtiſsimi regnant. Nam timent ab eis rigidiſsimis exactionibus

3.Reg.12. opprimi & vexari,& bonum cõmune periclitari.Filij Iſrael iniquo animo tulerunt Ro-
boam inhumaniſsimum regem ſibi præfici:& quia voluit eis duriſsimum iugum impo-
nere,eoſque ſcorpionibus cædere, perdidit decem partes ſui regni. Vir qui amat ſa-
pientiam,lætificat parrem ſuum:qui autem nutrit ſcortum,perdet ſubſtantiam.) Filius
recte educatus,& ſapientiæ ſtudiis addictus,exhilarat faciem ſui patris,ſuoſque parentes
ſuis virtutibus exornat & illuſtrat.Qui vero ſapientiæ doctrinam negligit,& fouet ſcor-
ta,ſuas opes deuorabit,& bona fortunæ,ſuiq́ue corporis ſubſtantiam perdet:quod ſanè
Lucæ.15. nobis compertum eſt de filio prodigo,qui ſuam ſubſtantiã diſsipauit viuendo luxurioſe
cum meretricibus. Rex iuſtus eriget terram,vir auarus deſtruet eam.) Rex iuſtus &
liberalis reipublicæ ſtatum adauget,ſuum regnũ locupletat,& ſuos ſubditos ad capeſſen-
dã virtutum ſemitã incitat.Tyrannus verò quẽ auaritiæ ſitis adurit, negligens bonum
reipublicæ,ſuum regnum diſsipat,ſuoſq́ue ſubditos duriſsimis exactionibus opprimir,
qui non minus quàm peſtis fugiendus eſt. Homo qul blandis fictiſq; ſermonibus lo-
quitur amico ſuo,rete expandit greſsibus eius.) Qui fictis & ſimulatls verbis blandirur
amico,eiuſq́ue mores corruptiſsimos approbat , ei parat retia, & deceptionum laqueos
Eſaiæ.3. extendit quibus irretietur.Vnde dicit dominus,Popule meus,qui te beatum dicunt,ipſi
te decipiunt,& viam greſſuum tuorum diſsipanr.Incident tamen impij in laqueos quos
aliis parauerant,& tempeſtas erumpẽs ſuper caput eorũ decidet. Hinc illud pſalmogra-
Pſal.34. phi,Veniat illi laqueus quem ignorat:& captio quam abſcondit,apprehendat eum,& in
Pſal.57. laqueum cadat in ipſum.Iuſtus autem exultabit in domino,& applaudẽs diuinæ iuſtitiæ
lætabitur cum viderit vindictam. Nouit iuſtus cauſam pauperũ,impius ignorat ſciẽ-
tiam.) Nititur iuſtus cognoſcere cauſas pauperũ, vt eis patrocinetur, nec vllis diuitum
muneribus à recto ſui magiſtratus officio diuelli poteſt:impius verò ignorat ſcientiam
benefaciendi,& non eſt iudicium in greſsibus eius. De talibus dicit dominus per Hiere-
Hiere.4. miam,Sapientes ſunt vt faciant mala,bene autem facere neſcierunt.

¶ *Homines peſtilentes diſsipant ciuitatem,ſapientes uero auertunt furorem.Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit,ſiue iraſcatur,ſiue rideat,non inueniet requiem.Viri ſanguinum oderunt ſimplicem,iuſti autẽ quærũt animam eius.Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus,ſapiens autem differt, & reſeruat in poſterum.Princeps qui libenter audit uerba mẽdacij,omnes miniſtros habet impios.Pauper & creditor obuiauerunt ſibi,utriuſq; illuminator eſt dominus.Rex qui iudicat pauperes in ueritate,thronus eius in æternum firmabitur.)*

Qui in ciuium perniciem ſua fundunr venena,& nihil nõ moliuntur aduerſus rei-
publicæ ſtatum,ſuis occultis coniurationibus & diſsidiis nituntur ciuitatem ſubruere,&
funditus euerrere.Ex ſacris literis nobis exploratum eſt,Sebam filiũ Bochri, ſua ſeditio-
2.Reg.20. ne,ſuaq́; ſuperbia poſuiſſe Abelã ciuitatem in magno ſubuerſionis periculo, quã mulier
quædam admodum ſapiens liberauit ab obſidione,& cõpeſcuit furorem Ioab volentis
Exod.32. ciuitatem illam demoliri.Moſes etiam & Aaron ſæpe auerterũt iram dei à populo.Phi-
Nume.25. nees quoq; auertit iram domini & furorem à filiis Iſrael.Si tamen vir ſapiens contende-
rit cum ſtulto vt eius vitia caſtiget,& improbos mores emendet,ſiue oblurget eum acri-
ter,ſiue dulciter moneat,perdet operã,nec quòd reſipuerit perſentiet. Et hic agimus de
ſtulto & ſuperbo qui pertinaciter ſuis vitlis adhæret. Viri ſanguinum oderunt ſim-
plicem,iuſti autem quærunt animam eius.) Qui ſanguinem humanũ effundunr,ſuaſq́;
manus homicidiis fœdè conſpurcant ,innocentes proſequuntur odio. Iuſti verò , &
qui abhorrent ab effuſione humanl ſanguinis,nituntur ſimplices à cruẽtis perſequuro-
rum manibus eruere.Sacra ſcriptura narrat Iſmaelem vnà cum decem viris interfeciſſe
Hiere.41. Godoliam , quem rex Babylonis ciuitatibus Iudę præfecerat, Iohannan vero filius Ca-
Hier.40. reæ laborauit vt eum à periculo mortis eriperet. Totum ſpiritum ſuum profert ſtul-
tus,ſapiens autem differt,& reſeruat in poſterum.) Qui neſcit celare quę celanda ſunr,
& refrenare ſuam linguam,totum ſpiritum ſuæ loquacitatis,ſtultitiæ, iræ, furoris & im-
patientiæ effundit.Sapiens autem ſuæ linguæ moderator,opportunè loquitur , nec ſu-
bitò cogitata mentis effert,ſed nonnunquam differt:& cum nactus eſt occaſionem lo-
Eccleſ.20. quendi,tempeſtiuè loquitur. Vnde dicit Eccleſiaſticus,Homo ſapiens racebit vſque ad
tempus,laſciuus autẽ & imprudens non ſeruabit tempus. Princeps qui libenter audit
verba mendacij,omnes miniſtros habet impios.) Plerũq; miniſtri principũ ſequuntur
mores

mores illorum quibus inſeruiunt. Nam ſummopere cupiunt placere ſuis potentiſsimis
ducibus.quare princeps qui facilè præbet aures delatoribus,adulatoribus & detractori-
bus,multis improbis ſatellitibus ſtipatur.Saul infatuatus aſſentationibus & detractioni- 1.Reg.22.
bus Doech Idumæi,perſequebatur Dauid iuſtum,& ſacerdotes domini. Pauper & cre-
ditor obuiauerunt ſibi,vtriuſq; illuminator eſt dominus.) Propriè ſibi occurrunt pau-
per & creditor,quando creditor ſyncera voluntate & prompto animo mutuũ dat pau-
peri,vt eius inopiam ſubleuet:ſed vtriuſq; mentem ad bene agendum dominus mouet.
Nam inſpirat diuiti voluntatem iuuandi pauperem:pauperi verò,vt pro diuite fundat
preces.Et veridica manet illa ſententia,Sine me nihil poteſtis facere. Rex qui iudicat Ioan.15.
pauperes in veritate,thronus eius in æternum firmabitur.) Aequiſsimi & clementiſsimi
regis thronus perpetuum ſplendorem retinebit, nec vnquam à ſua dignitate decidet.
Vnde de auguſtiſsimo throno ipſius Dauid dicitur,Et thronus eius ſicut ſol in conſpe- Pſal.88.
ctu meo,& ſicut luna perfecta in æternum,& teſtis in cælo fidelis. Et de Chriſto rege ſcri-
ptum eſt:Sedes tua deus in ſeculum ſeculi. Pſal.44.

¶ *Virga atq; correctio tribuet ſapientiam: puer autem qui dimittitur uoluntati ſuæ,confundet matrem ſuam. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur ſcelera,& iuſti ruinas eorum uidebunt. Erudi filium tuum,& refrigerabit te,& dabit delicias animæ tuæ.Cum prophetia defecerit,diſsipabitur populus:qui uerò cuſtodit legem,beatus eſt.Seruus uerbis non poteſt erudiri,quia quod dicis,intelligit,& reſpondere contemnit. Vidiſti hominem uelocem ad loquendum,ſtultitia magis ſperanda eſt,quàm illius correctio.)*

Tametſi dominus deus ſua benignitate largiatur ſapiētiam, & ſpiritusſanctus ſpiret
& impartiatur quibus vult donum ſapientiæ,tamen virga & moderata caſtigatione diſ-
ponuntur homines ad aſſequendam ſapientiam. Nam leuis correctio noxios iuuenum
affectus reprimit,incendium libidinis extinguit,peruerſam concupiſcentiam & ad malũ
procliuem domat,& emendatum ad ſapientiæ ſtudia vocat & allicit. Vnde dicit Eſaias,
Domine in anguſtia requiſierunt te,in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Et Hie- Eſa.26.
remias,Caſtigaſti me domine,& eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Puer autem Hiere.31.
infrenis,& ad libidinem ebulliens,cum relinquitur ſuæ petulanti & peruerſæ voluntati,
in multa vitia proruit, & confundit ſuam matrem,à qua non fuit correctus,aut quæ ni-
miũ eius vitiis indulſit. Et cum impiorum numerus creſcit,creſcunt & ſcelera.Regnāte
enim Antiocho rege ſceleratiſsimo,qui ſtatuerat illos trucidari qui obſeruabant legem 1.Macca.1.
domini,multiplicati ſunt impij qui coluerunt idola,& ad ritum gentilium declinarunt.
Matathias autē ſanctiſsima religione clarus,& multi de populo Iſrael qui elegerunt ma-
gis mori q̃ cibis coinquinari immundis,viderunt ruinam & abominationem eorũ qui 1.Macc.2.
ſacrificabant idolis. Erudi filium tuum,& refrigerabit te,& dabit delicias animæ tuę.)
Parentes ſummam debent habere curam ſuorum liberorum,nec debent ſinere eos vo-
luptatibus indulgere,nec de rebus obſcœnis loqui. curent primùm vt deum colant , ti-
meant & admirentur: deinde vt rectam morum educationem ſuſcipiant , & ab optimis
& ſanctiſsimis præceptoribus inſtituantur,qui nihil loquantur quod non ſit ſanctũ,ca-
ſtum & mundum.Quòd ſi filij deliquerint,dent operam vt moderatè caſtigentur.Cum
autem animaduerterint eos rectè fuiſſe inſtitutos,nec à parētum moribus degeneraſſe,
tranquilliorem & iucundiorem vitam agent. Cum prophetia defecerit, diſsipabitur
populus:qui verò cuſtodit legem,beatus eſt.) Cum ſapientes & eximij prophetæ futura
malorum ſupplicia,& bonorum præmia prædicentes ceſſauerint, corruet populus qui
noluit viris ſanctiſsimis obedire.Quis etiam neſcit peruerſiſsimos Iudæos adimpletis
de myſteriis Chriſti vaticiniis & oraculis propheticis,non fuiſſe diſsipatos,& duriſsimũ
ſeruitutis iugum ſub Romanis Imperatoribus toleraſſe?Nec ſanè immeritò.Nam veris
prophetis qui apertè de incarnatione Chriſti & paſsione loquuti ſunt,non crediderunt,
imò nec Chriſto , qui & ſana doctrina & miraculis oſtendit ſe eſſe verum deum. Qui
autem audiunt doctrinã Chriſti,& eius præcepta diligenter obſeruant , ſpe beati ſunt.
Vnde dicit pſalmographus,Beati immaculati in via , qui ambulant in lege domini.Ser- Pſal.118.
uus contumax, ſuperbus & rebellis,non poteſt flecti nec erudiri , quia licet quod di-
cis intelligat , reſpondere tamen negligit , & tuis dictis obturat aures. ſed talis flagris
cædendus eſt,aut à domo expellendus. Seruus enim ſciens voluntatem domini ſui , &

Lucæ.12. non faciens,vapulabit multis. Vidiſti hominem velocem ad loquendum,ſtultitia magis ſperanda eſt quàm illius correctio.) Coniicimus hominem eſſe ſtultum,cũ præcipitanter & intempeſtiue loquitur,nec ſermonem habet mente cõcoctum, ſed quicquid in buccam venerit,effutit:& magis timenda eſt eius ſtultitia, quàm ſperanda ſit correctio. Non enim loquaces & garruli facilè corriguntur. Nam ſua vitia immodicis verbis & dicacitate obtegunt,& corripienti reſiſtunt.Hic ſperare ſumitur impropriè pro timere,
Iudith.13. ſicut in libro Iudith dicitur,Sperauerunt eam iam non eſſe venturam.

¶ *Qui delicate à pueritia nutrit ſeruum ſuum,poſtea ſentiet illum contumacem. Vir iracundus prouocat rixas:& qui ad indignandum facilis eſt,erit ad peccata procliuior.Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria.Qui enm fure participat,odit animam ſuam, adiurantem audit,& non indicat.Qui timet hominem, citò corruet.qui ſperat in domino , ſubleuabitur. Multi requirunt faciem principis , & iudicium à domino egredietur ſingulorum. Abominantur iuſti uirum impium , & abominantur impii eos qui in recta ſunt uia. Verbum cuſtodiens filius,extra perditionem erit.)*

Te monet Salomon vt ſi quem habeas famulum , non eum ablactes verbis , nec ſis ei nimium familiaris,nec ciborum deliciis eum nutrias, ne poſtea ſentias illum contumacem,ſuperbum,& tibi rebellem.Non enim facile eſt illum corrigere,cuius vitiis cõniuemus,& quem ſinimus pro libito viuere.Siquidem blanda & mollis educatio, ſubdi-
2.Reg.19. torum moribus plurimum officit. Seba ſeruus Miphiboſeth filij Saul contempſit dominum ſuum à quo fuerat delicate nutritus.Qui etiam corpus ſuũ (quod animo ſubiugare debuerat)à pueritia delicatè nutrit,vbi ad annos æſtuantis adoleſcentiæ peruenerit,petulans & indomabile ſentiet. Vir iracundus prouocat rixas:& qui ad indignationem facilis eſt,erit ad peccata procliuior.) Iracundia armatur homo ad omne facinus perpetrandum,excitat & ira bilioſum ad inferendas iniurias,ex quibus oriuntur rixæ,contẽtiones & iurgia.Qui verò leuiſsima de cauſa prorũpit in indignationem, nec fumũ ſuæ ſuperbię reſtinguit,ſed alios deſpiciẽdo ſeipſum extollit,in multa flagitia corruet. Vnde
Ecclеſ.1. dicit Eccleſiaſtes,In multa ſapientia multa eſt indignatio. Aliquando tamen indignatio
Philoſophus. ſumitur in bonã partẽ.Siquidẽ Ariſtoteles lib.I.magnorum moraliũ,cap.XXVII.dicit, Indignatio eſt inter inuidiã & gaudium peruerſum ac maleuolẽtiam medietas. Vtræq; enim hæ vituperabiles ſunt,indignabundus vero laudabilis.Eſt porro indignatio,triſtitia quædam circa bona quæ illi contingit adeſſe qui indignus eſt:adeoq; indignabũdus is eſt,qui in eiuſmodi triſtatur.Idemq; rurſus moleſtè feret,ſi quempiam indignum exiſtẽtem perperã agere perſpexerit.Hæc ille. Superbũ ſequitur humilitas,& humilẽ ſpiritu ſuſcipiet gloria.Elatus in ſuperbiam non abiicit tumorem ſui faſtus , nec à ſua elatione purgatur,donec à domino vulneretur & incuruetur .quod notum euadit de Adonia,
3.Reg.1. & 2. qui in ſuperbiam erectus voluit præripere regnum deſtinatum Salomoni : & quia quæ-
Pſal.118. ſiuit Abiſac in vxorem, iuſſu Salomonis interfectus eſt. Dicit etiam Dauid , Priuſquam humiliarer , ego deliqui . Humiles verò ſpiritu , & qui nihil ſibi tribuunt, exornantur gloria, & honor eis in publicum defertur. Vnde legimus de Salomone,qui ſe humilem & modeſtum præſtitit, cum fuiſſet vnctus in regem,quòd populus magno cum
3 Reg.1. applauſu dixit : Viuat rex Salomon . Et huic Salomonis loco confine eſt illud Apo-
Iacob.4. ſtolicum , Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Qui cum fure par-
1.Pet.5. ticipat , odit animam ſuam : adiurantem audit , & non indicat.) Huiuſmodi participatio nouem fit modis. Primò, præcipiendo ſeruo vel ſubdito vt furetur. Secundò, conſulendo furtum fieri. Tertiò,conſentiendo. Quartò, adulando furi. Quintò,fouendo furem , & receptando furtum in ſua domo. Sextò, accipiendo partem furti. Septimò,tacendo, quando ſcilicet videt furtum fieri , nec exclamat, cum tamen exclamare poſsit. Octauò , non impediendo furtum fieri , cum impediri poſsit . Nonò, quando non manifeſtatur fur,cum iuſte manifeſtari poſsit.Hinc tritum illud diſtichon,

Iuſsio,conſilium,conſenſus,palpo,recurſus,
Participans,mutus,non obſtans,non manifeſtans.

Et qui aliqua iſtarum formularum participat cum fure,adigit animam ſuam laqueo perditionis,eamque odit:quam à ſordibus repurgare non poterit,niſi reſtituat,ſi modò reſtituere poſsit.Et qui audit adiurantem & inquirentem furtum ſub pœna excommunicationis,

cationis,

cationis,& citra læſionem ſuæ animæ non indicat,participat cum fure,& grauiter pec-
cat. Vnde de improbo dicit Pſalmographus,Si videbas furem,currebas cũ eo. Et ille cõ- Pſal.49.
ſcius eſt furti,qui quærenti poſſeſſori pecuniam quam perdidit,non indicat,cum tamen
indicare poſsit. Qui timet hominẽ,cito corruet:qui ſperat in domino, ſubleuabitur.)
Qui timet hominem timore carnali,mundano & immoderato,decidet à rectitudine iu
ſtitiæ,& in vitia corruet. Vnde dicit dominus in Eſaia, Nolite timere opprobrium ho- Eſa.15.
minum,& blaſphemiam eorum ne metuatis. Et paulò pòſt,Ego ipſe cõſolabor vos. Quis
tu vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis,qui quaſi fœnum ita areſcet,& obli-
tus es domini factoris tui? Et in euangelio Matthæi dicit Chriſtus,Nolite timere eos qui Matt.10.
occidunt corpus,animam autem non poſſunt occidere:ſed potius timete eum qui poteſt
& animam & corpus perdere in gehennam. Timere tamen hominem quatenus dei vi-
carius eſt & miniſter,aut pater eſt,vel nobis dignitate ſuperior, timore quidem caſto ſi-
ue filiali, eſt laudabile. Vnde dicit Paulus ad Romanos oſtendens principes non eſſe ti-
mori boni operis, ſed mali, Vis non timere poteſtatem? Bonum fac,& habebis laudem Roma.13.
ex illa. Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris,time:non enim ſine
cauſa gladium portat. dei enim miniſter eſt,vindex in irã,ei qui malum agit. Et ad Ephe-
ſios,Serui obedite dominis carnalibus,cum timore & tremore. Qui verò ſperat in domi Ephe.6.
no,ab ærumnis ſuis ſubleuabitur,& ad cœlum,ſi modò probe vixerit,ſubuehetur. Dicit
enim Pſalmographus, In domino ſperans non infirmabor. Multi ſummopere cupiunt Pſal.25.
intueri faciem generoſiſsimi principis,eiuſq́ue familiari conſuetudine vti. quòd ſi deſi-
derent placere principibus magis gratia proprij commodi quàm communis,improban
di ſunt. Nam ab aſſentatiunculis venantur prædam. Dominus autem cordium ſcruta-
tor iudicabit quánam intentione id faciant:& cum reuelabitur dies iuſti iudicij,reddet Mat.16.&
vnicuique ſecundum opera eius. Abominantur iuſti virum impium,& abominantur Roma.2.
impij eos qui in recta ſunt via.) Quemadmodum enim nihil eſt quod tam alliciat ho-
mines ad mutuam amicitiam,quàm morum ſimilitudo,ita nihil eſt quod magis pariat
odium,quàm morum diſsimilitudo. Iuſti abhorrent à malorum conſortio,& indignan
tur iis qui turpiter viuunt. Impij vero declinant iuſtorum commercia,& perſequuntur
eos qui beate viuunt. Vnde dicit Paulus, Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut 2.Corin.6.
quæ ſocietas luci ad tenebras? Verbum cuſtodiens filius, extra perditionem erit.)
Qui mandata dei memoria, ſyncero animo, fide & opere cuſtodit, non incidet in
foueam perditionis, ſed æternam ſalutem conſequetur. Vnde dicit Saluator, Bea- Lucæ.11.
ti qui audiunt verbum dei,& cuſtodiunt illud.

ARGVMENTVM TRICESIMI CAP.

Salomon diuinæ ſapientiæ peritiſsimus,ſecretiſsima dei myſteria & abſtruſiora ſacramenta ſuis ſanctiſsimis ſcripturis nobis patefecit, nec ſcientiam qua inſoleſcunt homines,& quæ tumidum reddit animum, didicit, ſed cæleſtis philoſophiæ radiis diuinitus illuſtratus,arcana dei nouit & intellexit: quorum cognitionem qui humanam ſcientiam iactant,& prophanas ethnicorum literas callent, nunquam conſequuti ſunt. Poſtulauit & à domino Salomon ut honores huius mundi, uoluptates, diuitias, aſſentationes, mendacia & uana quæque deuitaret, ne forte rerum terrenarum hamo ineſcatus,& deliciis illectus,in uitiorum omnium ſentinam prolaberetur,& obſcurata mente ſuum conditorem negaret,ac tandem à callidiſsimo ſerpente deluſus ad inferos uſque pertraheretur.

CAPVT TRICESIMVM.

Verba congregantis,filii uomentis. Viſio quam locutus eſt uir cum quo eſt deus,& qui deo ſecum morante confortatus ait: Stultiſsimus ſum uirorum,& ſapiẽtia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam,& noui ſanctorum ſcientiam. Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit? Quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? Quis colligauit aquas quaſi in ueſtimento? Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? Quod nomen eſt eius,& quod nomen filii eius ſi noſti? Omnis ſermo dei ignitus,clypeus eſt ſperantibus in ſe. Ne addas quicquam uerbis illius,& arguaris inueniariſque

3.Reg.3. *mendax.*) Quia Salomon cęteris ſapientia longè pręcelluit, nec vllus vnquam regum Iuda extitit qui cum eo in cognitione rerum diuinarum conferendus eſſet, à magnitudine ſcientiæ dono dei comparatæ, dictus eſt filius congregans: vocatus eſt & filius vomens, quòd vberem ſuę ſapientiæ fructum in alios euomuerit & effuderit. Vnde regina
3.Reg.10. Saba admirans ſapientiam Salomonis, dicebat, Beati viri tui & beati ſerui tui qui hic ſtāt coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Nos autem intelligere oportet Salomonē hic loqui de ſeipſo quaſi de alio, cum dicit, Viſio ſiue reuelatio quam locutus eſt vir &c.
Ioan.21. quemadmodum diuus Ioannes in ſuo euangelio dicit, Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius. Dixit autem Salomon diuino numine afflatus, Stultiſsimus ſum virorum. Cum enim infinitam dei ſapientiam & abditiſsima rerum diuinarum myſteria toto animo perpendo, nec altitudinem diuinæ ſapientiæ infirmis mei ingenij viribus conſequi poſſum, videor omnium hominum imperitiſsimus & ſtupidiſsimus, quandoquidem quo magis in profundam diuinæ ſapientiæ contemplationem rapior, & nitor pro viribus ſacras literas & ſapientiam dei perfectius intelligere, eo imperitiorē me eſſe ſen-
Hiere.10. tio. Vnde ſcriptum eſt, Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia ſua. Et quòd nemo planè & perfectè intellexerit ſapientiam dei, ſed potius eam inueſtigando ſuccubuerit, ma-
Eccleſi. nifeſtè docet Eccleſiaſticus dicens: Sapientiam dei præcedentem omnia, quis inueſtiga-
Roma.11. uit? Et Paulus ad Romanos id fuſius expreſsit, O altitudo, inquit, diuitiarum ſapientiæ &
Sap.9. ſcientiæ dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis
Eſa.40. 1.Corin.2. enim cognouit ſenſum domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Et ſapientia hominum non eſt mecum.) Prudentia ſcilicet huius ſeculi, de qua loquitur Chriſtus in euan-
Luce.16. gelio Lucæ, dicens: Filij huius ſeculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua
1.Corin.3. ſunt. Et Paulus ait: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud deum. Hanc ergo tumidā & ſecularem ſapientiā contempſit Salomon, nec eā humano ſtudio didicit, ſed nouit ſcientiam ſanctorum, ſcilicet prophetarum, & eorum qui ſanam doctrinam à domino deo
Sap.10. acceperunt: de qua in libro Sapientiæ ſcriptum eſt, Dedit illi ſcientiam ſanctorum. Aliter hic locus, Stultiſsimus ſum virorum, ſic poteſt intelligi, Qui iudicabar omnium ſapiē-
3.Reg.11. tiſsimus, factus ſum meis nephandiſsimis vitiis omnium ſtolidiſsimus, & in Veneris ac obſcœnarum mulierum amorem pellectus, corrui in dementiam gentilium, qui deos alienos colebant: & ita ſcortis deprauatum eſt cor meum, vt idola coluerim. Et ſapientia hominum qua præcauent à tranſgreſsione diuinorum præceptorum, nō eſt mecū, nec eam bonis operibus didici, nec noui ſcientiam ſanctorum, qua obſiſtentes vitiis adhæſerunt deo. Et ad intelligentiam huius loci, Noui ſanctorum ſcientiam, ſecundum hunc exponendi modum repetenda eſt illa negatio, non. Quis aſcendit in cœlum, atque deſcendit?) Quidam exponunt hunc locum de Moſe: & hic ſenſus eſt: Quis
Exo.24. aſcendit in cœlum atque deſcendit, ſicut Moyſes, qui aſcendit ſuper mōtem Sinai in cœlum ſydereum ad dominum, & inde deſcendit ad populum? Quis continuit ſpiritum in
Exo.9. manibus ſuis? ſicut fecit Moyſes, qui cineres ardentes de camino ſuis manibus accepit? Quis colligauit aquas quaſi in veſtimento, ſicut fecit Moyſes in mari Rubro? quia eius
Exo.14. merito aquæ fuerunt diuiſæ, vt tranſiret populus Iſrael, & aquæ erāt ei pro muro à dextris & a ſiniſtris. Quis ſuſcitauit omnes terminos terræ, ſicut Moyſes, qui erectione tabernaculi ſuis meritis immiſit terrorem omnibus gentibus in omnibus finibus terræ pro-
Deute.2. miſsionis? Dicitur enim in Deuteronomio, Hodie incipiam mittere terrorem tuum atque formidinem tuam in populos. Quod nomen eſt eius? quaſi diceret, ſi dicatur quòd alius ante Moyſen fuit qui talia fecit, dicatur quis fuit ille, & quod fuit nomen eius: & ſi dicatur, mortuus eſt, & nomen eius datum eſt obliuioni, dicatur: Quod nomen filij eius? Id eſt, quæ generatio manſit ab eo, ex qua poſsit haberi notitia aliqua de ipſo, quod cum non inueniatur, reſtat quòd non fuit ei aliquis magnitudine ſimilis: & cū ille pro-
Deute.17. hibuerit regem Iſrael multiplicare ſibi equos, aurum & argentum & vxores, & ego Salomon fecerim contrarium, patet quòd hac in re fuerim ſtultiſsimus virorum. Et hāc interpretationem quidam Hebræi ſequūtur, nos autem aliam, & quæ contextui proximius

accedere videtur,ſequemur.Quis aſcendit in cœlum &c. Quis præter deum ,ſupernorũ
& infernorum cognitionem & prouidentiam habet? Vnde dicit Iob,Quem conſtituit Iob.34.
alium ſuper terram , aut quem poſuit ſuper orbem quem fabricatus eſt? Qui in Geneſi Gene.18.
ait, Deſcendam , & videbo. Et Amos ait , Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam,& Amos.9.
faſciculum ſuum ſuper terram fundauit. Deus igitur immutabilis , & qui nullo loco cir-
cunſcribi poteſt,aſcendit in cœlum,& deſcendit,non quidem mutando locum,ſed ope-
rãdo cum in cœlo,tum in terra. Vnde dicit Pſalmographus,Exaltare ſuper cœlos deus, Pſal.56.
& ſuper omnem terram gloria tua.Quis etiam præter dei filium è cœlo deſcendit vt ho-
minem peccato primi parentis vulneratum ſanaret,noſtraque delicta purgaret ? qui fi-
nita ſua legatione aſcẽdit magnificè & glorioſe in cœlum,paraturus nobis locum quie-
tis:de cuius aſcenſu prophetauit Dauid dicens:Aſcendens in altum captiuam duxit ca-
ptiuitatem,dedit dona hominibus.& hæc differens Paulus dicit, Quod autem aſcendit, Pſal 67.
quid eſt,niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit,ipſe eſt Ephe.4.
& qui aſcendit ſupra omnes cœlos,vt impleret omnia.Quis niſi deus continuit ſuis ma- Mat.8.
nibus,ſuaque virtute ſpiritum ſiue ventum?qui quando vult imperat ventis,& facit tem- Pſal.34.
peſtates conquieſcere. Dicit enim propheta , Omnia quæcunque voluit dominus , fe-
cit in cœlo & in terra,& in mari,& in omnibus abyſsis. Educẽs nubes ab extremo terræ,
fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos de theſauris ſuis.Quis præter deum colli-
gauit aquas oceani quaſi in veſtimẽto?vt ſcilicet ſuis præfixis limitibus arctarentur. Vn
de in libro Iob ſcriptum eſt,Quis concluſit oſtiis mare,quando erumpebat quaſi de vul- Iob.38.
na procedens,cum ponerem nubem veſtimentum eius , & caligine illud; quaſi pannis
infantiæ obuoluerem?Circundedi illud terminis meis , & poſui vectem & oſtia,& dixi:
Vſque huc venies,& nõ procedes amplius.Dicit quoque Dauid,Cõgregãs ſicut in vtre a- Pſal 32.
quas maris.Quis niſi deus erexit ſuper aquam partes terrę ſupereminẽtes,& voluit par-
tem terræ pro ſalute habitãtium diſcooperiri aquis? Vnde legimus in Geneſi,Congregẽ- Gene.1.
tur aquæ quæ ſub cœlo ſunt,in locum vnum,& appareat arida. Quod nomẽ eſt eius,
& quod nomen filij eius,ſi noſti?) Hic Salomon apertiſsimè loquitur de patre æterno ,&
vnigenito eius filio,inſinuans tam patrem cœleſtem quàm eius filium eſſe innominabi
lem & incomprehenſibilem . Triſmegiſtus loquens de maieſtate dei ineffabili, dicebat
Deum eſſe ἀνώνυμον,id eſt ſine nomine.Eſt enim qui eſt,ſine nomine.Et licet Deus ſolus
eſſentiæ nomẽ vere teneat,vt dicit Hieronymus in epiſtola ad Damaſum,& vocetur qui Hierony.
eſt,& Adonai,id eſt dominus,tamẽ eius nomẽ eſt ἄῤῥητον, id eſt ineffabile:nec poteſt no-
mẽ dei τετραγράμματον à nobis exprimi.Quãuis etiam Deus pater & filius multa habeãt
nomina,dicuntur tamẽ innominabiles,quoniam nullo nomine perfectè cognoſci poſ-
ſunt. Omnis ſermo dei ignitus,clypeus eſt ſperantibus in ſe.) Tantæ ſiquidem energiæ
eſt ſermo dei,vt electorum corda igne charitatis accendat,& noſtri animi ſordes deter-
gat,& magis penetrat mentes hominum,quàm gladius corpus humanum.Quod appro-
bat Paulus dicens: Viuus eſt ſermo dei & efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti,&
pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus , compagum quoque ac medullarum, Hebr.4.
& diſcretor cogitationum & intentionum cordis.Et ſicut metalla igne conflata & repur
gata alienas ſordes in ſe non retinẽt, ita eloquia domini nihil falſitatis habẽt admixtũ.
Vnde dicit Propheta,Eloquia domini,eloquia caſta,argentũ igne examinatum , proba- Pſal.118.
tum terræ,purgatum ſeptuplum. Eſt & viuus dei ſermo clypeus ac armatura Chriſtia-
nis,qui potiſsimum ſperant in domino , ad profligandam dæmonum aciem , ad impu-
gnandum hoſtes fidei,& ab obſiſtendum tentationibus. Ne addas quicquam verbis
illius,& arguaris,inueniariſque mendax.) Exiſtimes ſacram ſcripturam eſſe integram &
perfectam,nec quidpiam addas verbis domini quod eis ſit contrarium,ne inueniaris va-
nus & mendax:licet nonnihil ad res facilius exprimendas adiicere poſsis.In Deuterono-
mio ſcriptum eſt,Nõ addetis ad verbum quod vobis loquor,nec auferetis ex eo. Dicit & Deutero.4.
Ioannes in Apocalypſi:Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius , Si Apoca.22.
quis appoſuerit ad hæc,apponet deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis
diminuerit de verbis libri prophetiæ huius , auferet deus partem eius de libro vitæ. Et
huic ſententiæ confine eſt illud Pauli,Sed licet nos,aut angelus de cœlo euangelizet vo- Gala.1.

bis præterquam quod euangelizauimus vobis,anathema ſit.

Duo rogaui te,ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem,& uerba mendacia longe fac à me. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi:tribue tantum uictui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum,& dicam:Quis eſt dominus?aut egeſtate compulſus furer,& periurem nomen dei mei. Ne tradas ſeruum ad dominum ſuum,ne forte maledicat tibi,& corruas. Generatio quæ patri ſuo maledicit, & matri ſuæ non benedicit. Generatio quæ ſibi munda uidetur,& tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. Generatio cuius excelſi ſunt oculi & palpebræ eius in alta ſurrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet,& commandit molaribus ſuis ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, affer.)

Salomon agens perſonam infirmi & imperfecti qui non ſeruat æquabilitatem cum in
proſperis tum in aduerſis,precatus eſt à domino vt fluxos honores, tumidam gloriam,
delicias voluptatum,ampliſsimas fortunas,& vana quæque à ſe procul abiiceret, abhor-
reret quoque à mendaciis,dolis & circunuentionibus Nam hæc contaminant animam,
& intellectum obſcurant. Poſtulauit etiam ſecundum ſtatum Moſaicæ legis,ne dura pau
pertate,quæ nomine mendicitatis hoc in loco exprimitur, premeretur. In Deuterono-
mio ſcriptum eſt,Omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Eſt tamen quædam
Deute 15. mendicitatis ratio quæ non improbatur, ſed laudatur, ſpontanea ſcilicet ſuarum opum
abdicatio pro nomine Chriſti,qua mens à terrenis curis & negociis abducta leuatur, &
Mat 19. pauperes nutriuntur. Hanc euangelicam paupertatem conſuluit Chriſtus vni adoleſcē-
ti qui noxiis rerum terrenarū affectibus laborabat. Si vis,inquit,perfectus eſſe,vade,ven-
de omnia quæ habes,& da pauperibus,& habebis theſaurum in cœlo,& veni ſequere me.
Nec ita Salomon mendicitatem fugit, vt diuitias appeteret,eaſque poſtularet ſibi dari:
Nam neque mendicitatem neque diuitias à domino quæſiuit, ſed tenuem victum & ve-
ſtitum,& quæ ad tuendum corpus ab iniuriis & incommodis neceſſaria ſunt. Et huic lo-
1.Timot.9. co perſimile eſt illud Pauli, Habentes autem alimenta,& quibus tegamur,his contenti
ſimus. Nam qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, &
deſideria multa inutilia & nociua,quæ mergunt homines in interitum & perditionem.
Et iuſtam aſsignat rationem Salomon cur non optauit neque diuitias neque mendici-
tatem,ne forte oneratus diuitiis, & plus æquo ſatiatus pelliceretur ad negandum deum
ſuum,& in blaſphemiam prorumperet, quemadmodum Pharao ob diuitias in ſuperbiā
Ex o.5. elatus,dicebat:Quis eſt dominus vt audiam vocem eius,& dimittam Iſrael? Neſcio do-
minum,& Iſrael non dimittam. Et qui diuinam ſcientiā & prouidentiam negant,dixe-
Pſal.36. runt,Quomodo ſcit deus,& ſi eſt ſcientia in excelſo? Et impij Iudæi, quorum manus erāt
Ezech.9. plenæ ſanguine, dicebant, authore Ezechiele: Dominus dereliquit terram, & domi-
nus non videt. Timuit etiam Salomon ne compulſus egeſtate furaretur, aut diui-
tum bona diriperet, & induceretur ad periurium, & multa flagitia perpetraret.

Ne tradas ſeruum ad dominum ſuum, ne forte maledicat tibi,& corruas.) Te mo-
net vt neque inuidia neque peruerſo animo nec iniuſta cauſa accuſes ſeruum ad domi-
num ſuum,ne forte imprecetur tibi mala,& ſinente domino corruas in miſeriam. Si ta-
men ſerui nonnihil molirentur aduerſus bonum commune,eſſent accuſandi. Deinde
agit de generatione nephandorum. Eſt,inquit, quædam generatio quæ patri ſuo male-
dicit,& matri ſuæ nō benedicit,cum tamen benedicere debeat, et honorem parentibus
Exo.21. deferre:& huiuſmodi crudelis & inhumana generatio deteſtāda eſt. Siquidem lege Mo-
ſaica cautum erat vt qui malediceret patri ſuo aut matri,morte moreretur. Eſt & quædā
generatio quæ ſibi videtur eſſe munda,& immunis à peccato,quæ tamen non eſt à ſor-
dibus abluta:& hæc eſt hypocritarum generatio,qui ſimulatam habent ſanctitatem, &
Matt.23. fictos ſcribarum & phariſęorum mores induūt,quibus dicebat Chriſtus: Væ vobis Scri-
bę & Phariſæi hypocritæ,quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis,intus autē
pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis &
paropſidis,vt fiat & id quod deforis eſt, mundum. Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocri-
tæ,quia ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis,quæ à foris parent hominibus ſpecioſa,intus ve
ro plena ſunt oſsibus mortuorum,& omni ſpurcitia. ſic & vos à foris quidem paretis ho-
minibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate. Rurſum quorundam eſt

generatio

generatio qui oculos habent erectos in ſuperbiam , & ſuis ſubrectis palpebris arrogan-
tiam cordis & faſtum animi indicant,quorum tamen ſupercilium deiicit dominus , eo-
rumque ſublimes oculos humiliat.Et de vitando huiuſce peruerſæ generationis con- Eſa.2.
ſortio,dicebat propheta,Domine non eſt exaltatum cor meum , neque elati ſunt oculi Pſal.130.
mei.Eſt & perditiſsima generatio quæ pro dentibus gladios habet , & maioribus denti-
bus ſuis manducat.Hæc generatio eſt detractorum , raptorum,expilatorum & homici-
darum,de quibus dicit Pſalmographus,Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ , & Pſal.56.
lingua eorum gladius acutus. Et huiuſmodi viri deuorant bona pauperum & liguriunt,
aut eos enecant,vel de medio hominum tollunt pauperes: de quibus dicit dominus per
Eſaiam,Vos enim depaſti eſtis vineam meam,& rapina pauperis in domo veſtra.Quare Eſa.3.
attereritis populum meum , & facies pauperum commolitis? Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ
dicentes,Affer,affer.) Sanguiſuga vermis eſt qui & hirudo dicitur.Horatius,

Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Quidam hanc ab hærendo nomen traxiſſe exiſtimant , quòd animalium corporibus Plinius.
hęreat. Plinius libro VIII.Naturalis hiſtoriæ capite.X.loquens de Elepbãtis,dicit,Cru-
ciatũ in potu maximũ ſentiunt hauſta hirudine,quã ſanguiſugã vulgo cœpiſſe appellari
aduerto. Hæc vbi in ipſo animæ canali ſe fixit,intolerãdo afficit dolore.Hęc ille.Hãc au-
tem beſtiolam mirũ in modũ ſitiẽtẽ ſanguinẽ,imitantur duo vitia quæ duabus filiabus
hoc in loco exprimuntur,videlicet auaritia,& luxuria.Nam ſicut ſanguiſuga epoto ſan-
guine non ſatiatur,ſed ſemper & auidius ſitit,ita iſtis vitiis dediti ſatiari non poſſunt ,ſed
continuò dicunt ,Affer,affer.Siquidem extincta libido redaccenditur,nec ſatiari poteſt:
& licet prurientes in veneris laſciuiam,ad momentum horæ ab obſcœno opere cõquie
ſcant,& poſt congreſſum ſentiant ſtimulum ſiue aculeum carnis tantiſper deſerbuiſſe,ta
men paulò pòſt priſtinam voluptatem in memoriam reuocantes,ad concupiſcendum
ardentius inflammantur.Nec auaritia ſiue inexplebilis habendi ſitis penitus extingui
poteſt.Et quemadmodum infernus cum multos deglutiuit,nunquam dicit, Satis eſt:ita
auarus etiam multis diuitiis affluens,nunquam dicit,Satis eſt. Siquidem inſatiabilis eſt
auarorum cupiditas. Hunc quoque Salomonis locum ediſſerens Beda,dicit ,Sanguiſu- Beda.
ga diabolus eſt,qui ſiti peccandi,ac peccata ſuadendi,inceſſanter accenditur. Huic duæ
ſunt filiæ,quia duæ ſpecialiter humani generis illecebræ , hunc antiqui hoſtis imitantur
ardorem,luxuria videlicet:& philargyria. Nam & luxuriæ quo liberius frena laxantur,
eo noxius delectatur: & ſicut quidam ait poetarum,

Creſcit amor nummi,quantum ipſa pecunia creſcit.

¶ *Tria ſunt inſatiabilia,& quartum quod nunquam dicit ſufficit,infernus,& os uuluæ,& terra quæ nõ ſa-
tiatur aqua.ignis uero non dicit,ſufficit.Oculum qui ſubſannat patrem , & deſpicit partum matris ſuæ,effo-
diant eum corui de torrentibus,& comedant eum filii aquilæ . Tria ſunt difficilia mihi,& quartum quod pe-
nitus ignoro : Viam aquilæ in cœlo,uiam colubri ſuper petram, uiam nauis in medio mari , & uiam uiri in
adoleſcentia.Talis eſt uia mulieris adulteræ,quæ comedit,& tergit os ſuum,& dicit,Nõ ſum operata malum.
Per tria mouetur terra,& quartum non poteſt ſuſtinere.Per ſeruum cum ,regnauerit per ſtultum cum ſatu-
ratus fuerit cibo,& per odioſam mulierem cum in matrimonio fuerit aſſumpta , & per ancillam cum fuerit
hæres dominæ ſuæ.)*

Fatetur Salomon tria eſſe inſatiabilia,& quartum quod nunquam dicit,ſufficit. Siqui-
dem infernus vorax eſt,imò ipſa vorago, & ſemper hiat vt deuoret,nec perditis anima-
bus ſatiatur. Vnde loquens Eſaias de dilatatione inferni ad amplius abſorbendos miſe-
rorum ſpiritus ,dicit,Dilatauit infernus animam ſuam,& aperuit os ſuum abſque vllo ter Eſa.5.
mino.Aut infernus,id eſt diabolus , ſatiari non poteſt,quia nititur ſemper peccatores ad
ſe pertrahere,& ad infernalem paludem protrudere.Petulantiſsimæ etiam meretricis in-
continentia ſatiari non poteſt,nec eius corpus in libidinem & laſciuos quoſque proſti-
tutum,vllis vnquam deliciis ſatiatur. Inſatiabilis eſt & terra arenoſa.non enim ſatiatur
aqua,ſed continuò exhaurit,& celeriter abſorbet. Nec ignis edaciſsimus dicit , ſufficit.
Quidquid enim alimenti ei admouetur, ſubitò conſumit : & quo plus in eius fornacem
proiicitur,eo magis augetur Qui deridendo contemnit ſuum patrem,& deſpicit partum

ſuæ matris,qui ſolet emitti cum maximo dolore,dignus eſt vt fiat eſca beſtiis,& eius ocu-
li effodiantur à coruis, eiuſque corpus ab auibus dilaceretur. Non enim meretur inter
homines viuere,qui cachinnis ſuos parentes ſubſannat,eorumque valetudinariam & an
xiam ſenectutem,aut contractas à duris laboribus rugas deridet, ſed ab omnibus tan-
quam vipera fugiendus eſt,& multis flagris plectendus. Deinde dicit Salomon tria eſſe
ſibi difficilia cognitu: Viam aquilę in cœlo aereo, in quo ita variat viam ſui volatus, vt
non facile deprehẽdi poſsit. Aquila alitum regina dicitur,quòd altiſsime volet, ideoque
armigerum Iouis eam poetę vocant. Cõgreditur magnis animalibus,vt ceruo,cuius cor-
nibus inſidet,puluerulentas alas de induſtria cõcutiens,vt viſu & oculis præpeditus deci
dat in curſu,mortuuſque fiat præda. Ferunt aquilæ pennam aliis etiam rebus conſertam
non putreſcere. Pullos ſuos probat ad ſolem:quem ſi ſuſtinere nequeant, vt degeneres
excludit. Oppetit non ſenio,nec ægritudine,ſed fame. Creſcens enim roſtri ſuperioris
aduncitas impedit ne cibum queat capere. Quum ſenuit, grauantur eius pennæ & ocu
li:Cui rei vt medeatur,quærit fontem,calorem in ſe colligit,& ſanatur. In fontem ter ſe
mergit,eoque modo redire fertur ad iuuentutem. Hinc pſalmographus, Renouabitur vt
aquilæ iuuentus tua. Nidificat in petris & arboribus. A meridiano tempore operatur &
volat:prioribus horis ignaua ſedet,donec impleantur conuentu hominum fora. Eius pẽ
næ mixtas auium pennas deuorant. Ex volatilibus nunquam fulmine tangitur. Pugna
eſt illi in draconem,qui propterea eius oua conſectatur auiditate malefica. Eſt etiam
admodũ difficile cognoſcere viã colubri ſuper terrã,quia ſerpens ſuper terrã celeriter &
multipliciter ſe circunuoluit. Coluber vmbras nemorum incolit,& labitur dũ mouetur.
Bibiturus,venenum prius euomit,ne ipſum cum aqua exhauriat. Nudum hominem re-
formidat,audacior in veſtitum. Nec facile eſt planè cognoſcere viam nauis in medio
mari. Nam ſubinde nauis iactatur procellis, fluctibus,tempeſtatibus, & impetu vento-
rum:quam qui fœliciter ad tutiſsimum portum perducit,meretur gloriam. Denique via
viri in adoleſcentia eſt penitus nobis ignota:& hoc eſt quartum quod ignorauit Salo-
mon. Nam infrenis iuuentus perturbationes animi ſequitur,deſpumat in libidinẽ, ſuas
opes prodigit,nullũ non voluptatis genus experitur. Inſuper adoleſcens vt exceſsit ephe
bis,abhorret à frugalitate,aſper eſt monitoribus,ſuperbus,inſoleſcens,rerum nouarũ ma
xime cupidus,& vtilium rerum tardus prouiſor. Adde quòd quandiu adoleſcentia fer-
uet ſanguine,cogitationes,affectus,deſideria,verba & opera ſubinde mutantur,& quem
poſsident,huc & illuc rapiunt. Et via adulterarum perſimilis eſt viæ adoleſcentum, quo-
niam adulteræ iiſdem perturbationum fluctibus iactantur,quibus molles & effœmina-
ti adoleſcentes,& in deſideriis,affectibus,cogitationibus,verbis & factis ſunt prorſus in-
ſtabiles. Et cum adultera ſatis indulſit ſuis voluptatibus, comeſſationibus & compota-
tionibus,tergendo os ſuum dicit,Non ſum operata malum.tam enim impudens eſt, &
fronte perfricta,vt ſua adulteria vix reputet eſſe peccata. Hinc dicit Hieremias de pollu-
Hiere. 3. ta Hieruſalem,Frons meretricis facta eſt tibi:& noluiſti erubeſcere. Et alibi, Ecce ego iu
Hiere. 2. dicio contendam tecum,eò quòd dixeris,non peccaui. Et hęc puto ſpirare mentem Sa-
lomonis. Nonnulli tamen præcedentes illas noſtri authoris ſententias de myſterio in-
carnationis Chriſti exponunt. Siquidem Chriſtus in ſua aſcenſione tenuit viã aquilæ,&
viam colubri in ſua reſurrectione. Nam ſaluator paſſus ſerpente vel colubro deſigna-
Ioan. 3. Nume. 21. tur. Hinc illud Ioannis,Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari opor-
tet filium hominis. Et cum Chriſtus reſurrexit clauſo ſepulchro,tenuit viam colubri ſu-
per petram. Viam etiam nauis in medio mari ſequutus eſt in ſua conuerſatione,eò quòd
in mundo tanquam in mari procelloſo fuit expoſitus preſſuris & tribulationibus. Et
viam viri perfecti in adoleſcentula,vt ferunt Hebræi, obſeruauit. Hæc autem adoleſcen
tula eſt Beata virgo Maria,quæ in iuuentute concepit ſpirituſſancti virtute, quod fuit
Hiere. 31. ſanè dignum admiratione. Vnde Hieremias,Creauit dominus nouum ſuper terram, fœ
mina circundabit virum.quia Chriſtus in vtero virginis fuit vir perfectus ſcientiis &
virtutibus,etiam ab inſtanti ſuæ conceptionis,& in natiuitate exiit clauſo virginis vte-
ro. Et hanc viri viam in adoleſcentia neſciuit Salomon. Sed neſcio nec poſſum coniice-

re an Salomon id nobis ſignificare voluerit, quandoquidem quod ſubnectit, Talis eſt
via mulieris adulteræ,&c. parum habet conuenientiæ cum myſteriis dominicæ incar-
nationis. Videant qui melius iudicant. Sed illi dicunt hac muliere adultera ſignificari
Synagogam peruerſorum Iudæorum, quæ deſponſata deo in monte Synai in legis ſuſ-
ceptione, ſtatim à deo deſciuit,& declinauit in idololatriam: quæ cum dei cultũ abiecit,
viuens publicè de meretricio, putauit omnia ſibi licere. Sequantur qui velint hanc opi-
nionem. Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere &c.) Seruus ſi eue-
ctus fuerit ad ſummos imperij honores, inſoleſcit, extollitur, ac ſęuit plerunque in illos
qui ſuſpicantur eum eſſe tanto honore indignum, quãdoquidem Hieroboam ſeruus Sa-
lomonis ſuperbiit cum decem tribubus pręfuit,& ſua animi elatione, diuinæ beneficen- 1.Reg.12.
tiæ immemor, induxit populũ ad idololatriam. Eiiciendus eſt & ab honeſto hominum
cœtu ſtultus deditus crapulę & ebrietati. Nã ingurgitatus vino,& oppletus cibis, prorũ-
pit in rixas, iurgia & iniurias. Nec vir probus ferre poteſt mulierem ad odia & inuidiã
procliuem. Nam ſuis furiis agitata officit plurimum & marito,& toti familiæ: cuius con
uerſatio non dicenda eſt vita, ſed mors. Nec terra ſuſtinere poteſt ancillam quæ non mi-
nus honoratur quàm domina, aut nititur honorem dominæ debitum præripere. Vn-
de Agar ancilla Sarę videns ſe concepiſſe, dominam ſuam contempſit: quod illa non fe- Gene.16.
rens, eam expulit.

¶ *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus. Formicæ populus infirmus, qui præpa-
rat in meſſe cibum ſibi. Lepuſculus plebs inualida, quæ collocat in petra cubile ſuum. Regem locuſta non ha-
bet, & egreditur uniuerſa per turmas ſuas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Tria ſunt quæ
bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter. Leo fortiſſimus beſtiarum, ad nullus pauebit occurſum.
Gallus ſuccinctus lumbos, & aries, nec eſt rex qui reſiſtat ei. Et qui ſtultus apparuerit, poſtquam eleuatus eſt
in ſublime. ſi enim intellexiſſet, ori impoſuiſſet manum. Qui autem premit fortiter ubera ad eliciendum
lac, exprimit butyrum: & qui uehementer emungit, elicit ſanguinem. Et qui prouocat iras, producit
diſcordias.)*

Quatuor ſunt animalia terræ admodũ parua, quæ inſitã habẽt & cõgenitam natura-
lem induſtriam, qua ſuæ vitæ conſulunt, & quæ nocitura ſunt declinant,& plus habent
prudentiæ quàm maiuſcula animalia, quæ tamen reputantur eſſe callida & ſagacia: & il-
lorum exemplo & ſedulitate debemus moueri ad conquirendum quæ ad tuendam no-
ſtram vitam conducunt. Horum autem quatuor minimorum primum eſt formicæ po-
pulus infirmus, ſiue imbecilla & debilis congregatio. Et hic populus ſumitur pro con-
gregatione. Eſt etiam congregatio formicarum perſimilis infirmo populo, quia in abdi-
tis locis commoratur, ne conculcetur, & vix audet prodire in publicum: & huius populi
diligentia commendatur. Nam in æſtate præparat cibum ſibi, vt duram hyemem com-
modius tranſigere poſsit. Vnde prius dixit Salomon: Vade ad formicam o piger,& con-
ſidera vias eius,& diſce ſapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec
principem, parat æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Secun-
dum, Lepuſculus, plebs inualida, id eſt perſimilis debili & meticuloſæ plebi: deligit
ſuum diuerſorium in cauernis terrę & profundis latibulis, ne fiat pręda canibus. Lepo-
res ſua natura dormiunt oculis apertis, quieſcunt interdiu, noctu vagantur, locum na-
talem amant. Campeſtres parui ſunt,& valde pernices. Montani magnitudine excedũt.
Omnes curſu accliui ſunt velociores, propter priores pedes poſterioribus breuiores. Ex-
citant ſe ad fugam auribus in tergum declinatis. Flexuoſo curſu canes plerunque deci-
piunt. Fœmina enixa ſuos fœtus multis locis diſpertit & abſcondit. Accipitres reformi-
dat. In vulpem ſi inciderit, euadere curſu contendit. Vulpes vero dolum opponit cele-
ritati. Nam in medio curſu fingit ſe deſiſtere, & quieſcit. pauò pòſt leporem nihil
ſibi timentem inſectatur acrius,& cubile inuadit. Præterea ferunt leporem vltro citro-
que commeare, vt confuſis veſtigiis cubile deprehendi nequeat. Ex leporum genere
ſunt etiam cuniculi, ſed aliquanto breuiores. Terram excauant: in quam, ſi vr-
geant canes, ſe impenetrant, nec illinc extrudi aut extrahi poſſunt, niſi conie-
ctis intrò viuerris animalibus eorum generi infeſtis. Septuaginta interpretes

hoc in loco legunt, ϗ οἱ χοιρογρύλλιοι ἔθνος οὐκ ἰσχυρόν. id eſt, Et chœrogrylli gẽs nõ valida. Eſt autem Chœrogryllus animal non maius hericio, habẽs ſimilitudinem muris & vrſi, cuius in Palæſtinæ regionibus magna eſt abundantia, ſemperque in cauernis petra-
Pſal. 103. rum & terræ foueis habitare conſueuit. Et vbi in pſalmo legimus, Petra refugium herinaciis, in quibuſdam codicibus inuenitur leporibus, in aliis vero chœrogryllis. Tertium genus minimorum terrę, locuſtarũ eſt congeries, quæ licet non habeant regem ſibi ducem, turmatim tamen egrediuntur, & obſeruant aciem ordinatè diſpoſitam: quod eſt
Plinius. argumẽtũ magnæ prudẽtiæ. Plini⁹ loquẽs libro. XI. Naturalis hiſtoriæ capite XXIX de locuſtis, dicit, Hæ pariunt in terra demiſſo ſpinæ caule, oua condenſa, autumni tempore. Ea dura hyeme ſub terra. Subſequenti anno exitu veris emittunt, paruas, nigrantes, & ſine cruribus pennisque reptantes. Itaque vernis aquis intereunt oua, ſicco vere maior prouentus. Alij duplicem earum fœtum, geminumque exitum tradunt. Vergiliarum exortu parere, deinde ad Canis ortum obire, & alias renaſci. Quidam Arcturi occaſu renaſci. Mori mãtres cum pepererint, certum eſt, vermiculo ſtatim circa fauces innaſcente, qui eas ſtrangulat. Eodem tempore mares obeunt. Tam friuola ratione morientes, ſerpentem (cum libuit) necant ſingulæ faucibus eius apprehẽſis mordicus. Non naſcuntur niſi in planis & rimoſis locis. In India ternûm pedum longitudinis eſſe traduntur, cruribus & femoribus ſerrarum vſum præbentes cum inaruerint. Eſt & alius earum obitus. Gregatim ſublatæ vento, in maria aut ſtagna decidunt. Forte hoc caſuque euenit, non vt priſci exiſtimauere, madefactis nocturno humore alis. Iidem quippe noctibus non volare eas propter frigora tradiderunt, ignari etiam longinqua maria ab iis tranſiri, continuata plurium dierum profectione. Quod maxime miremur, famem quoque, quam propter externa pabula petiere, ſciunt imminere. Ac deorum iræ peſtis ea intelligitur. Nanque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtridore, vt aliæ alites credantur, ſoléque obumbrent, ſollicitè ſuſpectantibus populis ne ſuas operiant terras. Sufficiunt quippe vires: & tanquam parum ſit maria tranſire, immenſos permeant tractus, diraque meſsibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morſu erodentes, & fores quoque tectorum. Hæc ille. Quartum genus, Stellio manibus nititur: cum enim non habeat alas quibus feratur, iuuatur latis pedibus, quibus loco manuum vtitur, & moratur in domibus regis, præſertim in regionibus calidis, cuiuſmodi eſt terra promiſsionis. In aliis autem magis moratur in ſyluis. Stellio ſerpens eſt lacertæ ſimilis, circulis quibuſdam & velut lucentibus guttis in modum ſtellarum depictus. Eius morſus hominem ſtupidum facit: raro tamen interficit. Fel in aqua tritum muſtelas congregare dicitur. Rore tantum viuit. Nullum animal fraudulentius eſt: vnde crimen Stellionatus & ſtellatura dicuntur. Plinius libro XXX Naturalis hiſtoriæ capite X. dicit nullum animal Stellione fraudulentius inuidere homini. Inde Stellionum nomen aiunt in maledictum tranſlatum. Quidam dicunt Stellionem velocitate pedum repere ad ſublimitatem domorum vel murorum.

¶ Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter: Leo fortiſsimus beſtiarũ, ad nullius pauebit occurſum.) Leo ſuperbum eſt animal, nec minus ſuperbè graditur, cuius pręcipua generoſitas arguitur, quum colla & armos veſtiunt iubæ. Leo vbi pardi coitum ſentit in adultera leæna, ſupplicium ſumit, & tota vi conſurgit in pœnam. Propterea leæna culpam & odorem flumine abluit, aut conſcia ſceleris, & maſculi metu fugiẽtem adulterum comitatur. Fœmina primo partu parit quinque catulos, & per annos ſingulos vno minus, ab vno ſterileſcit. Parit adeo paruos, vt vix poſt ſecundum menſem ingredi valeãt: quod accidit verno tempore. Naſcũtur apertis oculis. Vrinam mares crure ſublato reddũt vt canes, coeuntque auerſi. Rari ſunt in potu, alternis diebus veſcũtur. Triduo quandoque inediã ferunt. Quum quid deuorauerunt vẽtri moleſtũ aut perniciosum, iactis in fauces vnguibus euellunt, ne nimia corporis ſarcina fugã impediat, ſi fugiendum ſit. Leo non paſcitur cum leæna, ſed ſeparatim erat. Camelorum carnes appetunt. Vrbes fame coacti interdũ adeunt, & in homines ſęuiũt, præcipuè ſenio cõfecti. Tunc enim per corporis imbecillitatem, & dentium defectionẽ venari nequeunt. Paſti & ſaturi faciles ſunt, & exarmati. Solida habent oſſa, & minime vacua. Dolis carent &

ſuſpicione,

ſuſpicione,nec limis intuentur oculis,nec eo modo conſpici volunt.Leo ſi in venatu vi-
deatur,erubeſcens dare terga,ſeſe paulatim recipit,ſi multitudine opprimatur.Remotus
ab aſpectu venantium,fugam propere molitur,turpitudinem abſconſione purgari exi-
ſtimás.Saltu caret in fuga,quo vtitur dum quid inſectatur.Vulneratus percuſſorem ob-
ſeruat acutiſsime, & in quãtalibet appetit multitudine.Fugit interdum demiſſa in crura
cauda , vt canum degeneres.Infirmus eſt parte ilium contra ictus,reliquo corpore mul-
tas patitur plagas, vimq́ue ſummam gerit in pectore.Oculos habet glaucos,ſplendeſcẽ-
tes & concauos , non valde rotundos,nec admodum proiectos. Quicquid momorde-
rit,aut vnguibus lacerauerit,ater inde ſanguis,& quædam ſanies profluit. Tria ſunt qui-
bus terretur maxime,Rotarum orbes circumacti,curruſque inanes ,Gallinaceorum cri-
ſtæ & cantus. Omnium maxime ignes reformidat. Gallus ſuccinctus lumbos.) Galli
nuncij lucis,gradiuntur alta ceruice,& elatis criſtis. Cœlum crebro aſpiciunt , in ſubli-
me falcatas erigunt caudas.Terrori ſunt leonibus.Certant inter ſe ſtudio gloriæ , canũt
in victoria,& ſe principes teſtantur. Victi occultantur,lucemque & hominum aſpectum
refugiunt. Et aries.) Aries dux ouium, duris cornibus armatus excellenter incedit.In
capite vermem habet,quo excitatur ad impetendum alios, & ad dure feriendum quod
obuiar. Solet nonnunquam retrocedere,vt poſtea poſsit durius percutere.Quartum ani
mal quod incedit fœliciter , nec eſt qui ei reſiſtat , eſt Rex potentiſsimus & inuictiſsi-
mus , aut quiuis homo ad beatitudinem deſtinatus , de quo in Geneſi dicit Deus,Facia- Gene. 1.
mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram,& præſit piſcibus maris,& vola-
tilibus cœli,& beſtiis,vniuerſæq́ue terræ,omniq́ue reptili quod mouetur in terra. Poteſt
ſpiritalem ſectando intelligentiam exprimi leone, imperatoria aut regia maieſtas , quę
multis terrorem incutit.Et de diuino leone ſcriptum eſt in Apocalypſi , Vicit Leo de tri- Apoca 5.
bu Iuda. Ariete verò paſtor eccleſiaſticus,& dux ouium Chriſti. Et Gallo lumbos ſuccin-
cto,caſtus concionator,qui docet verbo & opere. Et qui ſtultus apparuerit ,poſtquam
eleuatus eſt in ſublime,ſi eum intellexiſſet , ori impoſuiſſet manum.) Stultus in ſublimes
magiſtratus & ſummũ honoris faſtigiũ euectus,omnibus ſuã prodit ſtultitiam & imperi-
tiam,quandoquidem nec prudentiam habet qua circunſpicere poſsit quæ ſunt agenda
vel vitanda.caret & literis,quibus poſsit beneuolẽtiam hominum ſibi comparare,& vni-
cuique aptè & modeſtè,reſpondere:quod ſi perſenſiſſet ſe futurum omnibus ridiculum,
& bene penſaſſet ſuam ſtultitiam,admouiſſet manum ori,nec vnquam primas honorum
partes ambiſſet.Simia enim,vt trito fertur adagio,ſimia eſt,etiã ſi aurea geſtet inſignia.
Et inſignis promotio ſtulti magis cedit in eius cõfuſionem,quàm gloriam. Qui autem
premit fortiter vbera ad eliciendum lac,exprimit butyrum.) Qui violenter & intempe
ſtiuè premit vbera ad extrahendum lac,exprimit butyrum,rem liquidem ſolidiorẽ,quę
non erat extrahenda. Et qui vehementer emungit ſiue cum quadam vi extrahit è na-
ribus excrementa , elicit ſanguinem etiam corpori commodiſsimum. Iſtis lepidiſsimis
prouerbiis monemur vt nõ ſimus moroſi,difficiles,auſteri & ſuperciliosi in corrigendis
hominum vitiis,ne potius exaſperentur quàm emendentur.Et qui prouocat rixas,& in-
iuriis aut contumeliis alios impetit,ſeminat diſcordias,& Rempublicam perturbat.

ARGVMENTVM TRICESIMI PIRMI CAP.

Mater Salomonis admodum prudens,ſuum filium chariſsimum à puero rectè & ſapienter erudiuit,monuitq́; ut toto ſtudio abhorreret à ſcortis,& ne ſuam ſubſtantiam ſuaſque ampliſsimas opes cum obſcœnis mulieribus diſsiparet,nec libidine dominandi ſuos theſauros exhauriret ad delenda multarum nationum regna:caueret etiam ſummopere ne ſtuderet calicibus epotandis,nec ingurgitaretur uino , ne forte temulentus & ab ipſa ratione alienus,ſubuerteret iudicium ,tranſiliret ſtateram,& cauſas pauperum negligeret,& tandem ſineret omnia iura labefactari,& immemor præceptionum ſuæ matris etiam ſpiritalis(quam & fortiſsimã & beatiſsimam prædicant omnes) rectam educationem abijceret,& ab honeſtis ſuorum parentum moribus degeneraret.

CAPVT TRICESIMVMPRIMVM.

VErba Lamuelis regis, Viſio qua erudiuit eum mater ſua: Quid dilecte mi, quid dilecte uteri mei? Quid dilecte uotorum meorum? Ne dederis mulieribus ſubſtātiam tuam, & diuitias tuas ad delendos reges. Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare uinū, quia nullum ſecretum eſt ubi regnat ebrietas: ne forte bibant, & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. Date ſiceram mœrentibus, & uinum his qui amaro ſunt animo. Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius. Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum qui pertranſierūt. Aperi os tuum, decerne quod iuſtum eſt, & iudica inopem & pauperem.)

Lamuelis nomine Salomonem intelligimus. Siquidem Lamuel interpretatur cū quo deus: & ex præcedenti capite nobis compertum eſt Salomonem aliquando & potiſsimū in exordio ſui regni fuiſſe gratum deo. Vnde dictum eſt: Viſio quam locutus eſt vir cum
Prouer.30. quo eſt deus. Cum etiam regnum Salomonis fuit confirmatum, dedit ei dominus ſapien
3.Reg.3. tiam & cor docile ad iudicandum ſuum populum. Nec verba hæc ſunt Salomonis niſi vt referentis, ſed ſuæ matris, quæ exhortabatur eum ad virtutem, & ad fugienda vitia.

Viſio qua erudiuit eum mater ſua.) Hic viſio ſumitur pro inſtructioue, doctrina & ſpiritali illuminatione. Curauit autem quàm diligentiſsime mater naturalis ſiue carnalis Salomonis, videlicet Bethſabee, vt Salomon rectam à teneris annis educationem imbiberet. Et in hunc modum narratio texitur, Quid dilecte mi tibi dicam, quid corculum meum, mea animula, meum oſculum, aut dicere aut cogitare poſſum quod vt rectè inſtituaris, tibi ſit commodiſsimū? Quid dilecte votorum meorum? Repetitio eiuſdem ſententiæ ad maiorem exaggerationem, & ad exprimendum feruentiorem erga filium amorem. Summopere deſideraui vt ſuſcepta recta educatione prudenter & tranquille tuum populum regeres. Hebræi hæc ediſſerentes dicunt matrem Salomonis hæc verba protuliſſe increpando moderate ſuum filium, eò quòd prima nocte qua cum vxore ſua filia Pharaonis dormiuit, tardiuſcule manſit in geniali lectulo, in quo molliter ſuis deliciis indulgebat, & mollis illa pigritia fuit in cauſa vt hora ſacrificij matutini præterierit, & diuinum officium fuerit impeditum. Nam claues templi erant ſub ceruicali Salomonis. Idcirco mater Salomonis id ęgre ferens, intrauit eius cubile, & cœpit eū arguere, dicens: Quid dilecte mi & c. Cur tuis molliculis voluptatibus obſequendo, permiſiſti diuina ſacrificia impediri? Idcirco eum erudit, vt mollitiem carnis deuitet. Ne dederis, inquit, mulieribus ſubſtantiam tuam. Non ita mulierum amorem depereas, vt earum blandimentis & hamo ineſcatus, tuas opes viuendo luxurioſe diſsipes & ligurias. Nec expendas tuas facultates ad ſubiugādos iniuſta cauſa & affectu dominādi reges terræ. Nec tibi nec aliis regibus iubeas ſuppeditari vinum, vt largiter & immoderatè bibant, & ebrietatem ad veſperam vſque ſectentur. Nullum ſiquidem eſt ſecretum vbi regnat ebrietas, & vinipotæ æſtuant vino & incaleſcunt, ſed mentis arcana & amicorum conſilia deteguntur, & nihil lingua vino madida nō effutit. Hinc Prouerbialis illa ſententia, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. Id eſt, in vino veritas, paſsim apud authores vſurpata, ſignificās ebrietatem animi fucum tollere, & quicquid in pectore conditū eſt, in apertum proferre. Plinius libro XIIII cap. XXII. ſcripſit vinū vſque adeo mentis arcana prodere, vt mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per iugulum quidem redituras voces contineant: vulgoq́ue, inquit, veritas attributa vino eſt. Celebratur & Perſæ cuiuſdam apophthegma qui negauit tormentis opus eſſe ad exquirēdum verum: vino enim rectius elici. quod approbans Horatius in Odis, Tu leue, inquit, tormentum ingenio admoues Plerunq́ue duro, tu ſapientium Curas, & arcanum iocoſo Conſiliū retegis lyæo. Idē in arte poetica,

Reges dicuntur multis vrgere culullis
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus. Rurſum alibi,
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Plura de ſententia illius adagij leges ſcitè & diſertè ſcripta ab Eraſmo in ſuis Chiliadibus. Et reddit rationem mater Salomonis cur Reges debent vitare luxum vini: Ne forte

te inebriati mero,obliuiſcãtur iudiciorum in lege domini ſcriptorũ:& illecti fauore aut
muneribus diuitum,iniuriam faciant pauperibus.Quorum etiam corda grauantur cra-
pula & ebrietate,ij non poſſunt diſcernere inter iuſtum & iniuſtum,ſanctum & propha-
num. Vnde vetitum erat Aaron ſacerdoti & filiis eius,ne ingreſſuri tabernaculum teſti- Leuiti.10.
monij,& oblaturi deo pro ſe & aliis ſacrificium, biberent vinum, & omne quod poteſt
inebriare,vt haberent ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum,inter pollu-
tum & mundum. Date ſicerã mœrentibus,& vinum his qui amaro ſunt animo.) Si-
cera vox eſt Hebraica,quæ per Syn apud illos ſcribitur,& ſumitur pro potu factitio qui
poteſt inebriare.Porro vini factitij vſum fuiſſe apud Aegyptos teſtis eſt Diodorus Sicu-
lus hiſtoriæ ſuæ libro primo,quod ſua lingua vocarent Zuthũ, id quod olim Galli cer-
uiſiam vocabant,Hiſpani cæliã,teſte Plinio.Cuius meminit & Dioſcorides libro ſecũdo
docens ex hordeo potiſsimũ fieri,confici tamen & ex triticea fruge, qua ſoleant vti gen-
tes Occidentales.Euangelium Lucæ manifeſtat angelũ dixiſſe Zachariæ patri Ioannis Lucæ.1.
Baptiſtæ,ſuum filium à deo inſigniter electum, non bibiturum vinum neque ſicerã. Et
conſulit mater Salomonis huiuſmodi potum inebriatiuum exhiberi ïis qui nimio mœ-
rore, luctu & amaritudine animi cõtabeſcunt. Et occaſione huius verbi ſapiẽtiſsimi Iu-
dęorum ſtatuerunt vt condẽnatis ad mortẽ daretur potio vini fortiſsimi,vt audacius &
facilius tolerarent dolores mortis imminentis.cum enim validiſsimã potionem exhau-
ſerant,non recordabantur cõcepti doloris & præuiſæ moleſtiæ.Loco huius,Date ſicerã,
Septuaginta Interpretes legunt, δότε μέθυν. Id eſt,date merum. Aperi os tuum mu-
to,& cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt.) Sis paratiſsimus ad reſpondendum o-
mnibus,eo præſertim tẽpore,quo de rebus arduis , cauſiſq; ciuilibus & criminalibus in-
terrogaris:nec ita faueas nobilibus & diuitibus,vt ignobilibus & pauperibus aures obtu-
res.fac iuſtitiam ex ęquo omnibus,& ſagaci tui animi trutina perpende quod iuſtum eſt:
& cum in auguſtiſsima tuæ maieſtatis ſede conſtitutus fueris, magis timeas offende-
re deum , quàm homines, nec precibus nec fauore nec amicis nec donis à recto iuſti-
tiæ tramite deflectas.

¶ *Aleph. Mulierem fortem quis inueniet? procul & de ultimis finibus prẽcium eius. Beth. Confidit in ea cor
uiri ſui, & ſpoliis non indigebit. Gimel. Reddet ei bonũ & non malum omnibus diebus uitæ ſuæ. Daleth. Quæ-
ſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuũ ſuarum. He. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe por-
tans panem ſuum. Vau. Et de nocte ſurrexit, deditq; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Zain.
Conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit uineam.)*

Aleph. Prima eſt litera Hebraica, & ſingulis verſibus huius ſubſequentis contextus
præponuntur nomina literarũ quibus incipiunt in Hebręo. Aleph autem,vt quidã He-
bræi interpretantur,dicitur doctrina tentationũ,vel doctrina ſimpliciter, vt alij volũt.
Et hæc eſt ſacra ſcriptura. Nõnulli ediſſerentes locum hunc, Mulierem fortem quis in-
ueniet? exiſtimant huiuſce loci & ſubſequentium ſententiã intelligendam eſſe de eccle-
ſia catholica,quæ licet multis aduerſitatum procellis iactetur & concutiatur, nõ tamen
ſuccumbit.In cuius domum irruerunt venti etiam Aquilonij , & flumina & pluuiæ ad- Matt.7.
uerſum eam ſuum fecerunt impetum,nec tamen cecidit, nec à loco ſuæ ſtabilitatis di-
mota eſt,quia fundata erat ſuper petram.Hanc quoq; domum firmiſsimam vocat Pau-
lus eccleſiam dei viui,columnam & firmamentũ veritatis.Et dominus pollicitus eſt Pe- 1.Timo.3.
tro,vertici totius eccleſiæ,ſe extructurum ſuam eccleſiam ſuper fidem ſolidiſsimam filij Matt.16.
dei viui,aduerſus quam nunquam præualebunt portę inferi. Venerabilis Beda explicãs
myſteria iſtarum ſententiarum,dicit eccleſiam catholicam idcirco vocari mulierẽ,quia
ſpirituales deo filios ex aqua & ſpirituſancto gignere conſueuit. fortem quidẽ, quia cũ-
cta ſeculi aduerſa ſimul & proſpera pro conditoris ſui fide contemnit,quam ipſe in car-
ne apparens,infirmam quidem inuenit,ſed inuentione ſua,hoc eſt pia viſitatione fortẽ
reddidit. Hæc ille. Et huic ſententiæ ſubſcribit illud Pauli, Chriſtus dilexit eccleſiam, & Epheſ.5.
ſeipſum tradidit pro ea,vt illam ſanctificaret,mundans eam lauacro aquæ in verbo vi-
tæ,vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam,non habentem maculam aut rugam, aut
aliquid huiuſmodi,ſed vt ſit ſancta & immaculata. Videns ergo Salomon genus huma-
num innumeris implicatum erroribus & vitiis,quodque ad eius ſaluationem nullus pa-

triarcha,nullus propheta,nullus omnino electorum præter ſolũ mediatorem dei & hominum ſufficeret,ait, Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus precium eius. Ac ſi apertè futuram domini gloriam admirando proteſtetur, Quis tãtæ virtutis eſt,tantique meriti,qui de tot ſceleſtis & incredulis totius mundi nationibus vnam ſibi electorum eccleſiam congreget,quam ſua gratia fortem atque inſuperabilẽ aduerſantibus cunctis efficiat? Solus ſiquidem Chriſtus fecit vt eccleſia eſſet fortiſsimum & munitiſsimum propugnaculum aduerſus infideles & peſtilentiſsimos hæreticos. Et eius precium ſoluendum procul erat, & de vltimis finibus. Procul quidem ſtatu temporis,
Pſal.18. quod à diebus Salomonis vſque ad partum virginis intererat. De vltimis autem finibus, quia à ſummo cœlo egreſsio eius,qui non aliud pro noſtra redemptione precium quàm
Roma.3. ſeipſum obtulit. Vnde dicit Paulus, Omnes peccauerunt,& egent gloria dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius,per redemptionẽ quæ eſt in Chriſto Ieſu,quem propoſuit deus
Eph.5. propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Rurſum alibi, Chriſtus dilexit nos,& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam deo in odorem ſuauitatis Nõnulli interpretes peritiſsimi enarrant hunc locum, Mulierem fortem quis inueniet? de ſacra ſcriptura,quæ ex eo cenſetur fortis,quòd inconcuſſam & firmiſsimam veritatem contineat, cuius perfectiſsimam cognitionem paucisſimi conſecuti ſunt: & hoc indicare videtur verbum illud, Quis inueniet? Beth, Confidit in ea cor viri ſui,& ſpoliis non indigebit.) Beth dicitur domus vel habitaculum: & hæc domus eſt Eccleſia,cuius vir ſiue ſponſus
2.Corin.11. eſt ſaluator noſter,de quo dicit Paulus ad Corinthios, Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Nec ex eo hic vir ſanctiſsimus ſiue ſponſus omnium excellentiſsimus confidit Eccleſiæ,quòd eius fiducia pendeat ab Eccleſia, & eius præſidio indigeat, ſed quòd exiſtimet & plane intelligat Eccleſiam ſanctam nolle quidpiam agere contra ſuam voluntatem, nec quòd iactata tempeſtatibus & perſecutionibus, à ſyncera fide & religione vnius veri dei deficiet: & illud ab humana conſuetudine tractum eſt. Sicut enim is qui fortem, fidelem & caſtam habet coniugem, confidit in ea certiſsime, quia in eius amorem æſtuans perlibenter aduerſa quæque tolerat, & contendit omnes in eius beneuolentiam & amicitiam pertrahere, ſic nimirum redemptor noſter in Eccleſia confidit. Nouit enim præſidia virtutum quibus eam aduerſus hoſtes muniuit, & ſpiritum gratiæ quem ei dedit. Idcirco ſibi perſuaſit eam à ſuo amore nec terroribus principum, nec gladiis nec fame nec anguſtiis nec tribulationibus vnquam diuelli poſſe, nec relicturam fidei ſtabilitatem & integritatem. Hoc eſt enim quod ſubiungitur, Et ſpoliis non indigebit. Nunquam enim ceſſabit animas diaboli veneno faſcinatas ad ouile Chriſti reducere, & priſtinæ fidei reſtituere. Spoliat etiam diabolum Eccleſia, cum diligentia ſuorum prædicatorum, quos ille deceperat, ad veritatis iter reuocat. Hæc verò differendo de ſacra ſcriptura, & ſapientia dei, dicimus doctorem optimum & ſapientiſsimum nomine viri vocitatum, in ea ſuam fiduciam & ſpem collocare de aſſecutione præmij æterni. Hinc in Sapientiæ libro
Sapi.8. ſcriptum eſt, Hanc amaui, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quęſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius. Et ſpoliis non indigebit,quia in regno dei habitura eſt duplicem ſtolam, gloriam ſcilicet corporis, & animæ.

Gimel. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ.) Gimel plenitudo dicitur, vel retributio. Refert igitur Eccleſia gratiam ſuo ſponſo pro maximis beneficiis acceptis, & prompto animo propenſiorique voluntate accepta munera penſabit, nec ingratitudinis nota inuretur. Occinet & deo optimo laudes, quòd ſanctificata fuerit lauacro aquæ in verbo vitæ, & illuſtrata fuerit donis ſapientiæ & intellectus. Et non abſurde adiectum eſt, & non malum. Nam in bonis operibus. & aſsiduo virtutum exercitio perſeuerabit, & omnibus diebus vitæ ſuæ ſeruiet domino in ſanctitate & iuſtitia. Daleth, Quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.) Daleth, ſiue vt quidam

ſcribunt

ſcribunt, Deleth, interpretatur tabulæ aut tabularum, ſeu pauper aut ianua. Perquiſiuit igitur quàm diligentiſsime eccleſia lanam & linum quibus cóficeret veſtimenta ad operiendum pauperes, & pietatis officia proximis impenderet, memor illius dicti prophetici, Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Et in die iudicij quo Eſaiæ. 58. omnium opera expendentur, merebitur audire ſalutarem illam ſententiam, Nudus fui, Matt. 25. & operuiſtis me. Poteſt & lino, quod ex terra virens oritur, ſed longo ac multiplici exercitio amittit humorem natiuum, atque ad gratiam noui candoris peruenit, caſtigatio noſtræ carnis ſignificari, cuius dum ingenitas vitiorum ſordes per continentiam excoquimus, Chriſtum noſtræ ſalutis amantiſsimum induimsu. Hinc Paulus, Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Gala. 3. He. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longe portans panem ſuum.) He, ipſa vel iſta, ſiue ſuſcipiens aut ſuſceptio. Antiqui negociatorem ex eo inſtitorem appellarunt, quòd gerendis negociis, aut acquirendis augendiſque mercibus ſedulus inſiſteret. Facta eſt fortis mulier quaſi nauis inſtitoris, quia ſicut nauis inſtitoris onuſta mercibus quæ in ſua patria magis abundant, per mare petit peregrina, vt illic venditis quæ attulerat, cariora ad domum reportet: ſic ſancta eccleſia & anima perfecta gaudet variis virtutum diuitiis onerari, quibus maiora diuinæ gratiæ dona mercetur. Sicut etiam inſtitor non ſine multis periculis maris & ingruentibus procellis ſuam nauem ducit ad portum, ita eccleſia non ſine multis tribulationibus, curis & ærumnis ſuos filios ſpiritales ad regnum Dei perducit. De longe autem portat panem ſuum, quia pro piis officiis & bonis temporalibus quæ indigentibus impartita eſt, æternam retributionem expectat. Nec quærit delicias & lautitiam ciborum, ſed ſolam viui panis ſaturitatem, eius nimirum qui ſuis auditoribus dicebat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Qui tamen vellet hæc de ſacra ſcriptura exponere, diceret, quòd ſicut in naui inſtitoris portantur quæ vitæ humanæ neceſſaria ſunt, ita in diuinis literis continentur quæ ſaluti noſtræ neceſſaria ſunt. Matt. 11. Vau. Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.) Vau ſiue Vahu, dicitur hæc vel ipſa, ſeu ipſe aut ille. Sicut totus labentis ſeculi curſus perennis diei ac noctis alternatione variatur, & dies quidem ad operandum, nox vero ad quieſcendum condita eſt, ſic totum militantis eccleſiæ tempus gemino quodam quietis & operis ſtatu diſcernitur. Surgit autem de nocte, cum ſe ad agendam ſuorum filiorum curam ſolicitè accingit, & eos qui foris errabant, ad fidem & ouile Chriſti reuocat. Illos verò qui fidei ſacramentum non reliquerunt, excitat vt bonis operibus amplius inſiſtant. Sequitur & eccleſia ſuum ſponſum qui ſeceſſit in montem vt oraret, vbi pernoctauit in oratione Dei. Dat autem prædam domeſticis ſuis, cum eos quos ab antiquo & callido hoſte docendo potuit eripere, ſocietati bonorum conciliat & aſſcribit. Dat & ancillis cibaria, cum diurno æſtu & inquieto labore fatigatos reficit. Subminiſtrat etiam ſanctis animabus panem vitæ & intellectus, & aquam ſapientiæ ſalutaris. Lucæ. 6. Zain. Conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam.) Eccleſ. 15. Zain, iſta vel hæc. Hic ager eſt poſſeſsio ſupernæ hæreditatis, de qua Iſaac patriarcha benedicens ſuo filio Iacob loquitur. Ecce (inquit) odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit dominus. Odor quippe ſanctorum Geneſ. 27. eſt ſicut odor agri pleni cui benedixit dominus, quia tota acie mentis contuentur quæ ſit plenitudo benedictionis cæleſtis. Conſiderauit igitur eccleſia hunc amœniſsimum agrum in quo beatæ animæ mundiſsimis deliciis & perpetuis voluptatibus fruuntur, cui cultiſsimi agri huius mundi minime conferendi ſunt. Nam flores etiam fragrantiſsimi iſtorum agrorũ licet paſcant oculos, & nares mirè delectent, ſubitò tamen areſcũt: flores verò & deliciæ agri cœleſtis nunquam mareſcunt, nec ſuam natiuam pulchritudinẽ perdunt. Hunc autem agrum eccleſia multis laboribus vigiliis curis & ſanctiſsimis officiis emit. Et quia precioſiſsimus theſaurus in hoc fertiliſsimo agro abſcóditus eſt, eo inuento vendidit omnia quæ habebat, & terrenas opes reliquit, vt hunc agrum emeret. De Matt. 13.

fructu autem manuum ſuarum plantauit vineam, quia de fructiferis ſuorum fidelium
& verbis & factis ſcripturam ſacram condidit & illuſtrauit, qua mentes audientium fide
Mat.21. & dilectione ſui redemptoris inebriauit. Huius autem vineæ hæres Chriſtus, à crudeliſ-
ſimis ſeruis & inuidis Iudæis occiſus eſt. Dominus autem huius myſticæ vineæ cum re-
ſciuit ſuum filium dilectiſsimum ab impiis agricolis trucidatum fuiſſe, vehementer illis
ſuccenſuit, eóſque atrociſsimis ſuppliciis affecit, & vineam ſuam aliis agricolis locauit,
qui reddiderunt ei fructum temporibus ſuis: quibus adumbrantur gentiles, qui diligen-
ter colentes vineam patris cœleſtis, vberem fructum fecerunt: & licet non ſectarentur iu
Roma.9. ſtitiam, apprehẽderunt tamen iuſtitiã quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ,
in legem iuſtitiæ non peruenit.

Heth. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Teth. Guſtauit & uidit quia bona eſt negociatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Iod. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Caph. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Lamed. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis. Omnes enim domeſtici eius ueſtiti ſunt duplicibus. Mem. Stragulatam ueſtem fecit ſibi. Byſſus quoque & purpura indumentum eius. Nun. Nobilis in portis uir eius, quando ſederit cũ ſenatoribus terræ.)

Heth, vita vel pauor. Eccleſia rebus diuinis addicta, nullis vnquam voluptatibus nec
carnalibꝰ illecebris ſuccubuit, ſed inſultꝰ libidinis, & effrenẽ carnis petulãtiã perdomuit.
Suum autem brachium roborauit, cum victis affectibus, & ſedatis perturbationum pro-
cellis, ac profligata cacodæmonum acie, ſe ad agenda virtutum opera præparauit. Et ap-
poſite primò dictum eſt, Accinxit lumbos ſuos. Noſtra ſiquidem opera nõ ſunt deo gra
Eſa.1. ta, & æternæ vitæ meritoria, niſi incendium libidinis reſtrinxerimus, & concupiſcentiã
duce ratione ſubiugauerimus. Hinc illud Prophetæ, Quieſcite agere peruerſe, diſcite be
Lucæ.12. nefacere. Et dominus ait in Euangelio Lucæ, Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ar-
dentes in manibus veſtris. Ardent autem in nobis lucernæ, cum bonis fulgemus operi-
Gregorius. bus. Gregorius enarrans illa Chriſti verba Homilia XIII. in lucam, dicit, Lumbos præ-
cingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Sed quia minus eſt mala
non agere, niſi etiam quiſque ſtudeat & bonis operibus inſudare, protinus additur, Et lu-
cernæ ardentes in manibus veſtris. Lucernas quippe ardentes in manibus tenemus, cum
per bona opera proximis noſtris lucis exempla monſtramus. Et paulò pòſt dicit, Nec
caſtitas ergo magna eſt ſine bono opere, nec opus bonum eſt aliquod ſine caſtitate.

Teth. Guſtauit & vidit quia bona eſt negociatio eius, non extinguetur in nocte lucerna
eius.) Teth, ſubter vel infra, ſeu bonum aut excluſio. Aperte didicit Eccleſia & intimo
mentis affectu cognouit negociationem immarceſcibilis vitæ nobis eſſe commodiſsi-
Mat.13. mam, qua deſpectis labentis vitæ illecebris & honoribus, nobis ſelectiſsimam æternæ fœ
licitatis margaritam comparamus. Nec lucerna Eccleſiæ in nocte mediiſque in tenebris
extinguetur. Nam ingruente perſecutionum procella, & tempore difficillimarum tenta-
tionum à fide nequaquam deficiet: cum etiam à publicis negociis ceſſabit & feriabitur,
liberius & ardentius multo rerum diuinarum contemplationi & tranquillo ocio vaca-
Iob.21. bit. Lucerna verò impiorum extinguetur. Iod. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti
eius apprehenderunt fuſum.) Iod, ſcientia vel principium ſeu dominatio dei. Fortia dici
poſſunt acerba quæque & dura, quæ Eccleſia pro nomine Chriſti æquo animo ſuffert.
Mat.11. de hac fortitudine dicit Chriſtus, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt il-
lud. Aut hæc fortia dici poſſunt excellentiſsima Euangelicæ perfectionis opera, quæ iſtis
Mat.5. verbis præſcribuntur, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate
pro perſequentibus & calumniantibus vos. Et de virginitate ſeruãda, Qui poteſt capere,
Mat.19. capiat. Rurſum de contemnendis diuitiis, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ
habes, & da pauperibus. Non ſolum igitur Eccleſia ad ſublimiorem perfectionem anhe-
Beda. lans ſtuduit adimplere præcepta dei, ſed & Euangelica conſilia. Et digiti eius apprehen-
derunt fuſum.) Solent fœminæ nentes fuſum in dextera tenere, colum verò in ſini-
ſtra. In colo lana inuoluta eſt, quæ filo ducenda & nenda tranſeat in fuſum. Sæ-
pe autem in ſcripturis dextera vitam perpetuam, læua vero præſentia dei dona

ſignificat

ſignificat,opulentiam videlicet rerum,pacem temporum,ſoſpitatem corporum,ſcien-
tiam quoque ſcripturarum,& cæleſtium perceptionem ſacramentorum. Hæc & huiuſ-
modi bona cum domino largiente perceperimus, quaſi lanam colo inuolutam in læua
geſtamus. At cum ea pro amore cæleſtium ſalubriter exercere incipimus,iam lanã agni
immaculati de colo in fuſum,de læua in dexteram traiicimus, quia de donis noſtri re-
demptoris,de exemplis operum eius, ſtolam nobis gloriæ cæleſtis, ac veſtem charitatis
nuptialem facimus. Digiti autem quibus fuſum apprehendere dicimur,ſunt recta animi
intentio, & ſedula diſcretio,quæ plurimum conferunt ad rectè agendum,& aſſequendũ
æternæ vitæ prȩmium. Caph. Manum ſuam aperuit inopi,& palmas ſuas extendit ad
pauperem.) Caph,incuruans vel incuruatio. Eccleſia pietaticultrix longè lateq; ſuas
palmas extendit vt pauperibus ſuccurrat, & opera miſericordiæ cum temporalia tum
ſpiritualia officioſiſsime exerceat,& adimpleat illud præceptum Chriſti: Eſtote miſeri- Lucæ.6.
cordes,ſicut & pater veſter miſericors eſt. Summa ſiquidem Chriſtianæ religionis in of-
ficiis pietatis & charitatis ſita eſt. Lamed. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis,
omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus.) Lamech, futura, vel adiutorium,
ſiue erectio aut firmamentum. Frigoribus niuis exprimuntur æterna tormenta. Vnde
Iob loquens de pœna reprobi dicit, Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium, &
vſque ad inferos peccatum illius. Huiuſmodi autem cruciatus non exhorreſcit eccleſia,
nec timet à ſuppliciis æternis,quandoquidem portæ inferi aduerſus eam non præuale-
bunt. Qui etiam peribunt,& in profunda exteriorum tenebrarum corruent,ad domum
eccleſiæ non pertinebant,nec veſte ipſius ſpirituali erant induti, tametſi myſteriis eius
ad tempus videbantur inſtituti. Vnde legimus hominem ſordidum eiectum fuiſſe de Matt.22.
domo conuiuij nuptialis, quòd impudenter intrauerit non habens veſtem nuptia-
lem. Dicit etiam diuus Ioannes de perſecutoribus eccleſiæ qui facti ſunt antichriſti, Ex 1.Ioan.2.
nobis prodierunt,ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis,permanſiſſent vtiq;
nobiſcum,ſed vt manifeſti ſint,quoniam non ſunt omnes ex nobis. Domeſtici eccleſiæ
veſtiri duplicibus,ſunt apoſtolici viri,optimi doctores,ſanctiſsimi concionatores, & in
vniuerſum ſynceri Chriſtiani,qui veſtiti ſunt & muniti fide & bonis operibus, aut vir-
tutibus moralibus & intellectualibus prædití ſunt, vel ſapientia ad reuincendas falſo-
rum fratrum hæreſes,& patientia ad tolerandas apertorum hoſtium pugnas. Vel veſtiti
ſunt duplicibus,quia promiſsionem habent vitæ præſentis & futuræ. Nam in hac pere-
grinatione dei gratia ne deficiãt iuuantur,& in elyſiis campis ac beatorum inſulis præ-
clara dei viſione fœliciter fruentur. Mem. Stragulatam veſtem fecit ſibi. Byſſus quo-
que & purpura indumẽtum eius.) Mem,à quo,vel ex ipſis. Stragula ſtragulæ,ſiue ſtra-
gula veſtis,ſumitur pro veſtimento quod iniicitur, quale eſt Græcorum palliũ. Solet au-
tem ſtragulata veſtis,vti quidam dicunt,variante textura firmiſsima confici. Stragulum
vero lectorum eſt opertorium,vbi & diſcũbere & dormire conſueuerant. Byſſus,ſplen-
didum eſt & tenue admodum linum quo mulieres in deliciis vtuntur. Fiunt & byſsinæ
veſtes ex lana molliſsima colore luteo nigricante,ac ſplendorem auri reddente: & hu-
iuſmodi veſtes ſunt precioſiſsimæ. Candidi eſt coloris byſſus,& de terra virẽs oritur,ſed
exercitatione longa amiſſo humore ac virore natiuo ad decorem candidæ veſtis per-
ducitur. Purpuræ piſces ſunt ex concharum genere. viuunt autem annis plurimum ſe-
ptenis. Latent ſicut murices circa canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tẽ-
pore,mutuoq; attritu lentorem cuiuſdã ceræ ſaliuant. Simili modo & murices. Sed pur-
puræ florem illum tingendis expetitum veſtibus,in mediis habẽt faucibus. Liquoris hic
eſt minimi in candida vena,vnde precioſus ille bibitur nigrantis roſæ colore ſublucẽs.
Reliquum corpus ſterile. Viuas capere contendunt,quia cum vita ſua ſuccum illũ euo-
munt. Hinc purpureus color dicitur,qui nigricantis roſæ ſplendore ſublucet,cȩterorum
omnium gratiſsimus,& tingendis veſtibus maximè expetitus. Plura de natura purpuræ
poteris legere apud Plinium lib. IX. Naturalis hiſtoriæ cap. XXXVI. Purpureus color
habet ſpeciem ſanguinis. Hinc ab Homero dictus eſt ſanguis purpureus. Stragulata ve-
ſte,byſſo & purpura, precioſiſsima virtutum ornamenta, quibus fulget eccleſia & ex-
cellit,exprimuntur: de quibus propheta canens laudes ſummi regis dicebat, Aſtitit regi- Pſal.44.

na à dextris tuis in veſtitu deaurato,circumamicta varietate.Induitur & eccleſia byſſo, cum electi ſua corpora caſtigant,& in ſeruitutem redigunt.Purpura autem, cum ipſam continentiam non ad aucupandam auram popularem,ſed ad acquirendam beatitudinẽ regni perennis exercent.   Nun.Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.) Nun,paſcens eos,vel paſcua eorum.Nũn,fœtus vel piſcis. Vir ſanctæ eccleſiæ nobiliſsimus,& ex regia progenie deſcendens,eſt ſaluator noſter,qui licet apparuerit ignobilis cum ante tribunal præſidis ſtetit iudicandus,& probra,ſputa, conuicia,
Eſa.53. flagella & crucis mortem ſuſtinuit,& reputatus ſit quaſi leproſus,& factus ſit pro ſanan-
Pſal.21. dis noſtris vulneribus opprobrium hominum, & abiectio plebis: tamen apparebit no-
Matt.16. bilis cum ſederit in ſede ſuæ maieſtatis, & venerit in gloria patris ſui cum angelis ſuis ad iudicandũ viuos & mortuos,& reddendum vnicuique ſecundum opera eius. Et cum dicit Salomon,In portis vir eius,alludit ad morem iudicum veteris legis,qui conſueuerant(vt aliquando diximus)ſedere in portis vrbium ad iudicandum, vt venientes ad ciuitatem aliunde,paratum continuò reſpõſum iudicantis acciperent, & nec ruſticos vel paſtores inſolita vrbis ædificia ſtupefacerent,nec rurſum pacẽ vrbis frequens litigantiũ controuerſia fœdaret.Sedebit autẽ hic æquiſsimus iudex cum ſuis ſenatoribus, ſcilicet
Matt.19. apoſtolis,quibus relictis terrenis bonis aliquando dixerat,Amẽ dico vobis,ꝙ vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione,cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim,iudicantes duodecim tribus Iſrael.

¶ *Samech.Sindonem fecit & uendidit,& cingulum tradidit Chananæo.Ain.Fortitudo & decor indumentũ eius,& ridebit in die nouiſsimo.Phe.Os ſuum aperuit ſapientiæ,& lex clementiæ in lingua eius.Zadik.Conſiderauit ſemitas domus ſuæ,& panem ocioſa non comedit.Coph.Surrexerunt filii eius,& beatiſsimam prædicauerunt.Vir eius & laudauit eam.Res.Multæ filiæ congregauerunt diuitias,tu ſupergreſſa es uniuerſas.Sin.Fallax gratia,& uana eſt pulchritudo.Mulier timens dominum ipſa laudabitur.Thau.Date ei de fructu manuum ſuarum,& laudent eam in portis opera eius.)*

Samech.Fultura vel erectio ſiue adiutorium aut firmamentum. Mundiſsimo ſindonis linteo,innocentia & puritas mentis ſignificatur.Eccleſia autem illum qui regeneratur fonte baptiſmi,ſindone munda veſtit,eique innocentiam miniſterialiter exhibet, Chriſtus autem ſua authoritate ſuaq; benignitate ei confert gratiam.Perhibetur autem eccleſia vendere baptizato innocentiam,non quidem ſumpta propria vẽditionis ratione,ſed metaphorica,quia ab eo requirit vt veſtem innocentiæ & ſacramentum quod recepit, cuſtodiat, atq; operibus ſatanæ prorſus renunciet. Alij dicunt linteo ſindonis exprimi ſubtilem ſanctæ prædicationis intextionẽ, in qua molliter quieſcitur, quia mens fidelium in illa ſpe ſuperna refouetur.Hanc autem ſindonem eccleſia fecit, & vendidit, quia fidem quam credendo texuerat,loquendo dedit, & ab infidelibus vitam rectæ cõuerſationis accepit.Nomine Chananæi ſignificantur gentiles ad fidẽ Chriſti conuerſi. Etenim Chanaan populũ gentilem procreauit,& interpretatur commutatus. Nam gẽtiles à vitiis ad virtutes, & à diabolo transmigrarunt ad Chriſtum. Vnde dicit Paulus,
Roma.15. Gentes ſuper miſericordia honorare deum,ſicut ſcriptum eſt,Propterea confitebor tibi
Pſal.17. 2.Reg.22. in gentibus domine,& nomini tuo cantabo.Et iterum dicit, Lætamini gentes cũ plebe
Pſal.116. eius.Et iterum,Laudate omnes gentes dominum,& magnificate eum omnes populi. Et
Eſaiæ 11. rurſum Eſaias ait,Ecce radix Ieſſæ,& qui exurget regere gentes, in eo gentes ſperabunt. Tradidit autem eccleſia cingulum Chananæo,quia docuit ex paganiſmo cõuerſos zona
Lucæ.12. caſtitatis ſuos lumbos præcingere,quibus dicit Paulus ad Galatas, Spiritu ambulate, &
Gala.5. deſideria carnis non perficietis.Et alibi,Fornicatio & omnis immunditia non nomine-
Ephe5. tur in vobis.   Ain.Fortitudo & decor indumentum eius,& ridebit in die nouiſsimo.) Ain,fons vel oculus.Munitur eccleſia fortitudine & armatura dei aduerſus detractores, hoſtes fidei,& principes tenebrarum harum.Siquidem verbo doctrinæ & nõnunquam patientia detrahentium ora obturat,ſana doctrina hæreticorum errores profligat & reuincit,& in die malo certando generoſe aduerſus dæmones,victoriam reportat.Deniq;
Ephe.6. ſcuto fidei omnia tela nequiſsimi & calidiſsimi ſerpẽtis ignea extinguit. Retinet & magnitudinem animi ac inuictam conſtantiam in perferendis propter iuſtitiam perſecutionibus.Amplexatur & decorem ad exercendam virtutum gratiam.Et quia in arduo & admodum

admodum difficili certamine tentationum & tribulationum plus mœroris quàm gaudij habuit,in die nouiſsimo ridebit.Hinc illud Chriſti, Beati qui nunc fletis,quia ridebitis. Lucæ 6.
Huic quoque Salomonis ſententiæ confine eſt quod dicit propheta de Saluatore, Dominus regnauit,decorem induit:induit dominus fortitudinem. Pſal.92.
Cum enim euangelicam veritatem prædicabat,aliis placebat,aliis diſplicebat:alij de eo bene loquebantur, alij verò detrahebant,eiuſq; famam lacerabant & mordebant. Ad eos quibus placebat, decorem induit:ad eos verò quibus diſplicebat,fortitudinem. Phe.Os ſuum aperuit ſapientiæ,& lex clementiæ in lingua eius.) Phe,diſciplina vel os. Eccleſia ſummopere cupiens intelligere rerum diuinarum myſteria,& ipſas ſacras literas, os ſuum aperuit ad diſcendam ab ipſa ſapientia veritatem,quam alios foris doceret.Vnde in libro Iob ſcriptum eſt,Qui me audiebant,expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Iob.29.
Verbis meis addere nihil audebant,& ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam,& os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum. Aperit etiam eccleſia os ſuum vt ſapientiam doceat.Hinc Paulus, Omnis ſermo malus ex ore Epheſ.4.
veſtro non procedat,ſed ſi quis bonus ad ædificationem fidei,vt det gratiã audientibus.

Et lex clementiæ eſt in lingua eius.) Nam lex euangelica eſt lex totius charitatis, pietatis,manſuetudinis & miſericordiæ,nec ſubitò vlciſcitur,nec repẽtè terrorem incutit,& peccãtes punit,ſicut lex Moſaica,quæ fuit lex timoris & rigoris, ſed miſericorditer ad pœnitentiæ remedia vocat. Dicit enim Chriſtus,Iugum enim meũ ſuaue eſt, & onus Matt.11.
meum leue.Et huiuſce benignitatis ac clementiæ exemplum vnum proferam.Cũ enim Scribæ & Phariſæi adduxerunt ad Chriſtum mulierem in adulterio deprehenſam,& dixiſſent ei,Magiſter,hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio.In lege autem Moyſes Ioan.8. Leuiti.20.
mandauit nobis huiuſmodi lapidare.Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentãtes eum,vt poſſent accuſare eum.Ieſus autem inclinans ſe deorſum,digito ſcribebat in terram.Cum ergo perſeuerarent interrogantes eum,erexit ſe,& dixit eis:Qui ſine peccato eſt veſtrum,primus in illam lapidem mittat.Et ſic eam à ſcelere quod cõmiſerat, ſub cõditione amplius non peccandi miſeratus abſoluit. Zadik.Cõſiderauit ſemitas domus ſuæ,& panem ocioſa non comedit.) Sade,regio vel triſtitia,ſiue cõſolatio aut veneratio.Eccleſia diligenter examinauit, diſcuſsit & expendit omnes cogitationes & affectiones ſui cordis,ne quid inueniretur quod ſuo ſponſo diſpliceret.Hinc illud Aggæi, Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.Sunt & ſemitæ ipſius eccleſiæ,quibus ad æternam Aggæi.1.
beatitudinem contendit,diuina præcepta,& euangelica conſilia, ac ſaluberrima documenta quæ ſapienter penſanda ſunt,& vtiliter exercenda. Nec ſuum panem oſcitanter & in vmbratili ocio degens comedit,ſed ſudauit & alſit, & ſe totam honeſtis officiis & laboribus addixit.Si quis enim non vult operari(authore Paulo)nec manducet. Coph. 2.Theſ.3.
Surrexerunt filij eius,& beatiſsimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.) Coph, vocatio vel cõcluſio.Veri & germani eccleſiæ filij miris encomiis ſuæ matris dotes,gratias & inſignem excellentiam decantant & extollunt,eamque beatiſsimã prædicant.Nec immerito.Nam Chriſtus dilexit eccleſiam,& ſeipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret,mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ,vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam,non habentem maculam aut rugam,aut aliquid huiuſmodi,ſed vt ſit ſancta & immaculata.Et vir eius,ſcilicet Chriſtus, laudauit eam.Nam in Cantico Canticorum exiſtimat ſuã ſpõſam eſſe pulcherrimam mulierem,& inſigni commendatione de ea dicit, Canti.1.
Amica mea,columba mea,formoſa mea. Res.Multæ filiæ congregauerunt diuitias, Canti.2.
tu ſupergreſſa es vniuerſas.) Res,caput vel patientia.Philoſophi & hæretici multarum rerum cognitionem & peritiam habuerunt,quandoquidem nouerunt & intellexerunt vnam eſſe ſupremam cauſam infinitæ virtutis & ſapientiæ,cuius voluntate, prouidẽtia & ſapientia,cæleſtia & terreſtria reguntur:&,multas virtutum intellectualiũ diuitias ſibi compararunt:qui a tamen in ſuperbiam elati ſunt,& nimium ſuis ingeniis confiderunt, Roma.1.
in ſuis cogitationibus euanuerunt,& dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt:quorum diuitias eccleſia & ſapientia dignitate authoritate & ſanctitate ſuperauit.Et licet nõnulli donis eloquentiæ,fidei,ſapientiæ & intellectus ditentur, quia tamẽ ſanctimoniam vitæ negligunt,nec puro corde & ſynceta mente deum colunt & amant,idcirco cum ſuis di-

Mat. 7. uitiis pereunt & computreſcunt, de quibus dicit Chriſtus, Multi dicent mihi in illa die, Domine, domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuò dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos: diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. Sed omnes huiuſmodi Chriſtianos ecclesia catholica ſupergreditur, quę fide ſyncera, & perfectis operibus ſui ſponſi veſtigia ſectatur.   Sin. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mulier timens dominum ipſa laudabitur.)   Sin, tentatio egrediens, vel egreſsio tentationis. Fallimur plerunque gratia laudis quam venamur ab hominibus, & cupimus nobis exhiberi. Laus etiam humana, fauor vulgi, & aura popularis nos occæcat, mentemq́ue penitus obſcurat. Nam gratia hominum, & præſertim ſimulatorum, citò perit, & eius flos mane vireſcens, ad veſperam areſcit. Inſuper ornatus exterior, elegantia formæ, pulchritudo corporis, fucatus color, opum & ſtudiorum iactantia, ſimulatus amor, & quicquid dei timore & amore caret, ſuum habet in officina vanitatis locum. Mulier autem, ſcilicet eccleſia, & ſancta anima caſto timore timens dominũ, eiq́; ardẽtes virtutũ lãpades offerens, immortalem gloriam ſibi comparabit. Nam bonorum omnium initiũ, & cuſtos virtutum, eſt timor domini. Vnde Iob, quem nullæ vnquam aduerſitates de gradu conſtantiæ deiecerunt,
Iob. 31. dicebat, Semper enim quaſi tumentes ſuper me fluctus, timui deum, & pondus eius ferre non potui.   Thau. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius).   Thau, conſummator aut conſummatio. Cenſendus eſt ille virtutum omnium eſſe conſummatiſsimus, qui deum timet, & eius mandata obſeruat, & dignus qui abſoluto huius vitæ curriculo ad regnum perennis gloriæ perueniat, ad quod eccleſia militãs poſt certamina, afflictiones, & anguſtias, ab ipſis angelis introducetur, eiq́; pro fructibus
Gala. 5. manuum ſuarum, ſcilicet charitate, pace, lõganimitate, patientia, modeſtia, benignitate, fide, continentia & caſtitate, debita merces rependetur: & opera ipſa quæ fecit, in ingreſſu patriæ cæleſtis laudabunt eam. Ambulemus igitur dignè in eccleſia cum omni hu-
Epheſ. 4. militate, patientia & manſuetudine, & ſimus ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vt poſt luctas, labores, vigilias & ærumnas, dominus noſter Ieſus Chriſtus beatorum ciuitate nos donet.

FINIS COMMENTARIORVM
Ioannis Arborei in Prouerbia Salomonis.

PARISIIS
ANNO DOMINI M. D. XLIX.
VI. ID. MARTIAS.